BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
13 M
2

Digitized by Google

Digitized by Google

FRANCISCI ANTONII CASERTAE NEAP.NI
TRACTATIONES DVAE
ad Medicinæ praxim pertinentes.

Altera de Natura, & Vſu Aquarum potabilium, tum in ſanis, tum in ægris corporibus.

Alia de Natura,& Vſu Vinorum, tum in ſanis,tum in ægrotis.

In quibus præter cætera ſcitu digniſſima, & neceſſaria, ab omnibus, qui aquam, vel vinum guſtare nouerint Aqua potum podagricis, & arthriticis eſſe infeſtum, vini vero potum eſſe vtilem, veris Hyppocratis, & Galeni auctoritatibus, ac veriſſimis rõnibus demonſtratur.

Cum Indice Quæſtionum, Articulorum, & Dubiorum.

AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D.D.

ODOARDVM FARNESIVM
S. R. E. CARD. AMPLISS.

AC EPISCOPVM SABINENSEM.



NEAPOLI Ex Typographia Secundini Roncalioli. 1623.

SVPERIORVM PERMISSV.

Illuſtriſsimo, & Reuerendiſsimo Domino

D. ODOARDO FARNESIO

CARDINALI AMPLISSIMO.

Franciſcus Antonius Caſerta Neapolitanus S. D.

AVdiui Cardinalis Ampliſsime, non ſine animi mei moleſtia Te podagra, chiragra, & arthritide laborare. Et percontanti mihi R. P. D. Io. Petrum Zanchatum, Prothonotarium Apoſtolicum, familiarem tuũ, in hac Ciuitate Neapolis tuo mandato pro Sereniſsimo Odoardo Parmæ, Placentiæ, & Caſtri Duce Quinto, Nepote Tuo, in negotijs peragendis commorantem, de tua valetudine, tuaq; victus ratione, & an Aquæ, vel Vini potum aſſumeres? Retulit idem Te vini potu vti albo, tenui, quod Parmæ oritur; Subditq; complures modernos medicos, ad hanc paſsionẽ amouendam, vini potu reiecto, ad aquæ potum accipiendum, tamquam vtilem podagricis, conſuluiſſe, atq; admodum laudaſſe. hoc tamen conſilium à Te Viro prudentiſſimo, iure quidem optimo, numquam fuiſse probatum tamquam proficuum podagricæ affectioni, aut propriæ tũ

totius

totius corporis, tum ventriculi temperaturæ. Huic opinioni Modernorum ab Antiquis, & veris doctrinis recedentium, cum ego numquã adhæſerim; tractationes medicinæ theoricas prætermittens; ſuſcepi imprimendas has duas Tractationes practicas, alteram de natura, & vſu Aquarum potabilium; aliam de natura, & vſu Vinorũ, in quibus præter cætera, error alter, de potu aquæ podagricis, chiragricis, &c. exhibendo, & alius error, de Vino inhibendo, confutantur veris rationibus, & auctoritatibus Galeni, & Hyppocratis. quibus, ſi vt ſupplex rogo, Tuam auctoritatem adiunxeris, Tibi inſita vtens benignitate, in hac accipienda tractatione, & propria, ac vera patrocinanda opinione, de inutili potu aquæ reÿciendo, vtili vero potu vini podagricis, chiragricis, & ſimilibus exhibendo; non vereor hanc aliarum tractationum mearum accuratiſsimam, & fortunatiſsimam exiſtimandam fore. Vale.

Digitized by Google

INDEX

Quæſtionum, Articulorũ, & Dubiorum præcipuorum, quę continẽtur in Tractatione de natura, & vſu aquarum potabilium, tum in ſanis, tum in ægris corporibus.

QVÆSTIO PRIMA.

De potabilium aquarum differentijs, & diuiſionibus, pag. 3.

QVÆSTIO II.

Quibus notis poſſit dignoſci bonitas, vel malitia aquarum, pag. 4.

Articulus Primus.

De communibus indicijs optimæ aquæ potabilis pag 4. An detur aqua pura, & quomodo ſit pura 6. Qua ratione aqua ſit dulcis 6. Cur aquæ optimæ dicantur odoratæ 7. Quomodo aqua ſit perſpicua 8. An detur aer intra aquã, 8. An aquæ & aeri propriè conueniat raritas, vel denſitas 9. Quænam ſit aqua leuiſſima 9. Cur celeris fiat elixatio in aqua optima 9. De aquis ſtagnantibus, de aquis magnorum fluminũ, de aqua Nili 10. De aqua Tyberis 11. 12. De aqua Neapolitana 13. Cur ſit vtilis aſſiduus aquarũ hauſtus 13. Cur vtilia plura ſpiracula in puteis, pag. 14.

Articulus Secundus.

De indicijs peculiaribus optimæ aquæ ſcaturientis 14. Cur bonæ aquæ ex profundis locis ſcaturiunt. Cur fontes ex ſublimioribus locis ſalubriores ſint 14. Cur fontes ex terreis collibus ſint ſalubriores; Cur aqua erumpens ad ſolis exortum, ſit ſalubrior. Cur aquæ optimæ hyeme ſint calidæ, æſtate frigidæ 15.

Articulus Tertius.

De notis optimæ aquæ pluuialis 16. de aquis hyemalibus, vernalibus, æſtiuis, & autumnalibus 18. de aquis niualibus, & ex liqueſcente glacie 19. Cur aqua niualis ſit craſſa. Quidnam deperdatur in congelatione aquæ 20. Cur glacies ſit aqua leuior 21.

Articulus Quartus.

Quænam ſit præſtantior aqua pluuialis, an fontana 22. Pluuiæ generatio ex Hyppocrate. Cur pluuia & niues fæcũdent campos 23. quæ aqua pluuialis facile putreſcat 24. De cauſa aquarũ mixtarum, & mineralium 25.

QVÆSTIO III.

De aquarum potabiliũ præparatione 26. An per decoctionem corrigãtur aquæ 26. Cur cinnamomi decoctio aquam reddat permixtam. Infuſio in aqua calida eſt ſpecies decoctionis 29. Cur decoctio non reddat puras aquas minerales. Quando decoctio puriorem aquam efficiat 30. Qualis debeat eſſe decoctio aquam purificans. An per deſtillationẽ aqua purificetur 31. quænam aqua reddatur deſtillatione magis pura 32. Cur aquæ deſtillatæ per alambicum plumbeum, vel traductæ p plumbeos ductus, ſint nocuæ 33. 34.

An

Digitized by Google

An aqua Neapolitana præſtantior ſit in alterãdis febribus quam aqua deſtillata. An aqua Tyberis ſit vtilis febrientibus 34. An aqua rectificentur percolatione 35.

QVÆSTIO IV.

Quibus modis aqua refrigerari poſſit 35. Cur præcalefactio iuuet ad refrigerãdum. Cur vas non plenum citius refrigeretur 36. Cur, & quando aqua ſalnitro admixto, fiat frigidiſſima, & valde refrigeret 38. An aqua fluat ratione caloris, an propter humiditatem 43. Salnitrum eſt potentia paſſiua & actiua calidum 46. Combuſta lotione aquæ remanent frigida 48. Qua ratione ſalnitrum poſſit dici de genere combuſtorum 49.

QVÆSTIO V.

De potabilis aquæ Viribus, & effectibus 49. An aqua potabilis ſit facultate frigida, & humida 50. Cur balnea aquæ dulcis inferant ſitim 51. Quando humiditas oriatur à calore 52. An aqua pluuialis ſit aſtringens 53. Cur aqua pluuia lædat pectus, & vocẽ 54. An aqua nutriat 54. Quomodo aqua vires recreet 55. An ex odorabilibus nutriamur, & reficiamur, & quo modo 56. An piſces nutriãtur aqua Cur moriantur extra aquam. An plantæ nutriantur aqua, & cur plantarum folia languentia vireſcant pluuia decidentẽ 57. Quomodo aqua dicatur humeſcere. Cur fame morientes, magis perdurent, ſi aquam bibant 58.

QVÆSTIO VI.

De Vſu aquæ potabilis in corporibus ſanis.

Articulus Primus.

Quibus naturis, ſeu complexionibus in ſanitatis latitudine exiſtentibus conueniat aqua potus 59. An frigidæ potus, & frigida lotio impediant incrementa puerorum 62. An ceteris animalibus conueniat vini potus. Cur quædam animalia parum bibant 63. Quibus pueris vtilis ſit aquæ potus, et Platonis explicatio dum aquam præcipit bibendam vſque ad annum decimumoctauum 65.

Articulus Secundus.

De tempore potandi frigidam in ſanis corporibus 65. Quæ ſit ſitis ſuperficialis, & exigua. An & quando noctu competat aqua potus 66. An & quando à ſomno, & ieiunis competat aquæ potus. An & quando à cibo, & à cœna liceat bibere frigidam 67. An qui aquam naturaliter bibunt, debeant frequenti potu aquæ vti in prandio, & cœna 68. An & quando ab exercitationibus, & balneis ſit aqua bibẽda 69. Error ludentium parua pila, & aquam bibentium. Error poſt balnea, & ſudores bibentium frigidam ex niue 71. Cur ſtatim ab exercitio edentes, & bibentes gracileſcant. 71. Quo anni tempore cõueniat aqua potus 72.

Articulus Tertius.

In qua menſura, & in quo gradu ſit frigida exhibenda 73. Varij morbi prouenientes ex potu aquæ frigidiſſimae ex niue 75. A circumpoſita niue aqua ſiccitatem recipit 76. Vtilior eſt refrigeratio ex aqua, & niue. Vtilior refrigeratio ex niue, quã ex ſalnitro. Vtilius bibitur vinum quam aqua niue refrigerata 77. Decocta aniſi, cin-

cinnamomi, &c. niue refrigerata utiliter bibuntur 78. Quibus ventriculis conferant aqua cruda 80. Potus frigida ex niue, valet ad febrium præcautionem æſtiuo tempore 81.

QVÆSTIO VII.

De Vſu aquæ potabilis in agris corporibus 82.

Articulus Primus.

Quibus morbis conueniat aquæ potus 82. An aqua potus per ſe competat febribus 82. An in ventriculi calida intẽperie competat frigida potus 83. An in hepatis calida intemperie competat potus frigidæ. Cur potus frigidæ, & peponum eſus, quandoq. diarræas ſanent, quandoque contra efficiant 84. An morbis frigidis humidis competat potus frigidæ. An partibus exiſtentibus imbecillis, & frigidis, competat frigida 85. An in inflãmationibus cõueniat potus frigidæ 86.

Articulus Secundus.

An in podagra, & quolibet morbo articulari conueniat potus frigidæ pag. 86. Podagra, & arthritis pẽdet ex craſsis ſuccis 89. Cur morbi diuturni terminentur per abſceſſus in articulos. Cur in articulis generentur lapilli, phlegmone, & inflammatio pendet ex craſsis ſuccis 90. Differentia inter inflammationem, & eryſipelas quo ad frigidæ potũ. In curatione eryſipelatis primo intenditur refrigeratio 91. An detur podagra ex puro eryſipelate 92. Quomodo ab aqua potu aliqui iuuentur podagrici 93. Quando in doloribus, & quomodo conueniunt extrinſecus refrigerantia.

Articulus Tertius

De tempore exhibendi frigidam in morbis, quibus conuenit frigidæ potus 95. An in principio acceſsionis conueniat frigida 96. Ratione intenſæ ſitis in principio morbi, & acceſsionis conuenit potus frigidæ 97. Quibus in febribus à principio ſit aqua potanda, & nutriendum. Cur in eryſipelate refrigerandi indicatio ſuperet vacuandi ſcopum 98.

Articulus Quartus.

De gradu, & menſura frigidæ exhibendæ in morbis, quibus conuenit potus frigidæ 99. Quæ ſit potio valde multa, quæ certatoria, ſeu agoniſtica. 99. Tempore frigido Gal. dat vini potum in febre. Cur peſsimæ febres in ſtatu cœli frigido 100. An potus frigidæ ſimul multæ conueniat calidis ſiccis, & ſquallidis, & in hecticæ febre. An ſit conſuetudo inſpicienda in frigida exhibenda 101. Improbatio & ægrorum, & medicorum adulantium ex Galeno. An febrientibus Gallis, & Germanis ſit danda frigida 102. ex Gal. homo habens cunctas vires valentes, non eſt ſenex 103.

Digitized by Google

FRANCISCI ANTONII
CASERTAE NEAPOLITANI
TRACTATIO
De Natura, & vſu Aquarum Potabilium, tum in ſanis, tum in ægris Corporibus.

AQVEI Elementi immenſa moles in Mari cernitur, quod inter Terram, Aerem, & Ignem interpoſitum eſt, non ſolum in Ariſtotelis, & communi ſententia, cui ſublunaris ignis ſupra aerem, arriſit opinio; ſed etiam iuxta Platonis, & Galeni placita 8. de vſu par. c. 9. in princ. qui etiam lib. de multitud. c. 3. ante fi. ex Stoicorum ſententia aerem, & ignem continere, aquam, & terram contineri docet. Ex mari, iuxta veriorem doctrinam, dum aquæ portio per varios terræ anfractus, & ductus percolatur, ſalſedinem ſiue congenitam, ſiue ex ſolis radijs ortam, ſiue alia ratione profectã, amittit; & vel dulcis ad terræ ſuperficiem erumpit, vel alienas adepta qualitates, ſiue odorabiles, ſiue guſtabiles, ſiue alias: hinc aliæ ſulfureæ, bituminoſæ, aluminoſæ, &c. aliæ calidæ, fœtidæ aliæ, & grauis odoris, aliæ veneficæ oriuntur aquæ, varioſque effectus producentes. quos nos tum in Inſula Aenariæ, tum Puteolis in dies experimur. Et alij in alijs locis conſpiciunt, & varij ſcriptores deſcribunt, potiſſimum Auctor libri de bonitate aquæ c. 3. in fi. quo loco variarum aquarum meminit, quibus bibitis, homo vel moritur, quo fit vt per eas aues non transuolent, vel dentes excutiuntur, vel infœcunditas tribuitur, vel furor inducitur, vel caput depilatur, vel temulentia traditur, vel pedes doloribus afficiuntur, vel contra pedum dolores ſedantur; vel vini odor inimicus redditur. Nos in hac tractatione de dulci vulgo dicta aqua

Datur ignis elementum ſupra aerẽ, in Galeni, Platonis, & ſtoicorũ ſẽt.

Variarum aquarum varij effectus

Digitized by Google

tantum agimus;quæ vt inquit Auctor lib.de ren.aff. dignot. & med.c.7.init.tam ſanis, quam ægrotantibus commune eſt ſolatium,& maximopere neceſſaria. Hanc etiam aquam dulcem non vt elementare,& ſimplex corpus eſt, conſiderabimus,prout ſcilicet indiuiſibile eſt corpus in alia corpora ſpecie differentia, ſicut contra in corpora ſpecie differentia diuiditur corpus mixtum,qua in re cum Ariſtotele 5. meta. 4.conuenit Galenus 8. de decret. Hypp.& Plat.c.2. Neque inſpiciemus, An aquæ ſecundum naturam elementarem ſpectatæ,ſumma competat tum frigiditas,tum humiditas;quam opinionem ſectatus eſt Galenus 1.de elem.c.6.poſt med.inquiens (in his ſolis inuenies impermixtas,& ſummas qualitates,ſummam quidem in igne caliditatem, & ſiccitatem; ſummam vero in terra frigiditatem,& ſiccitatem, & aliarum vtramque ſecundum propriam naturam.) Neque An frigiditas ſumma, & humiditas ſumma ſit aquæ forma ſubſtantialis. Quod videtur concedi,& aſſeuerari à Galeno, dum à ſummis qualitatibus materiæ primæ aduenientibus, ait elementa conſtitui;Sic enim inquit loco cit.(nam quod ſit igne ſimplicior caliditas ſumma,& quod hæc materiæ adueniens, ignem conſtituat,omnes Philoſophi conſenſerunt.) Quod idem pariter de ceteris elementis Philoſophatum eſſe Galenum, putandum eſt. Neque tandem An aqua purum ſit elementum,& alia plura phyſicæ tantum ſpeculationis propria, ex profeſſo pertractabimus;ſed tantum ea,quæ de aqua ſciēda ſunt,prout ad potum eſt vtilis, ex profeſſo annotabimus. Quæ certe tum medicis, tum omnibus hominibus ſunt ſcitu maxime vtilia. Etenim plurima damna ab aquis proueniunt, de quibus Hyppocrates lib.de aere,aquis, & locis c.3.4.5. quin etiam vniuerſales ſolent morbi ab aquis oriri,vt habetur ex Gal.in 1.de morb.vulg.comm.1.in proœmio;& plures affert vtilitates aquæ legitima potio, vt conſtabit ex dicendis.

Elementa ſunt indiuiſibilia in alia corpora ſpecie differentia, in Galeni ſentent.a.

Elementis competunt ſummæ qualitates in Galen. doctrin.

Elementorū formę ſubſtātiales,ſūt ſūmæ qualitates in Gal. opin.

QVAE-

QVAESTIO PRIMA.

De potabilium Aquarum differentijs, & diuiſionibus.

Concluſio. Potabilis aquæ bona,& adæquata diuiſio eſt, vt alia ſit ſponte naſcens,ſeu ſcaturiens; alia paluſtris; alia eſt aqua fluminis; alia pluuialis. Ita Gal.expreſſis fere verbis in 6.de morb.vulg. comm. 4. in tex. 19. ante med. Et Concluſio. Probatio.

Probatur,quia præter has aquarum differentias nulla eſt, & omnes ad prædictas reuocantur. Confirmatur primo,quia ex quadruplici hac aquæ diuerſitate aquarum diuerſitas,malitia,& bonitas colligitur,& dignoſcitur,vt dicetur; quare vtilis eſt,& bona diuiſio. Confirmatur amplius, quia quatuor prædictarum aquarum, & non aliarum meminit Hyppocrates de aere,aquis,& locis,præcipue,& ex profeſſo c.3. vbi de aquis lacuſtribus,& ſponte naſcentibus agit.c.4. vbi ſermonem habet de aquis pluuialibus. & c. 5. vbi loquitur de aquis flumineis. Ergo bona eſt aquæ diuiſio. Sed contra. 1. Confirm. 2. Confirm. Obiectio.

Obijcies,quia alia apud Hyppocratem eundem leguntur potabilium aquarum diſcrimina; aliæ enim ſunt aquę arte carentes,aliæ temporariæ,aliæ procelloſæ,vt in 6. de morb. vulg.par.4.tex.19. Ergo inſufficiens, & inadæquata tradita diuiſio aquarum. Præterea prædictis aquis videtur debere addi aqua fontana, qua maxime vtili Neapoli fruimur, & Romæ etiam Galeni tempore fruebantur, vt ipſe teſtatur in 6.de morb.vulg.comm.4.in tex.10. in med.inquiens.Romæ fontium elegantia,& multitudo, eſt admirabilis. Tales autem aquæ non ſunt paluſtres,nec fluuiatiles,nec pluuiales, vt ſatis patet,nec etiam ſponte naſcentes, ſed per longos aquæductus inuehuntur,ergo inſufficiens allata diuiſio.

Reſpondetur prædicta allata ab Hyppocrate aquarum diſcrimina non eſſe diuerſa à differentijs aquarum allatis in Reſponſio.

Concluſ. ſed eſſe ſubdiuiſiones illarum; omnis enim aqua, ſiue ſit ſcaturiens, ſiue fluminea, ſiue pluuialis, ſiue ſtagnans, & ſtabilis, aut eſt arte carens, qualis ex ſtagno, puteo, fluuio, fonte colligitur; aut eſt artificioſa, qualis eſt aqua decocta. Temporaria etiam, & procelloſa aqua eſt differentia ſolius pluuialis aquæ, vt conſtat legenti Galenum in cit. lo. Hypp. & dicetur infra. Vnde patet nihil hinc contra concluſionem inferri, in qua adæquatam, & ſufficientem diuiſionem; non ſubdiuiſionem aquarum tradidimus; Fontis etiam, ſeu fontana aqua ad ſcaturientis, & ſponte naſcentis aquæ reducitur membrum; licet enim non in loco originis colligatur, ſed per longos ductus inuehatur, ita inuehitur, vt non recipiat alienas qualitates, & mixtiones ſicut fluminea, à qua idcirco diſtinguitur; ſed talem, qualem habet vbi oritur, ſeruat inuecta qualitatem, & à ſe ipſa, vbi oritur, trãslata aqua; & per artificioſos fontes erumpens, non diſtiguitur.

Cur fontana aqua ad ſcaturientẽ aquã reducatur.

QVAESTIO SECVNDA.

Quibus notis poſſit dignoſci bonitas, vel malitia aquarum.

ARTICVLVS PRIMVS.

De communibus indicijs optimæ aquæ potabilis.

CVm omnis aqua ad bibendum idonea, eſſe poſſit vel ſtagnans, vel fluminea, vel ſcaturiens, vel pluuialis, vt dictum eſt quæſtione præcedenti; ſigna communia, quibus habitis, vnaquęque ex his aquis eſt optima ad potus vſum, primo inquirimus. Sit igitur.

Concluſ. Concluſio, optimæ aquæ potabilis, quæcumque ea fuerit, plu-

plura ſunt indicia; Ea ſunt, vt aqua omnis ſit expers qualitatis, ſiue quæ ad guſtum, ſiue ad olfactum, ſiue ad viſum pertineat; quapropter aqua optima, & potabilis nullum debet habere ſaporem, vel odorem, vel colorem; Item debet eſſe pellucida, ac pura; Item debet cito calefieri, & refrigerari, & eſſe leuiſſima; hoc eſt, non debet grauare ventrem, ſed facile, ac celerrime debet diſtribui, & hypochondria pertranſire. Colliguntur ex Galeno 2. de alim. fac. c. 2. poſt med. & c. 3. circa princ. 1. de ſimpl. med. fac. c. 5. 1. de ſan. tuen. c. 11. in med. in lib. Hypp. de rat. vict. comm. 3 in tex. 40. 5. aph. in aphoriſm. 26. & alibi ſæpius potiſſimum autem, & ex profeſſo lib. de ptiſſana c. 2. Hanc eandem doctrinam aſſerunt, & ſequuntur Auctor lib. de bonitate aquæ in proæm. & c. 1. Auicen. in 1. fen. 2. doctrina 2. ſum. 1. c. 16. ibidemque Gentilis.

Probatur Concluſio ratione, quam inſinuat Gal. lo. cit. 5. aph. & de ptiſſana. Aquæ potus ad cibi, tum coctionem, tum diſtributionem eſt à natura tributus; eius igitur aquæ potus optimus eſt, quæ eſt maxime tenuis; tenuitas enim facit vt & aqua ſit facile alterabilis, & facile permeet, vt patet in aere, qui propter tenuitatem, & raritatem magnam facile ad contrarias qualitates permutatur, & corpora omnia peruadit. Sed aqua prædictas habens conditiones, eſt maxime tenuis, ſincera, & pura; habens enim ſapores, vel odores, vel turbulentiam, impurior eſt, & conſequenter minus tenuis, ergo prædictis prædita conditionibus aqua, eſt optima ad potus vſum, & animantium generi ſaluberrima. Probatio.

Obijcies primo, non datur aqua ſincera, omnis mixtionis expers, ſicut neq; terra, nec ignis, nec aer, vt Galenus etiam aſſerit 1. de elementis c. 5. ſatis ante fin. Ergo neque dari poteſt aqua omnino pellucida, omniſque expers ſaporis, vel odoris. Reſpondetur dupliciter peccare argumentationem. Primo enim conceſſa impuritate aquæ, mixtioneque elementorum omnium quo ad qualitates, quæ ex mutua ipſorum 1. Obiectio. Reſponſio.

rum ad inuicem mixtione neceſſario oritur, non neceſſario ſequitur aquam debere habere odorem, vel ſaporem, ſicut multa ſunt mixta omnino inodora, & inſipida.

An detur aqua pura, & quomodo ſit pura.

Secundo mixtio, & impuritas, quæ aquæ optimæ conuenit, non quidem ſecundum naturam ſuam ſpectatæ, ſed prout ad potus vſum deſeruit, vt Galen. ipſe fatetur lo.cit. de ptiſſana, & fuſius ac clarius 1. de ſimpl. med. fac. c. 5. eſt quo ad ſenſum minima, ac potius inſenſibilis; pariterque ſi ex mixtione oriatur qualitas vlla, debere etiam eam eſſe inſenſibilem. De aqua autem hic prout ad vſum, & ſenſum pertinet, agimus, non de aqua ſecundum propriam naturam ſpectata, quod etiam Galenus aduertit locis mox citatis, præcipuè 1. de ſimpl. med. fac. cap. 5. vbi ita inquit. (Igitur aqua, quæ abſque his eſt omnibus, vt ad naturam certe ne ipſa quidem adamuſſim ſincera fuerit, ſicut nec aliud vllum elementorum ſenſibilium, ſed vt ad ſenſum, & vſum ſincera eſt.)

2. Obiectio.

Obijcies Secũdo, quia omnes dulcedinẽ quandã, & delectationem, potiſſimum ſitientes, videmur experiri, optimam potantes aquam; Et communiter aqua optima, dulcis appellatur, ergo non eſt aqua omnis expers ſaporis, cum ea eſt optima.

Reſponſio.

De duplici acceptione vocabuli dulcis, & qua ratione aqua ſit dulcis.

Reſpondetur, Dulce, aliquando ſatis late ſumi, pro omni eo, quod ſuaue, iucundum, & familiare linguæ exiſtit, Item pro eo, quod delectat, ad naturæ ſtatum perducit, & violentarum paſſionum remedium eſt, ac medela; vt ex Platone docet Galenus 1. de ſimpl. med. fac. c. 35. ante fin. & 4. de ſimpl. med. fac. c. 10. vbi fuſe docet cibum duplici ratione poſſe eſſe iucundum, & quod impleat euacuatum, & quod quandoque medeatur ei, quod alteratũ eſt. Et hac rõne nequit negari, quin aqua optima ſit dulcis potiſſimũ ſitientitibus; quos ejiccatos, & calefactos inſita frigiditate, & humiditate ad naturalem habitum reuocat, ſaltem per aliquod temporis momentum, & dum aqua bibitur. Atque hac ratione

tione etiam iucunde quandoque guſtamus acida, quandoque auſtera; Et iniucunda apparent dulcia, cum ſcilicet habitus corporis,& linguæ bilioſus extiterit, cui non eſt familiaris quæ vera,& propria eſt dulcedo; quæ doctrina eſt veriſſima, vt docet experientia,& expreſſe aſſeritur à Platone, cuius verba Galenus refert lo. cit. Secundo accipitur dulce, pro poſitiua quadam qualitate guſtabili diſtincta ab alijs ſaporibus, de qua dicemus ſequenti tract. de vino q. de vino dulci, quæ diuerſam habet temperiem, & facultatem à ſaporibus acidis, acerbis, auſteris, &c. Et hoc modo omnino negandum eſt aquam eſſe dulcem, quam tamen communiter dulcem appellitant, vel iuxta primam acceptionem, quia iucunda eſt, ſitientibus naturalem ſtatum reuocans; vel quia dulcis eſt reſpectu aliarum aquarum, quæ quoniam aut ſalſæ, aut bituminoſæ, aut acres, aut alterius ſunt extremi ſaporis, potui non ſunt vſui,& conſequenter dulcis eſt aqua optima, non per poſitiuam qualitatem; ſed per negationem omnium qualitatum euidenter guſtabilium. Qua ſimili ratione odoratæ dici ſolent ab Hyppocrate aquæ optimæ,& ſaluberrimæ, lib. de aere, aquis,& locis c. 3. circa med. quia ſcilicet carent omni poſitiuo odore. Cur aquæ optimæ dicantur odoratæ

Obijcies tertio, ſplendor aquæ, eſt qualitas pertinens ad viſum,& optimæ aquæ maxime conuenit, ergo male diximus optimam aquam debere eſſe expertem omnis qualitatis etiam viſibilis. Reſpondetur aquæ ſplendorem eſſe quidem optimæ aquæ conditionem,& qualitatem optimam, negatur tamen conſequentia. Neque enim omnis qualitatis viſibilis debet eſſe expers aqua optima, ſed eius, quæ impuritatem denotat aquæ, talis autem eſt color, vel turbulentia; perſpicuitas vero puritatem maximam ſignificat. Adde etiam propoſitionem, qua dicitur aqua optima debere eſſe expers omnis qualitatis viſibilis,& guſtabilis; debere intelligi de qualitate, quæ inſit,& permanet in aqua, permanens autem in aqua non eſt ſplendor, ſed ab extrinſeco Solis pendens

3. Obiectio. Reſponſio. De ſenſu propoſitionis, aquā debet eſſe expers omnis qualitatis viſibilis.

Quomodo aqua fiat perſpicua, & an luminoſa ſit rōne aeris.

dens lumine, vt Galenus etiam docet in 6. de morb. vulg. comm.4.in tex.10.ante finem, vbi quoſdam arguit putantes aquam fieri ſplendidam ob aeris admixtionem. Tum quia, vt Galenus inquit his verbis (pura aqua ſplendida conſpicitur non aliquo extrinſeco radio ſplendido in ipſam incidente,hoc eſt,non aere illuminato, & radioſo ipſam ingrediente,vt fortaſſe vulgus poſſet exiſtimare; ſed ab occurrente lumine permutata,quemadmodum aer ipſe.) Tum quia in aqua, cum ſit ſibi ipſa continua quoquo verſum, non datur vacuitas vlla,ſeu inane ſpatium, quale eſt in pumiceo lapide, in quo aer contineatur; quare non poteſt ab aere ſibi admixto, ſeu propter aeris admixtionem fieri luminoſa aqua.

Inſtantia.

An detur aer intra aquam

Inſtabis contra hanc ſecundam Galeni rationem. dicere ſolemus aquam raram,aquam denſam,ergo aqua alia eſt magis poroſa, alia minus: rarum enim eſt, quod poros magnos obtinet, denſum è diuerſo, quod paruos habet poros; ergo in aquæ poris datur aer,alioqui daretur vacuum. Confirmatur hæc ratio,quia vt inquit Auctor de vtilitate reſpirationis; aqua cum congelatur,fit minor, propter aeris expreſſionem. Confirmatur amplius. quia vt diximus tract. de motu animali,quæſt.de reſpiratione art.An piſces reſpirent, ex Gal.6.de vſurpat.c. 9.piſces, qui carent pulmonibus, per branchias aerem alliciunt; ergo datur aer intra aquam, quem per branchias piſces intra aquam tranſpirant.

Inſtantiæ dilutio.

Reſpondetur,ex hoc argumento,ſi quam illud habet vim; probari tantum in aqua non quidem ſecundum naturam ſuam ſpectata,ſed prout reperitur impura, & contrarijs elementis alterata,dari ad mixtam aliquam aeris portionem; vnde non ſequitur ob aeris admixtionem fieri ſplendidam, tum quia aqua ſecundum ſe, & ſecundum propriam naturam eſt Diaphana,& illuminabilis; tum quia admixta aeris portio in aqua,puſilla eſt,non magna,cuius ratione non poteſt maxima aquæ moles illuminari. Qua etiam ratione di-

catur

catur tum aqua,tum aer rarus,& denſus; Legendus Gal. 2. de ſan.tuen.c.5.vbi elementa abuſiue non proprie rara, & denſa dici docet;quando elementa poros,& meatus non habeant,ſed ſint vnita, & ex ſimilaribus natura partibus conſtent,& proprie eorum raritas ſit laxitas quædam; denſitas vero ſit coactio quædam.quæ doctrina veriſſima eſt, alioqui in aeris rarefactione,& condenſatione, vt loqui conſueuerunt,darentur pori nunc maiores, nunc minores, & conſequenter daretur vacuum contra peripateticam, & communiſſimam,ac veriſſimam doctrinam.

An elementis,potiſſimè aquæ, & aeri conueniat proprie raritas, & denſitas.

Obijcies quarto, datur aqua, quæ nullos habet ſapores, odores, colores, & eſt perſpicua, nec tamen eſt optima, vt teſtatur Galen. in 6. de morb. vulg. comm.4. in tex. 10. inquiens dari aquas carentes ſenſibili vitio, cũ ſint perſpicuæ, carentes ſenſibili ſapore, vel odore, & tamen ex aeris corrupti mixtionẽ aquæ vitium ineſt, aut aliud quidpiam aquæ ingenitum ab ignota cauſa proueniens; ergo diminuta eſt enumeratio conditionum aquæ, quas in concluſione attulimus.

4. Obiectio.

Reſpondetur negando conſequentiam, præter enim allatas in obiectione conditiones, additæ ſunt aliæ in concluſione,ſcilicet vt cito refrigeretur,& calefiat, & ſit leuiſſima, quibus notis vt docet Gal.lo. cit. optime diiudicatur aqua an ſit optima; nequit enim aqua vitioſa cito calefieri, ac refrigerari,& eſſe leuiſſima, vt explicatum eſt. Quod ſi quis ne queat propria experientia facere periculum, an aqua ſit leuiſſima,quæ ſcilicet,non grauet hypochondria, is ad artificium,quo aqua bona redditur,animum conuertat,de quo infra; Vel certe ab incolis percontetur, vt monet etiam Auctor lib.de bonitate aquæ cap.3. in fin. Addit etiam Galen. aliud ſignum aquæ optimæ. ab oleribus, aut leguminibus, hoc loco, aut fructibus, aut carnibus, aut radicibus in ipſa aqua incoctis; ſiquidem in optima aqua celerrime, in vitioſa tardiſſime elixantur. Cuius rei ratio eadem eſt cum-

Reſponſio.

Quæ ſit aqua leuiſſima.

In aqua optima cur celeris fiat elixatio.

tradita de aqua,quæ cito calefit,& refrigeratur, cum enim in aqua cito elixantur prædicta, ſignum eſt aquam eſſe tenuem,& facile alterabilem,& permeabilem res, quæ idcirco in ipſa coquuntur facile; contra vero cum tarda ſit prædictorum elixatio; denotatur aquam eſſe craſſam, difficile alterabilem, ac difficile permeantem coctilia,quæ idcirco difficulter coquuntur.

1. Corollarium. Aquę ſtagnātes ſunt omnes malæ.

Ex dictis in hac concluſione colligo primo aquas ſtagnātes, & lacuſtres, eſſe omnes malas, & inſalubres. Cuius rei rationem docet mirus Hyppocrates de aere, aquis, & locis c. 3. & 5. quia cum ſint ſtabiles, ab æſtiuo calore redduntur ſatis calidæ, craſſæ, olentes, bilioſæ; ab hyeme vero redduntur glaciatæ, turbidæ, frigidæ, pituitoſiſſimæ, proindeque varios morbos ibi enumeratos procreant. Confirmatur,quia vt ex Ariſtotele diximus noſtra tract. de febribus q. 6. ſect. 3. art. 2. & ex Gal. ibidem ſect. 2. ar. 4. immobilitas eſt cauſa putredinis, & idcirco immotę veſtes putreſiunt; Cum igitur paluſtris aqua ſit ſtabilis, & inmobilis, ad putredinem facile accedit.

2. Corollarium. Magnorum fluminum aquę ſunt inſalubres.

Collige ſecundo, aquas magnorum fluminum etiam eſſe prauas, & inſalubres. ſtatuitur hoc Corollarium etiam ab Hyppocrate lo. cit. c. 5. Et ratio ab eodem aſſignatur, quia in magna flumina,ſicut in ſtagna fluxiones multæ omnis generis fiunt, & aquarum pluuialium, & aliarum, quæ neceſſario diuerſarum ſunt qualitatum, quapropter & turbidæ, & craſſę ſunt, ac morborum cauſæ vel in veſica, vel in renibus, vel in alia quauis parte, niſi certe talem bibens aquam,aluū natura habuerit ſatis fluidam, & ſanam, pariterque veſicam totam, vt fuſe habetur lo. cit. de ære, aquis, & locis c. 5.

Inſtantia.

Dices, Nilus eſt vnus ex maioribus totius orbis fluuius, & tamen eius aqua eſt maxime laudabilis, vt paucis admodum fluminibus in bonitate aquę comparandus videatur. Nam

De aqua Nili.

ventrem ſubducit, mulieribus purgationes citat, & in puerperio bibitur, vt teſtatur ſe vidiſſe Auctor lib. de bonitate

aquæ

aquæ c. 3. ante med. Amplius ex eodem Auctore lo. cit. in Aegypto ſunt paludes ſalubres, quod aqua non putreſcat, quia non ſupercaleſit; & autumno Nilus paludes replendo, antiquam aquam extrudat; & aliam recentem in eius locum reponat; ergo falſa ſunt hæc duo poſita corollaria.

Roſpondetur ex Gal. 1. de ſimpl. med. fac. c. 4. in fi. Nili aquam limoſam eſſe, ac compoſitam, puramque effici, dum per fictilia vaſa percolatur, vnde conſtare debet Nili aquam, nullo artificio adhibito, non eſſe optimam, nec ſaluberrimã, ſicut quia limoſæ, & mixtæ ſunt magnorum fluminum aquæ, & quę paluſtres ſunt, non bonæ ſunt ad potus vſum, & inſalubres. Quod ſi Nili aqua detrimentum non afferat Aegyptijs, Aetiopis, alijſque, quas percurrit regionibus; Id vel ad artificium, quo vtuntur in aqua Nili pura reddenda, referendum eſt; vel ad aeris benignam naturam, & ſalubrem illarum regionum, qua quod prauum ab aqua craſſiori corporibus tribuitur, adimitur propria aeris tenuitate, & ſiccitate. Vel certe ad aſcititiam qualitatem, quã Nili aqua ex varijs aromatum ſpeciebus, quas defert, vt aiunt, accipit, quarum vi, & facultatẽ propria craſſities, & limoſitas obtũditur, & corporibus ſalutem tribuit, eaq. efficit, quæ in obiectione allata ſunt. quæ noſtris non obſtant corollarijs, quæ loquuntur de aquis ſtagnantibus, & magnorum fluminum ſecundum ſe inſpectis, nulla arte, vel alia ratione permutatis, & praeparatis, de qua re dicetur infra. *Inſtantiæ diſſolutio.*

Colligo tertio, Tyberinam aquam toto eo tempore, quo in vaſis, ſeu alibi repoſita, deponit aliquid, quod ſubſideat, eſſe ad potum ineptam, & inſalubrem. Conceditur ab omnibus, qui de aqua Tyberis ſcripſere, etiam Petronius lib. 2. de victu Romanorum c. 5. Et ratio manifeſta patet ex dictis; quæ enim deponit fœculentiam aqua, craſſa eſt, & limoſa, quę inſalubris eſt, & plurimorum morborum cauſa. Confirmatur, quia aqua Tyberis ex varijs admodum aquis miſcetur, & componitur tum ſtagnantibus, tum pluuijs, tum flu- *3. Corollarium.* *De aqua Tyberis.*

nialibus aluminoſis, ſulphureis, craſſis, viſcidis, quæ miſcela aquas reddit magnorum fluminum inſalubres, vt conſtat ex Hyppocratis doctrina allata coroll. 2. & toto eo tempore, quo aqua ſubſidens aliquid deponit, ſemper permanet in aqua talis mixtio ad vitam noſtram inutilis, & ad noſtrum potum inſalubris. Vnde etiam fit, piſces, qui in Tyberis flumine naſcuntur, quos Tyberinos vocant, teſte Gal. 3. de alim. fac. c. 30. prauos eſſe, quod maximum indicium eſt aquę malitioſæ. Cum vero Tyberis aqua ſiue in ciſternis, ſiue alibi repoſita, non amplius deponit quidquam, atq; idcirco omnino facta eſt pura quo ad ſenſum, & pellucida, expers omnis ſaporis, odoris, & coloris, tenuiſque, vt non grauet hypochondria; quæ omnia poſt ſextum menſem contingere, teſtatur idem Petronius loc. cit. Non video, cur aliqui contra Petronium contendant, aquam Tyberis inſalubrem eſſe, nocuam, & calculoſam; Si enim verum ſit, poſt ſextum menſem mox prędictas conditiones acquirere aquam Tyberis; ex dictis in concluſione patet, conditiones optimae aquę, iam aduenifſe aquę Tyberis. Neq; quidquam in contrarium afferri poteſt; quę enim afferuntur à quibuſdam, ſolum probant, aquam Tyberis eſſe nocuam, & malam ante depurationem, q concedendum eſt; & concedit Petronius. Sed.

Quando ſit ſalubris aqua Tyberis.

1. Obiectio. Obijcies obiter, mirum videri, ſi bona ſit, & fuerit Tyberina aqua poſt ſextum menſem depurata, & expurgata; illam Galenum, cum diu Romę vixerit, non agnouiſſe, nec commendaſſe, cum tam fontium aquas, & elegantiam, quæ Romæ extabant ſuo tempore, mirificè laudauerit. 6. de morb. vulg. com. 4. in tex. 10.

Reſponſio. Reſpondetur ob allatam rationem non debere videri mirum, quod obijcitur; Cum enim tunc temporis Romæ eſſet copia bonorũ, & elegantium fontium, non habebatur vlla ratio aquæ Tyberinæ poſt ſextum menſem ſeruandæ ad vſum vtilis; id quod putandum eſt tunc temporis ne obſeruatum quidem eſſe, cum nulla eſſet Tyberinę aquæ neceſſitas.

Cur Galenus numquã laudet aquam Tyberis.

Obijcies

Obijcies amplius, aqua Tyberina non ſolum poſt ſex mẽ-ſes, ſed ſemper aliquid ſegmenti deponit, vt putat Colutius de quærelis nephriticis lib.3.dubitatione 1. ergo ſemper eſt praua, & ad vſum potus inutilis. Reſpondetur, antecedens aperte negari à Petronio, cui maxima adhibetur fides à Romanis tum Principibus, tum cæteris, quam etiam fidem in hac re nos ſequimur, quouſque diuerſam experientiam conſpiciamus; & idcirco illam ſupponentes, ſtatuimus aquam Tyberinam, vbi fuerit expurgata omnino, eſſe ad potum vtilem; Si enim falſum fuerit aquam Tyberis omnino expurgari, Colutij opinionem veram eſſe, non eſt dubitandum. 2. Obiectio. Reſponſio.

Colligo quarto, aquam, qua Neapoli fruimur, eſſe optimam, & valde beneficam, omnes enim obtinet conditiones, nullam neq; coloris, neq; ſaporis, neq; odoris prę̨ferens qualitatem; Eſt etiam valde pellucida, leuiſſima, facile contrarias recipit qualitates, caliditatem ſcilicet, & frigiditatem; & in ea coctilia minima lignorum cōbuſtione facile elixantur, quod mirum viſum eſt quibuſdam. Neq; obſtat quod longo ductu vehatur, re enim vera nec ſatis eſt longus, nec in itinere aliquam recipit mixtionem vel ab aquis interfluẽtibus, vel à terris, per quas transfluit, quas ob cauſas fluminum magnorum aqua, vt dictum eſt ex Hyppocrate, eſt inſalubris. 4 Corollarium. De aqua Neapolitana

Colligo quinto. Verum eſſe, quod communiter dici ſolet, facere ad aquarum bonitatem, quæ in puteis ſeruantur, ſiue pluuiales ſint, ſiue à fontibus ductæ, ſiue ibidem ſcaturientes, ipſarum continuum hauſtum, quod affirmat etiam Auctor lib. de bonitate aquæ c.3. init. & Auic. lo. cit. cum aquas rectificari putat concuſſu. Cuius rei ratio illa eſt; Quia quæ ſtabiles ſunt, & immotæ aquæ, facilius ab ambiente alterantur, & putreſiunt, vt probatum eſt coroll. primo; aqua autem perenni exhauſtu mouetur magis vna cum ambiente, vt proinde non tam facile alterari poſſit ab externo ambientis calore, ſicuti cum quieſcit aqua. Vnde etiam colligitur 5. Corollarium. Aſſiduus aquarum hauſtus cur vtilis.

opti-

Plura ſpiracula cur vtilia puteis.

optima ratione fieri puteos, in quibus plura ſint ſpiracula per quæ facilius tum vapor, tum aer exhalat, commotuſque ventus, aut aer, eum qui ambit aquam, aerem dimouet, à quo idcirco non tam facile alteratur aqua. Atq; hæc ſatis de indicijs aquæ optimæ in vniuerſum; & de aqua lacuſtri, ſtagnante, & fluminea, ſit nunc.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De indicijs peculiaribus optimæ aquæ ſcaturientis.

Concluſ. 1.

PRima Concluſio. Scaturientis aquæ optimæ indicia peculiaria ſūt, ſi aqua ex profundiſſimis fontibus exurgat, qui ex ſublimibus locis, & terreis collibus fluant, & qui ad ſolis exortus potiſſimum æſtiuos erumpunt. Ita docet fuſiſſime Hypp. de aere, aquis, & locis c. 3. quem ſequuntur Gal. 1. de ſanit. tuen. c. 11. Auctor lib. de bonitate aquæ in proœmio, & c. 3. ante med. Auic. lo. cit. & cæteri omnes. Et

Probatio.

Probatur. Cum enim, vt dictum eſt, aquæ bonitas potiſſimum ex tenuitate, & puritate deſumatur; qui ex profundiſſimis fontibus erumpunt, & alias habent in Concluſione aſſignatas notas, tenuiores, & puriores ſunt; neque enim admixtionem recipiunt pluuiarum, & imbrium, quorum vis ad penitiores terræ partes non facile penetrat, ſed ſuperficiales alterat, & permutat. Itemque ab externo tum hyemali frigore, tum æſtiuo calore non recipiunt violentam, & prauam alterationem, quibus de cauſis ſtagnantes, & lacuſtres aquæ illaudabiles ſunt ſecundum ſe, vt dictum eſt. Ob hanc eandem rationem ex ſublimibus locis orientes fontes ſalubriores ſunt; in montibus enim, & collibus non reſident

Cur bonæ aquæ ex profundis locis ſcaturiunt.

Cur fontes ex ſublimibus locis ſalubriores ſint.

aquæ

aquæ, quo fit vt ijs nequeat fieri admixtio pluuiarum, & imbrium, ſicut in campis, ex qua mixtione vitiatur aqua; Adde etiam in locis altioribus ſurgentes aquas non priuari effluxu, & motu, quo priuantur qui in campis ſcaturiunt fontes, motum autem facere ad bonitatem aquæ, dictum eſt ſupra art. præced. in fi. Amplius ex terreis collibus naſcentes aquę ſalubriores ſunt; eſt enim terra ſicut aqua, ſua natura inſipida, quo fit vt dum per eam permeat, & percolatur aqua, non præbeat aquæ ſaporem vllum, quæ optimæ eſt aquæ cõditio, vt dictum eſt. Item nec aquæ duritiem impertit, quam dant petræ, in quibus aqua ſcaturit; quam ob cauſam loca, in quibus adſunt metalla, vel mineræ, ſalubribus etiam carent aquis potabilibus, ex eorum enim mixturā aqua magnā impuritatem recipit, & vt plurimum æſtuoſæ ſunt, vt experientia conſtat Puteolis. Tandem ad ſolis exortus erumpentes aquæ ſunt ſalubriores, in exortu enim ſol eſt tẽperatior, quo fit vt naſcentem aquam non calefaciat intenſius, vnde vitiaretur aqua, ſicut ob hanc cauſam vitioſæ ſunt aquę erũpentes ad meridiem; Et quia vt inquit Auic. lo. cit. aqua ad meridiem exurgens, meridionalibus permiſcetur ventis, & vaporibus, qui praui ſunt, quoniam videlicet calidi, & putredinales. Vnde etiam colliges rationem, cur aqua ad ſeptentrionem emergens, ſit etiam deterioris notæ. Quia frigidiores hæ ſunt, & crudiores ſole in locis his parum valente ad rarefaciendum, attenuandum, & calefaciendum.

Cur fontes ex terreis collibus ſint ſalubriores.

Cur aqua erumpens ad ſolis exortũ ſit ſalubrior aqua meridionali, & ſeptentrionali

Secunda Concluſio. Vltima nota, qua ſcaturiens aqua optima dignoſcitur, eſt, ſi hyeme calida fiat, æſtate frigida. Ita expreſſis verbis docet Hyppocrates de aere, aquis, & locis c. 3. quem ſequitur Auctor libri de bonitate aquæ c. 3. Et probatur, quia vt mox diximus, optima aqua eſt, quæ ex profundiſſimis fontibus erumpit, ob rationes allatas; Sed penitiora terræ, & profundiora hyeme fiunt calidiora; æſtate frigidiora; ergo quae aquae hyeme fiunt calidiores, æſtate frigidiores, ex profundioribus fontibus erumpũt, quod optimæ

Concluſ. 2.

Probatio.

Cur aquæ optimæ ſint hyeme calidæ, æſtate frigidæ.

mæ ſcaturientis aquæ eſt indicium. Vnde.

1. Corollar. Colligitur Primo. Aquas erumpentes ex ſuperficialibus terræ partibus vna cum temporibus commutari ad frigiditatem, vel caliditatem. Secundo. Aquas fieri frigidas æſtate, 2. Corollar. hyeme calidas, de ſponte naſcentibus aquis ex profundis locis, non de pluuialibus, aut ſimilibus, quæ ſeruantur, aquis verificari. hæ enim iuxta locorum, in quibus ſeruantur, varietatem poſſunt permutari; quæ loca poſſunt iuxta tempora variari quo ad temperiem, ſi non ſint in profundo terræ poſita. Cur autem hyeme terræ partes profundiores calefiāt, & ſimul aquæ inde emergentes, contra æſtate frigefiant; non parua eſt apud Philoſophos difficultas, & complures ad antiperiſteſim confugiunt, inter cæteros Peripateticorum Princeps Ariſt. 1. meteor. ſum. 3. c. 2. ſed ſane quamquam in his caſibus adeſt contrarij circumobſiſtentia, ab hac immediate non oritur in æſtate profundioris terræ frigiditas, itēq; aquæ, contra vero in hyeme caliditas; ſed quia æſtate tranſpirant terræ halitus calidi, quo fit vt terra, & aqua ad naturalem frigiditatem ſe reuocare poſſint, quod non efficiunt hyeme, quo tempore plurimis præcluſis non tranſpirantibus vaporibus, & exhalationibus terra calefit, & pariter aqua ex profundiori terra emergens; terræ enim partes minus abditæ, & magis ſuperficiales hyeme frigefiunt, & æſtate calefiunt, vt ſatis conſtat.

Cur hyeme penitiora terræ ſint calida, æſtate vero frigida.

ARTICVLVS TERTIVS.

De notis optimæ aquæ pluuialis.

Conclus. 1. PRima Concluſio. Pluuialis aquæ notæ optimæ ſunt ſi excreta fuerit ſereniore exiſtente aere, vel cum tonitru; non autem tempore ſummæ procellæ, aeriſque

valde

valde nebuloſi, ac nubibus opacati. Hanc Concluſionem ex profeſſo docet Gal. in 6. de morb. vulg. cõm. 4. in tex. 19. &

Probatur primo auctoritate Hypp. hoc lo. dum inquit. (aquarum arte carentium, quæ ab æthere excreta eſt, aut cum tonitru, temporaria; procelloſa vero mala) vbi per ætheris nomen docet Gal. intelligi Cœlum nos ambiens exquiſite purum: aeris vero nomine ſignificari nebuloſum ſtatum ambientis. quocirca putat Hypp. aquam pluuialem bonam, de qua loquitur, eſſe quæ excernitur puriore exiſtente Cœlo. 1. Probatio.

Probatur ſecundo ratione, quæ ex Gal. cit. colligitur. Quo tenuior eſt aqua, eo eſt melior, & ad potus vſum accõmodatior; Sed quæ ſereniore aere, aqua excernitur, tenuior eſt; ideo enim aer imbribus non opacus redditus, tunc apparet; quia halitus, qui in aquam concreſcunt, vel ventis inter ſe reflantibus, vel alia refrigerante mutatione, tenuiſſimi ſunt, ac fere inuiſibiles. Item tonitru in pluuijs perſonante; quia & nubes ad inuicem alliduntur, & vi tonitru, & erumpentis fulminis dilacerantur, quibus motibus neceſſario attenuantur, tenuior conſequenter ex nubibus, quæ tunc temporis aqua gignitur, excernitur; quare his tẽporibus excreta aqua eſt ad potus vſum magis vtilis; ſecus vero cum nimbalis eſt pluuia, in qua aer conſpiſſatus eſt vna continua, atraque nube ipſum totum occupante; atque neque tonat, neque nubium adeſt concurſus, aut inſignis conflictus. & conſequenter quæ nimbalis eſt aqua, craſſior eſt, duriorque, non ſecus ac quæ ex petris oriuntur aquæ, quæ indomitæ, & crudæ vocantur, vt Galenus omnino legendus docet lo. cit. 2. Probatio.

Secunda Concluſio. Inter pluuiales aquas non datur diſtinctio vlla bonitatis, & malitiæ ratione temporum anni, in quibus colligitur. Eſt Contra communem quendam, & vulgarem errorem, in quem incidit etiam Auctor lib. de bonit. aquæ c. 3. autumans aquas vernales, & hyemales, eſſe 2. Concluſ.

præſtantiores autumnalibus, & aeſtiuis.

1. Probatio. Probatur Concluſio. Primo auctoritate Hypp. lo.cit. qui temporariam aquam non ex verno, vel alio anni tempore denotat, vt conſtat, & Gal. in cit. lo. concluſione præced. ſtultos vocat eos, qui temporariam aquam putant eſſe verno tempore delapſam, & temporis nomine potius aeſtatem intelligi ab Hyppocrate, quam Greci oran, ideſt tempus appellant. Cui opinioni adhæret Auctor proęmij, quod eſt in lib. de bonit. aquæ, & c. 1. vbi habetur aquarum pluuialium præſtantiſſimam eſſe temporariam, ſeu æſtiualem, deinde tonitrualem, poſtremo nimbalem, idē docet Auic. in 1. fen. 2. doctr. 2. ſum. 1. c. 16. inquiens (& ex aquis quoque laudabilibus ſunt aquæ pluuiæ, & præcipue illę, quæ in æſtate eueniunt, & ex nubibus, cum quibus accidunt tonitrua.

De aquis hyemalibus, vernalibus, ęſtiuis, & autumnalib.

2. Probatio. Probatur Concluſio ſecūdo, quotieſcumq; fiunt aquæ ſereniore Cœlo, quod potiſſimum ęſtate poteſt contingere, Galeno ipſo docente, & cum tonitru, quod in fine Menſis Iulij proximo anno Neapoli vidimus, tribus fere continuis diebus, tunc poteſt aqua eſſe tempeſtiua, & opportuna, ſeu temporaria, vt Hyppocrates loquitur; Et vt idem Gal. docet, non eſt ratio, cur veris tempore effuſus imber aliqua eximia virtute prędítus ſit; ergo ratione temporum anni non eſt aliqua tribuenda bonitas maior, vel malitia aquis pluuialibus. Sed contra.

Obiectio. Obijcies ex Auctore lib. de bonit. aquæ lo. cit. Terra ſiccius euaporat ęſtate, & autumno. & aer multas habet terrę ſordes, quas pluuię purgant; tales igitur ſicciores, nitroſioreſque vt ſint, neceſſe eſt, & conſequenter duriores, minuſque vtiles.

1. Reſp. Reſpondetur hoc argumentum nullam habere vim. Primo enim multoties accidit hyeme etiam, & autumno ſiccioribus exhalationibus aerem infici, quando his temporibus ſiccior eſt anni ſtatus, & conſtitutio, ita vt hyeme, & autumno non pluuię, ſed niues ſępius decidant, & grandines, ac ſimilia

milia meteora, quę gignuntur ex plurimis admixtis ſiccis, ac terreis exhalationibus cum aqueis vaporibus, vt conſtat ex metereologicis; non igitur propter allatam rationem aquę ęſtiuę, & autumnales ſunt deteriores. Secundo exhalationes, quæ ad aerem euolant ęſtatis tempore,& autumni proximi,eſſe tenuiores, eas vero quæ aſcendunt hyeme, & vere proximo, eſſe craſſiores, vt ex prædictorum temporum calore conijci manifeſto poteſt, & conſequenter tenuiores ſunt æſtiuæ aquæ hyemalibus, ac proinde ex hac ratione hyemales pluuiæ erunt deteriores æſtiuis ad potus vſum, quo enim tenuior, eo præſtantior eſt aqua; præſtat igitur dicere, pluuiales aquas eſſe præſtantiores quæ ſereniore Cęlo, & cum tonitru, deſcendunt, ſiue hoc æſtate, ſiue hyeme, ſiue alio tempore contingat. Vnde etiam colligi poteſt diſtinctio aquarum pluuialium iuxta regionum, & ventorum varietatem. quæ enim regiones ſereniore fruuntur cœlo, ventiſque; pluuijſque tonitribus admixtis, ſalubriorem aquã pluuialem poſſunt colligere. 2. Reſpõſio.

Atq; hinc infertur primo aperta ratio; Cur quædam aquæ pluuiales ſint ſalubriores, & meliores, alię ſecus; præter enim rationes eas, quæ ex locis, vbi ſeruantur,& ex colatorijs, aut purgatorijs vijs,per quas tranſeunt, deſumi poſſunt; vera ratio eſt deſumenda ex tempore, in quo pluuia excernitur; tempus autem vt dictum eſt, non anni eſt inſpiciendum; ſed an ſit ſerenius, an magis opacum,an cum tonitru,an ſecus propter allatas rationes. 1. Corollar.

Infertur ſecundo. Inter aquas pluuiales peſſimas eſſe eas, quę cum niuibus defluunt,qua adhuc peior eſt,quæ ex niue, liqueſcenteue glacie colligitur. quam doctrinam fuſe docet Hyppocrates de aere, aquis, & locis c. 4. poſt med. Et Probatur; Quia hæ aquæ ſunt craſſiſſimæ, propter craſſas terreas exhalationes admixtas, ſine quibus non fiunt congelationes, quæ ſunt difficile terminabiles alieno termino propter ſiccitatem. Quare niualis aqua, & glacialis eſt omnium 2. Corollar. De aquis niualibus, & ex liqueſcẽte glacie.

peſſima, huicque proxima eſt, quæ fere eandem habet generationem, & vna cum niue, & grandine per imbres excernitur.

Cur aqua nivalis ſit craſſa. Ratio ex Hyppocr.

Addit Hyppocrates lo. cit. aliam cauſam, & rationem craſſitiei aquę niualis; Quia ſcilicet per congelationem, quod in aqua eſt leuiſſimum, puriſſimum, ac dulciſſimum, diſpergitur, & ſolum remanet id, quod turbidiſſimum eſt, ac ponderoſiſſimum. probatque, quia aqua ex liquefacta glacie, ſemper eſt quantitate minor ſeipſa, antequam conglacietur. quare & ſunt Hyppocratica verba (ſignum eſt, quod à congelatione quod leuiſſimum, ac tenuiſſimum eſt, diſperditur, & non quod grauiſſimum, ac craſſiſſimum exiſtit. non enim hoc diſperdi poterit.)

1. Inſtantia.

Sed Contra hanc Hyppocratis rationem, & aſſignatam cauſam inſtabis Primo, quia non poteſt explicari, quid ſit hoc leuiſſimum, quod in aqua per congelationem diſperditur, ergo nulla eſt hæc ratio. Reſpondetur Auctorem libri de vtilitate reſpirationis ante med. putare, id quod deperditur in congelatione aquæ, eſſe aerem aquæ admixtum, & ex eius deperditione aquam fieri minorem, quam eſſet ante congelationem. quæ opinio probabilis eſt; Etenim ex dictis à nobis tractatione de motu animali q. 24. art. 6. concluſ. 2. conſtare poteſt, aerem aquæ miſceri, vt patet ex piſcium tranſpiratione intra aquam, quæ fit aere per branchias attracto, vel certe aqueo vapore intra aquam incluſo, in qua permiſceri etiam tenues exhalationes noſtrum fugientes intuitum, non eſt cur negemus, quarum expreſſionem fieri etiam in congelatione, ob ſimilem rationem affirmandũ eſt.

Dilutio.

Quid nam deperdatur in congelatione aquę.

2. Inſtantia.

Inſtabis ſecundo. Non videri poſſe per congelationem quidquam diſperdi. Tum quia fit congelatio vi frigoris; frigus autem congregat omnia. Secundo de gener. tex. 8. & 3. cęli. 74. Tum quia glacies eſt leuior aqua; huic enim ſupernatat; ergo ſignum eſt, quod leuiſſimum eſt in aqua, per congelationem non exprimi, alioqui glacies eſſet aqua grauior;

Tum

Tum quia liquido apparet, à glacie, cum liqueſcit, fumum efferri; non igitur per congelationem, ſed per liquefactionem minuitur aqua, ac tunc cum liqueſcit, quod leuiſſimum in glacie continebatur vi congelationis, & frigoris, diſperditur, & euaneſcit.

Dilutio inſtantię.

Reſpondetur non videri contemnendas has, quæ nobis occurrere difficultates ſpeculantibus de hac re, Et pro maximo viro Hyppocr. defendendo. Dicendum eſt ad primam, vi frigoris per ſe omnia congregari; per accidens vero quandoque vnum ab alio ſegregari, quando non ſunt æque congregabilia, ac idcirco cum aer, vel aereus vapor in aqua incluſus non poſſit congregari vi frigoris ſimul cum aqua, dum hæc in niuem, vel glaciem mutatur, diffluit, & diſperditur in aerem ambientem. Ad ſecundam dicendum glaciem eſſe aqua leuiorem non ratione aeris, & aerei vaporis, ob cuius defectum glacies eſſet grauior aqua, ſed rõne terrearum exhalationum ſua natura etiam leuium; cum in aerem aſcendant, quas glacies in magna copia habet admixtas, & ſine quibus nequit fieri glacies, & liqueſcente glacie, tamquam fumus aſcendunt. Ad tertiam dicendum, per congelationem minui, & diſperdi quod leuiſſimum præeſiſtebat in aqua; per liquefactionem vero glaciei efferri, & deperdi ꝙ leue per congelationem aquæ permixtum fuerat, nempe exhalationes ſiccas, ex quarum deperditione multo magis minuitur aqua, quod non putandum eſt Hyppocratem negaturum, ſed loquutum fuiſſe de leui ſubſtantia, quæ ante congelationem erat in aqua, & facit ad ſalubritatem potus; non de ea, quæ per congelationem aquæ adiungitur, & aquam ad potum minus idoneam efficit, vt dictum eſt.

Cur glacies fit aqua leuior.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

A R-

Digitized by Google

ARTICVLVS QVARTVS.

Quænam præſtantior aqua pluuialis, an fontana.

Concluſio. CONcluſio. Quælibet pluuialis aqua, quantũuis optima, eſt deterior optima aqua fontana, ſeu ſcaturiente, quo ad potus vſum. Huic concluſioni aſſentitur Auic. in 1. fen. 2. doctr. 2. ſum. 1. c. 16. & Gentilis ibidem dub. 11. ex alijs tamen principijs. Contra tamen eſt Auctor libri de bonitate aquæ c. 3. vbi habet autumnales, & æſtiuales, viribus quidem eas, quæ ſunt in terris, antecellere, vernalibus autem & hyemalibus eſſe inferiores.

1. Probatio. Probatur concluſio Primo auctoritate Galeni, qui nomine aquæ ſimpliciter, & abſolutè optimæ, non pluuialem, ſed fontanam intelligit, quæ ſupra allatas conditiones habuerit, vt patet lo. cit. de ptiſſana c. 2. & 1. de ſan. tuen. c. 11. ergo aqua fontis optima, ſeu ſcaturiente optima ſemper deterior eſt aqua pluuialis vel peroptima.

2. Probatio. Probatur concl. ſecundo auctoritate Hypp. de aere, aquis & locis c. 4. vbi cum generationem aquarum pluuialium optimarum fuſe docuerit; habet hæc verba (atq; hæ quidem aquæ optimæ ſunt ſecundum hanc rationem; verum opus habent vt decoquantur, ac excolentur; ſin minus odorem prauum habent, & raucedinis. & vocis grauitatem bibentibus inde accedere par eſt.) non igitur aqua pluuialis optima antecellit optimæ aquæ, quę ex terra erumpit; hæc enim nulla indiget pręparatione, aut decoctione, & omni ætati eſt vtiliſſima, vt Gal. docet 1. de ſanit. tuenda cit.

Aqua ſcaturiens optima omni ætati eſt vtiliſſima

3. Probatio. Probatur concl. tertio ratione quia pluuialis eſt magis impura, aqua vero fontanæ eſt purior; ergo hæc illa eſt ad potus vſum vtilior, & melior; Conſequentia patet. Antecedens

cedens

cedens probatur Primo ex pluuiæ generatione, quæ vt docet Hyppo. ex profeſſo loc. cit. fit attractis à ſole vaporibus, ex aqua tum maris, tum fluminum, tum lacuum, tum veſtium humidarum, & vniuſcuiuſq; rei humidæ, iiſque congregatis in aere, tum contrariorum inter ſe vi ventorum, tum nebularum ad inuicem alliſione, atque ita in aquam iterum mutatis, ac deorſum prorumpentibus. Vnde patet ex plurimarum rerum, ac diuerſarum inter ſe materia humida conſtare pluuialem aquam, & vt Hyppocrates elegantiſſime loquitur, ex plurimis congregata eſt, ac permixta; vt citiſſime putreſcat; quæ non ſunt in aqua fontis optima, quæ tantam non habet admixtionem, nec tam facile putreſcit. Antecedens probatur ſecundo. Aqua pluuialis magis fœcundat campos, quam aqua fontis irrigua; Item aqua pluuialis citius, & facilius congelatur quam aqua fontis; ergo ſignum eſt euidens impuriores, magiſque immixtas eſſe pluuiales aquas licet peroptimas, quam ſit optima aqua ſcaturiens; & conſequenter hanc eſſe meliorem pluuiali aqua. Neque enim quod purius eſt, & ſimplicius, poteſt ad fœcunditatem agrorum proxime facere; Vegetatiua enim mixta, quales ſunt plantæ, ipſarumque fructus ad ipſarum generationem, & accretionem, nutrimentum, quod mixtum ſit, proxime requirunt, & idcirco fœcundiores campi ab aquis pluuialibus redduntur; & etiam à niuibus, & glaciæ, hæc enim licet mixta imperfecta ſint, carentia ſuperiori mixti forma, tamen mixta magis ſunt quam aqua; quapropter quæ in niuem facilius mutatur aqua, qualis eſt pluuialis, magis ſit mixta neceſſe eſt, & ad potus vſum inutilior.

Pluuiæ generatio ex Hyppoc. qui non meminit mediæ aeris regionis frigidæ.

Cur aqua pluuia, & niues fœcundēt campos.

Obijcies Primo Galenus 7. de compoſ. med. loc. c. 2. in prin habet hæc verba de aqua pluuiali (aqua quidem pluuia additur, quominus putredini obnoxium ſit pharmacum.) ergo magis & facilius putreſcit aqua fontis, & idcirco medicamentis non miſcetur, quam aqua pluuia, quæ medicamentis miſcetur vtilius, & conſequenter tum mala concluſio

1. Obiectio.

aſſe-

aſſerens meliorem aquam fontis aqua pluuiali. tum mala Hypp. lo. cit. aſſerens aquam pluuiam citiſſime putreſcere, quod etiam aſſerit Auic. in 1. ſen. 2. doctr. 2. ſum. 1. c. 16. & Auctor proęmij, quod eſt in lib. de bonitate aquæ, vbi etiã bonam conditionem aquæ putat hanc eſſe promptitudinem ad putredinem.

Reſponſio. Reſpondetur aquam pluuialem dupliciter poſſe ſpectari; primo prout à cœlo deſcendit impura, & admixta, qua ratione dicitur ab Hyppocrate carere arte; & ita facile putreſcit, propter impuritatem, & admixtionem. Secundo, quando defœcata eſt, & pura ad ſenſum reddita, ac valde perſpicua, id quod artificio, & mora longioris temporis in ciſternis acquiritur. Et hac ratione volunt quidam, & innuit Gal. lo. cit. eſſe magis putredini obnoxiam pluuialem aquam. Cuius rei ratio alia non videtur aſſignari poſſe, niſi tenuiſſimarum exhalationum, quæ ſenſum viſus fugiunt, miſcela, quæ exhalationes, quia tenuiſſimæ ſunt, ita cum aqua connectuntur, vt omne artificium, quo aqua depuratur, & defœcatur, fugiant; & quia ſicciſſimæ ſunt, aquam diutius ſeruent imputrem: ſicut cinerum tenuiſſima portio aquæ admixta in lixiuio, diutius ſeruat imputre lixiuium; Etenim ſicca diutius ſeruari à violenta, & morboſa putredine, determinatum eiſt à nobis fuſe tractatione noſtra de febribus q. 6. de putred - ne ſect. 2. art. 4. Ex quibus nil ſequitur contra Hyppocratem, qui inquit pluuialem aquam citiſſime putreſcere, ſi non ſit defœcata, neque contra concluſionem, quæ aſſerit meliorem eſſe aquam fontanam optimam pluuiali optima, quo ad potus vſum, non quo ad medicamentorum miſcelam; Enimuero mixtio prædicta exhalationum ſiccarũ inutilis eſt potantibus, & ſitientibus, qui refrigerationem, & humectationem poſtulant ab aqua, & impeditur à prædicta miſcela exhalationum, quæ natura ſunt ſiccæ.

Quæ aqua pluuialis facile putreſcat, quæ vero non, & cur non putreſcat.

Inſtantia. Inſtabis, experientia cõſtat è terra erumpere aquas ſalſas, ferreas, aluminoſas, ſulphureas, &c. quia per mineras ſalis, ferri,

ferri, aluminis, ſulphuris, tranſeunt; ergo pariter dum aqua terram præterfluit, terræ admixtionem magnam debet recipere, ac maiorem ea, quam habet aqua pluuialis.

Diluti. Reſpondetur. Negatur conſequentia; & ratio diſparitatis potiſſima eſt calor, qui reperitur in locis prædictarum minerarum, vt teſtatur tum Hyppo. de aere, aquis, & locis c. 3. tum experientia, quam liquido videmus Puteolis, & in Inſula Aenariæ; quo calore conſequenter, & prædictæ mineræ tum liquefiunt, tum attenuantur, & cum præterfluente aqua vniuntur, id quod non eſt in aqua terram puram permeante. Neque enim omnis terra intelligenda eſt, dum de aqua ſcaturiente optima eſt ſermo, ſed illa, quæ pura eſt, & nullã habet qualitatem, & talem habet corpulẽtiam, quæ nequeat cum aqua vniri, & aquam à fœculentia expurgat, qualem videmus obtinere multa vaſa figula, ex quibus aqua ſudoris modo erumpit perſpicua, nullam recipiens qualitatem ſenſibilem, & prauas, ſi quas habet, deſerit, ſi per talia fictilia vaſa percoletur, vel per pumices, vel per arenas, ſiue ſabulũ, & ſimilia.

De cauſa aquarum mineralium, & mixtarum.

Nota

2. Obiectio.

Obijcies ſecundo Hyppoc. lib. de aere, aquis, & locis c. 4. init. inquit (aquæ pluuiales læuiſſimæ, dulciſſimæ, & tenuiſſimæ ſunt, ac ſplendidiſſimæ.) ergo per Hypp. aquæ pluuiales ſunt præſtantiores aquis fontanis. Confirmatur, aquæ pluuiales fiunt ex vaporibus immediate in aquam mutatis; fontana vero, & ſponte ſcaturiens ortum habet à mari iuxta veriorem, quam ſequimur doctrinam, iuxta illud, omnia flumina à mari exeunt, & ad mare redeunt, ergo vtpote ex tenuiori materia genita aqua pluuialis tenuior erit aqua ſcaturiente, & præſtantior.

Confirmatio

Reſponſio.

Reſpondetur, negatur conſequentia. Neque enim Hypp. inquit pluuiales aquas eſſe leuiſſimas reſpectu aquarum ſcaturientium optimarum, ſed reſpectu aquarũ niualium, quod luce clarius fit legenti, ſic enim cit. loc. loquitur (de pluuialibus autem, & quæ à niue fiunt, vt habet deinceps dicam,

Confirmationis dilutio.

aquæ igitur pluuiales leuiſſimæ, dulciſſimæ &c.) Ad confirmationem reſpondetur etiam negando conſequentiam;licet enim concedatur aquam ſponte naſcentem à marina aqua ortum ducere; hæc tamen cum optima oritur, per terram eſt optime percolata, vt dictum eſt; id quod non habet aqua pluuialis licet ex vaporibus orta; tum quia ij varij ſunt; tum quia impuri, prout ſunt aquæ vel ſtagnãtes, vel marinæ, vel aliæ, ex quibus eleuantur, & conſequenter impura eſt aqua ex ijs genita,quæ impuritas vt tollatur,opus eſt vt decoquãtur, & excolentur aquæ pluuiales, vt ex eodem Hyppoc.habetur loc. cit.

QVAESTIO TERTIA.

De aquarum potabilium præparatione.

HVcuſque aquarum differẽtias, & aquarum bonarum, & prauarũ conditiones indagauimus,nũc quo modo aquæ vitia corrigi poſſint,inquirimus, ſit igitur.

1. Concl.

Prima concluſio. Aquæ vitioſæ præparantur, ſeu corriguntur per decoctionem. Ita ſenſit Auctor libri de bonitate aquæ c. 1. in med. Auic. in 1. fen. 2. doctrina 2.ſũm.1.c. 16. contra torpidos quoſdam medicos apud eundem Auic. qui nullum in coquenda aqua iuuamentũ exiſtere putarunt.

An per decoctionem corrigantur aquæ.

1. Probatio.

Probatur concluſio primo auctoritate Hyppo. de aere, aquis, & locis c. 4. vbi aquas pluuiales inquit requirere, vt decoquantur, & excolentur, & 6. de morb. vulg.par.4.tex. 10. aquæ decoctæ meminit, & modum tradit eius refrigerationis iuxta Galeni expoſitionem,vt dicetur. Item probatur auctoritate Galeni in Hyppoc. 6. de morb. vulg. cit. in tex. 10. vbi circa med. hæc habet verba pro Concluſionis euidentia. (quin & ipſam calidam bibituri, cum aut lutulenta,

aut

aut limoſa , aut fœtens eſt , hunc in modum præparamus , nam præcalefacta cum refrixit , tunc euidenter putorem , quem ex putredine plerumque contraxerat, abijcit &c.)

Probatur Concl.5. Ratione, quam affert Gal. loc.cit. his verbis , & citati auctores amplectuntur (nam quæcumque ex diuerſæ naturæ materijs conſtant per minutas particulas mixtione conflata , hæc poſt calefactionem refrigeſcentia facile diſſoluuntur, ſed ſtatim à coctione antequam refrigeretur adhuc motione agitatur,atq; ideo omnes eius particulæ permixtæ ſunt , ſed ea refrigerata , graues ac terreæ fundum petunt, leues ſuperfluitant) quibus patet ratio, & modus, propter quem neceſſario aquæ vitioſæ, limoſæ, crudæ , fœtidæ coctione fiunt meliores , calore diſſoluente, & rarefaciente aquam , itaque refrigeratione ſubſequente, terreis partibus innata grauitate deſcendentibus ad fundũ vaſculi . Confirmatur hæc ratio manifeſto experimento, quod teſtatur etiam Gal. in 6. de morb. vulg. comm.3.in tex.15. circa med. In calidis enim aquis ſponte naſcentibus , & in vaſis , vbi calefit aqua quotidie , lapis coaleſcere cernitur ; Cuius rei ratio vlla aſſignari nequit niſi quia vi caloris dum feruet aqua, ſegregantur eterogenea , portiones ſcilicet terreæ ab aqueis , & congregantur homogenea , quales ſunt terreæ portiones, quæ in tophos concreſcunt, & ſpiſſantur vi caloris, vt alibi dicemus ex hoc eodem Gal.lo. Ita igitur coctione corrigitur aqua . 5. Probatio. Tractatione de dolorib. quæſt. de dolorib. rerum , & veſicæ.

Obijcies primo fundamentum medicorum torpentium , quod ab Aui.lo.cit. affertur. Dum decoquitur aqua, ſubtile reſoluitur , ergo quod remanet , ſpiſſum eſt , denſumque,& conſequenter nulla ex decoctione eſt aquæ vtilitas . 1. Obiectio.

Reſpondetur ex eodem Auic. aquam ſecundum ſe, & ſecundum ſui naturam prorſus puriſſimam , eſſe omnino homogeneam,neque habere aliquid ſubtilius,& aliud craſſius, & conſequenter in huiuſcemodi aqua nullum aduenire ex decoctione iuuamen ; Verum quia talis aqua apud nos non Reſponſio.

reperitur; vix enim aqua quo ad ſenſum viſus puriſſima vtimur, quæ etiam aliquam habet terreſtrium partium admixtionem, licet reſoluatur ex eius decoctione aliqua ſubtilis portio, tamen maior eſt vtilitas, quæ prouenit ex partium terreſtrium ſubſidentia, vt explicatum eſt, & ex tenuitate, quam aqua ex rarefaciente calore acquirit; negatur igitur obiectionis conſequentia.

2. Obiectio. Obijcies 2. Hyppoc. de aere, aquis, & locis c.4. in fin. de niualibus aquis inquit. (at vero aquæ ex niue, & glacie fientes, omnes malæ ſunt, cum enim ſemel concretæ fuerint, non amplius in priſtinam naturam reſtituuntur) ergo decoctione aquæ glacialis vitium non corrigitur.

Reſponſio. Reſpondetur; plura de hac Hyppocratis auctoritate habet Gentilis in Auic. lo. cit. dub. 8. ſed dicẽdum eſt, ibi Hyppocratem vere docere, numquam aquam glacialem reſtitui in priſtinam naturam, ne decoctione quidem, eo quòd per congelationem deperditur quod in ea leue eſt, vt dictum eſt, quod decoctione non poteſt iterum reparari; negatur tamen conſequentia; hinc enim non ſequitur quin aliqua euidenti ratione corrigatur aqua glacialis per decoctionem; quatenus decoctione terrea portio excernitur, atque ita leuior, & rarior à decoctione redditur aqua glacialis, licet non omnino ſimilis ſibi, antequam congelaretur.

3 Obiectio. Obijcies tertio experientia patet, aquas, cum decoquuntur cum alijs rebus, fieri impuriores, ac magis permixtas, vt ſi ſale addito, vel cinnamomo, vel pipere, vel aniſo, vel roremarino, vel melle, aut ſimili alia re, aquam decoquas; prædictorum omnium vel ſapores, vel odores, vel vtrumq; decocta aqua participat, & conſequenter vires, & facultates hinc complura decocta, & ſalſæ parillæ, & radicis Chinæ, & ſenæ, & Saſſifraſſi, & alia innumera ſunt in medicinali vſu. Falſum igitur eſt decoctione aquas reddi puriores; ſed contra potius fient impuriores, magiſque permixtę: quod etiã apparet in lixiuio, quod fit ex vnione cinerum cum aqua

vi

vi decoquentis caloris.

Reſpondetur non leuem eſſe hanc in hac materia difficultatem, pro qua ſoluenda; ſciendum eſt, aquarum permixtionem quandoq; fieri cum rebus habentibus tenuitatem partium, vel contra craſſas habentibus partes. quandoq; etiam fieri permixtionem cum prædictis aquæ à calore, aliquando à frigore, quod ita permiſcet, vt vnire etiam videatur res diuerſi generis, vt patet in glacie; quamobrem recte definitum eſt frigus ab Ariſt. quod congregat omnia, & homogenea, & eterogenea; quandoque permiſcetur aqua ob extrinſecum concuſſum, & extrinſecam commotionem. Reſponſio.

His poſitis, dicendum eſt primo. Rebus partes habentibus tenues, aquæ admixtis, ſiue infuſis, decoctio talē aquam impuriorem reddit, & magis admixtam, non ſinceram magis, minuſque mixtam. Probatur manifeſtis experientijs in obiectione allatis; Et ratio eſt, cinnamomum enim, piper, roſmarinum, aniſum, & ſimilia odora tenues quaſdam habent partes, & cum aqua vnibiles, & aquę quo ad conſiſtentiam perſimiles, ac homogeneas, vt liquefactum ſal, quæ cōſequenter à decoquente calore cum aqua miſcētur, & vniūtur; calor enim eſt, quod congregat homogenea, ſegregat eterogenea. Atq; hinc fit prædicta decocta prædictarum rerum facultates, & vires obtinere; quia ſalſæ, ſenæ, chinæ, & ſimilium portiones tenuiores, in quibus prædictorum ſimplicium formę adhuc ſeruantur, & conſequenter facultates, cum aqua vnitæ ſunt vi decoctionis, cuius ſpeciem quandam habet infuſio in aqua calida; quæ ob ſimilem rationem ſcilicet vi caloris, ab infuſis v.g. roſis, floribus, & ſimilibus extrahit ſubtiliores portiones, quæ & formā, & facultatem, ipſarum retinent. Atq; hanc ob cauſam quæ ad medicinalem vſum infundūtur, & decoquuntur, ſolent comminui cum duriora ſunt, itemque contundi, vt portiones tenues copioſius extrahantur. Cur cinnamomi. aniſi, & ſimilium decoctio, aquam reddat non puram, ſed permixtā. Infuſio in aqua calida, eſt ſpecies decoctionis.

Dicendum Secundo rebus natura craſſas, & terreas haben-

Cur decoctio non reddat impermixtas, & puras, aquas ſulphureas, aluminoſas, bituminoſas, &c.

bentibus partes, cum aqua vi caloris vnitis, non valet decoctio talem aquam puriorem reddere, & magis ſinceram. Probatur manifeſta experientia; numquam enim decoctione valebis ſponte naſcentes calidas aquas aut ſulphureas, aut bituminoſas, aut aluminoſas, aut ſimiles ab ipſarum natura vi caloris acquiſita, ſulphurea, bituminoſa, aluminoſa, permutare. Cuius rei ratio eſt etiam manifeſta. Tales .n. aquas calor reddidit, ſulphure, bitumine, alumine eliquatis, & homogeneis redditis cum aqua, ideoque cum aqua vnitis; nequit igitur decoquens calor talem aquam puram reddere, & impermixtam; alioqui calor ſegregaret homogenea, contra naturam caloris. Atque hac eadem ratione cineres cum aqua calor vnit in lixiuio.

Quando decoctio puriorem aquam efficiat.

Dicendum tertio; aqua impura reddita, & permixta, vel ob extrinſecum frigus, vel ob extrinſecam commotionem, cum rebus craſſioribus, & terreis, qualis commotio cenſenda eſt, cum aqua terram impuram præterfluit. Tunc valet decoctio prædictam aquam clarificare, & puriorem reddere. Probatur apertiſſime, tunc enim cum commixtæ ſint res diuerſi generis, & eterogeneæ, neceſſario à calore congregante homogenea, & ſegregante eterogenea, diſſoluentur, & cõſequenter terreæ portiones ab aqueis ſeparabuntur, vnde aqua purior remanebit. Atque hinc patet iuxta hoc tertium dogma intelligendam præſentem noſtram concluſionem, vt conſtat ex concluſionis ratione. Cui patrocinatur clariſſime Auic. loc. cit. cum inquit (poſt hoc decoctio ſpiſſitudinem remouet, quæ propter frigus accidit primo, &c.) quare ad tertiam obiectionem in forma.

5. obiectionis ſtrictis verbis ſolutio.

Reſpondetur, aquas cum decoquuntur cum rebus tenues habentibus partes, vel craſſas, & attenuabiles facile, fieri impuriores, non autem cum craſſiores habent partes difficile attenuabiles permixtas vi frigoris, vel extrinſecę agitationis, vt dictum eſt.

Inſtabis, cum cineres aquæ infunduntur, agitatio eſt extrin-

trinſeca, & craſſiores ſunt aqua, & tñ vi caloris decoquentis non redditur aqua magis ſincera, ſed potius turbulentior, quale eſt lixiuium. ergo non eſt conſtans reſponſionis doctrina. Reſpondetur huius inſtantiæ ſolutionem patere ex dictis, in cineribus enim ſunt partes attenuabiles, & cum aqua vi caloris vnibiles, quod etiam longa decoctione calor efficit, quod ideo addiderim, vt ſciatur decoctionem aquæ, qua purior redditur in caſu concluſionis, non requirere diuturnitatem; per longam enim decoctionem etiam quæ craſſiora ſunt vi caloris attenuantur, & vniuntur cum aqua. ſed decoctio purificans aquam, debet eſſe eiuſmodi, qua aqua rarefiat, atque partes craſſiores ſolutæ deſcendere poſſint, non autem hæ attenuentur, atq; adeo moderata debet eſſe decoctio, ita vt v.g. vix feruor inceperit; lixiuij autem coctio, & diuturnior eſt, & intenſior, vt non mirum ſit, ſi poſt eam aqua coloratior, turbulentior, lixiuium ſcilicet remaneat. Qualis debeat eſſe decoctio aquã clarificãs, & purificans.

Secunda concluſio. Rectificantur, & corriguntur aquæ etiam per diſtillationem. ita Auic. lo. cit. Et probatur. 2. Concl.

Primo manifeſta experientia. Conſtat enim aquam marinam dum vi ignis in alambico deſtillat, & ſublimatur, fieri magis dulcem, ac ſalſedinem deponere; item pari ratione abſinthium, roſmarinum, & ſimilia proprios ſapores magna ex parte quin etiam penitus deponere, dum in aquam prædicto artificio vaporarij ſoluuntur; ergo ſignum euidens eſt per deſtillationem aquas mixtionem deponere, & puriores reddi. 1. Probatio. An per deſtillationẽ aqua corrigatur, & purificetur.

Probatur ſecundo, quia hac eadem ratione aqua pluuia, dum à mari eleuatur, fit dulcior, ac tenuior; Item dum vi ſolis ex ſtagnantibus paludibus euaporat, quia deponitur id quod craſſius eſt in aqua, & impurius; ergo pariter dum deſtillat aqua per alambicum, fiet tenuior, & melior. 2. probatio.

Probatur tertio, quia in deſtillationis opere, quod tenuius eſt, & vaporoſum, fertur ſublime, quod vero craſſius, & terreſtrius non aſcendit, ſed reſidet in fundo vaſis; ergo per de- 3. probatio.

ſtilla-

ſtillationem aqua craſſiores partes deponit,& conſequenter fit magis pura, & melior.

¶. Obiectio. Obijcies Primo videmus dum deſtillationis artificio elicitur aqua, in qua ſit infuſum cinnamomum, vel aniſum, vel quid ſimile, aquam hanc cinnamomi, aniſi ſapores, & odores referre. Item ex vini deſtillatione non aqua purior,ſed ardentior elicitur; & tandem deſtillationis arte ex floribus, herbis, & ſimilibus aquæ non puriores, ſed mixtæ magis, quales ſunt aquæ odoræ, extrahuntur, non igitur valet ad aquarum correctionem deſtillatio.

Reſponſio. Reſpondetur. negatur conſequentia; neque enim prædictæ experientiæ ſunt in caſu concluſionis ſecundæ, quę pariter vt patet ex dictis concluſione 1. ad 3. in fin. loquitur de aqua impura,& mixta cum terreis portionibus vel ob extrinſecam commotionem, vel etiam propter frigus, quæ neceſſario deſtillatione redditur purior terreis remanentibus, & ſubſidentibus portionibus,& leuioribus aqueis in ſublime elatis, & in aquam ſolutis: prædictæ autem experientiæ in hac obiectione loquuntur de aqua admixta propter infuſum cinnamomum, vel aniſum, vel quid ſimile, quod tenues habeat partes, & vi caloris vnibiles cum aqua; Item de vino, ex quo aqua ardens extrahitur, & de herbis, & floribus, ex quibus aqua odora vi deſtillationis vaporis modo colligitur; quarum deſtillationum materia variat ab ea, de qua loquimur, vt patet; & in ijs etiam adhuc veriſſimum eſt, per deſtillationem, id quod puriſſimum eſt, ac tenuiſſimum, ex aqua, & infuſo cinnamomo, aniſo, &c. & ex vino, itemque ex floribus, & herbis extrahi, & in ſublime tolli,& in aquam cogi refrigeratione, ſiue per extrinſecam alliſionem; Sane vt ſciatur quæ ſit deſtillandi regula,& modus,is enim varius eſt, pro aquis eliciendis odoris, alius pro medicamentoſa aqua extrahenda, alius pro oleo, quam noſtri quintam vocant eſſentiam, euocando, Chymicos adire oportet, quos in plurimis laudauerim, in metallorum vero formali,& vera

[Margin: Quenā aqua reddatur deſtillatione magis pura.]

[Margin: Varij deſtillationis modi.]

tranſ-

tranſmutatione;itemque in purgantium quorundam,violentò, ſiue per ſuperiora, ſiue per inferiora, vſu, haud ita ego commendauerim. legi etiam poteſt de deſtillationis gradibus, & modis Fernel. 4. meth. med. c. 10.

Obijcies 2. per deſtillationem ſicut in ſublime fertur pars aquea tenuior, ita etiam & tenuior terræ portio, & exhalatio, ergo aqua deſtillata ſemper habebit exhalationes admixtas, ſicut ſupra diximus de aqua pluuiali. Confirmatur quia idcirco fumoſas tales aquas deſtillatas experimur, & acre quid habentes. Confirmatur amplius, quia non raro per alambicos plumbeos aquæ eliciuntur, vel per terreos ex creta confectos, quorum naturam vi caloris participant neceſſario quæ deſtillantur aquę. Si enim per plumbeos canales, & ductus fluens aqua fontis fugienda eſt, vt docet Galenus 7. de compoſ. pharmacor. ſecun.lo. ſect.cui titulus eſt. Confectio ex capitibus papaueris Galeni in fi.& Auic. etiam lo. cit. aſſerit,multo magis erunt euitandæ per plumbeos, & ſimiles alambicos aquæ deſtillatæ. 2. obiectio.

Reſpondetur ex hac obiectione nil contra concluſionem argui, ſemper enim deſtillatione purior fit aqua, quam eſſet ante deſtillationem, eſto per deſtillationem etiam aliquam retineat, vel acquirat qualitatem, vel vi caloris, vel ratione alambici, & idcirco in deſtillandis aquis potabilibus opus eſt methodo, & praxi; ſunt enim paruo igne,& debili ſublimandæ, atque ita vel non excitantur exhalationes, & fumi, qui aquæ miſcentur non raro; vel certe in minima copia eleuantur; vnde patet ad obiectionem, & ad primam confirmationem reſponſio. Ad 2. autem confirmationem dicendum, verum eſſe quod dicitur de alambico plumbeo; neque nos laudare, per tale alambicum aquam deſtillatam vtilem eſſe potui; ſed per vitreum, vel certe terreum ex creta ſimplici, & per balneum Mariæ, vt loquuntur chymici. Cur autem aqua deſtillata per alambicum plumbeum, vel certe per longos aquę ductus plumbeos traducta;ſit nocua potantibus Reſponſio. Cur aquae deſtillatæ p alãbicũ plũbeũ, vel tra-

ductæ per plũbeos ductus ſint nocuæ.

tibus, & diſenteriam moueat, Galeno,& Auicenna teſtibus, locis cit.varias rationes affert Gent. in Auic. lo.cit.dub.12. quæ non ſatisfaciunt,cum vel ad plumbi ſpecificam formam; vel ad plumbi calidas,& ſiccas;quas in plumbo gratis aſtruit ſubſtantiæ plumbeæ portiones,confugiat. Et præſtat dicere, plumbum innata ui refrigerandi, quam omnes fatentur plũbo ineſſe, diſenteriam mouere, non quidem inteſtinum erodendo,quod opus eſt caloris, ſed mordicando & rumpendo; qua ratione ab externo frigore, labia, manus cutem, faciei etiam rumpi, & lacerari videmus hyemali tempore. vt fuſius etiam dicemus noſtra tract. de doloribus. q.5.ar.1.& 2.

An aqua formalis Neap. in alterandis febribus, preſtantior ſit aquis deſtillatis.

Ex his clare colligas communem errorem Neapoli medentium; in præponendis aquis deſtillatis ex boragine, endiuia,lactuca, & ſimilibus frigidis oleribus Neapolitanæ preſtantiſſimæ aquæ, in alterandis febribus. quod ſemper putaui præter rationem; Nunc autem conſtantiſſime aſſero omnino abſurdum. Cum enim febris vt ſic, refrigeratione, & humectatione indigeat, quòd paſſio ſit calida, & ſicca; vt docuimus tract. noſtra de febribus. refrigerandi autem, & humectandi vi maxima polleat aqua ſincera, & pura, qualis omnino eſt aqua Neapolitana,quam vulgo vocant aquam de formali; aqua vero deſtillata ob allatas rationes, ob admixtas exhalationes tantam vim refrigerandi, & humectandi non obtineat; neceſſario ſequitur ad attemperandas refrigerandaſue febres, vtiliorem eſſe aquam Neapolitanam, aliaſue aquas huic vi, & natura perſimiles, qualibet aqua deſtillata.

An aqua Tyberis ſit vtilis febrientibus.

Colligas etiam Tyberis aquam,toto eo tempore,quo aliquid deponit, febrientibus eſſe omnino inutilem, & nocuã, ob admixtum ſulphur natura calidum,& ſiccum, & febribus inimicum; quod ita etiam cum aqua vnitur, vt etiam cum clarueris aqua Tyberis, ſexto menſe elapſo, nobis ſuſpecta videatur quo ad potus vſum in febrientibus; quibus vtilius exhiberi decocta endiuiæ, lactucæ, boraginis,& ſimil.exiſtimamus,

mamus,

mamus, vbi aqua ſcaturiens optima, qualis eſt Neapolitanum formale; non reperitur.

Tertia Concluſio. Rectificantur, & præparantur etiam aquæ dum percolantur vel per fictilia vaſa, vel per pumices ſimileſue lapides, vel per puram terram, qualis eſt arena. Eſt certiſſima, & conceſſa ab omnibus; Auicen. lo. cit. ibidemq. Gent. ante dub. 5. Galeno 1. de ſimpl. med. fac. c. 4. Hyppoc. de aere, aquis, & locis c. 4. vbi decoctione, & colatura docet indigere aquas pluuiales, & 3. concluſ. An aquæ rectificentur percolatione.

Probatur aperte. Tum quia ideo aquæ naturales, dulces, & ſcaturientes optimæ ſunt, potuique vtiles; quia per puram percolantur terram; Tum quia hoc artificio, & naturæ opere, id quod tenuius eſt, permeat, quod craſſius, retinetur, & conſequenter aqua, colatura reiterata, pura fit, & optima. Legendus tum Auctor libri de bonitate aquæ c. 3. in fi. c. 4. 5. tum Auic. in 1. fen. 3. doctr. 5. c. 7. vbi varij modi percolandi habentur, & præparandi, & corrigẽdi aquas etiam pro exercitu, cui magna eſt aquæ copia exhibenda. Probatio.

QVAESTIO QVARTA.

Quibus modis aqua refrigerari poſsit.

PLures modi ſunt tum aquæ potabilis, tum vini etiam refrigerandi, noſtris temporibus fere omnibus noti, quos omnes non nouit antiquitas; Etenim vt conſtare poteſt ex Gal. in 6. de morb. vulg. comm. 4. in tex. 10. eo tempore. Vel niuem vaſi repleto circumponebant; Vel ſi niue carerent, in puteo, aut fonte labente repleta vaſa refrigerabant; Vel aquę vaſa plena in feneſtris vento aduerſis, per noctem totam ſuſpendebant, poſtea ante ſolis ortum vas humi depoſitum frigida aqua circumfundẽ- Modi refrigerãdi aquã, Galeni tempore.

tes, frigida etiam folia toti vaſi circumdabant. id quod in tota Aegypto obſeruabatur. Cui modo refrigerandi omnino ſimilis eſt is, quo vtuntur alij, in quibuſdam ſpecubus, vel puteis frigidam auram ſpirantibus, vel frigidum aerem retinentibus, vaſa ſeu aqua, ſeu vino plena reponentes, & refrigerantes; Atque his in modis plura obſeruat Gal. loc. cit. Primum eſt, vt aqua antequam refrigeretur vel niue, vel vẽto, vel aqua putei, aut fontis labentis, calefiat. ſic enim facilius refrigerabitur. Cuius rei rationem tradit his verbis. (nam quodque prius calefactum à vicinis in ſe totum alterationem promptius ob raritatem admittit.) Secundum eſt, vt ſi in aere refrigeretur, & ſub dio vas; operculum non habeat; vt non excludat, ſed admittat aerem, quo refrigeretur. Tertium, vt ſi aquæ vas in puteo, vel fluente riuulo ſit refrigerandum, operculum habeat, verum vas non ſit omnino plenum; quod docet, & probat his verbis. (vbi vero fontibus rapide labentibus aquam ſubijciunt coctam, tum vas aliqua ex parte inane eſſe melius fuerit, quo aer inter operculum, & aquam in vaſe poſitam contentus, ipſe prius refrigeratus, ſic deinde attactu vicinam aquam refrigeret; vt enim aqua facilius quam omnia terrena corpora calet, atq; frigeſcit; quippe cum illa tenuitate partium ſuperet; pari ratione, & aer quam aqua.) Addi poteſt & alia ratio, cur non plenum vas citius refrigeretur. Tum quia in non pleno vaſe minor adeſt aquæ, vel vini, alteriuſue liquoris quantitas, quæ conſequenter facilius alteratur, & refrigeratur, vt conſtat ex phyſicis. Tum quia in vaſe non repleto dum refrigeratur aer contentus, denſatur, & minorem conſequenter is locum occupat, quapropter ne detur vacuum, aqua rareſit, & mouetur illuc, & tum ratione rarefactionis facilius alteratur à frigore, tum ratione motus ad circumiacentem aquam refrigerantem vel putei, vel fontis appropinquat nunc ſecũdum has, nunc ſecundum illas partes, atque ita citius refrigeratur ſecundum omnes partes, quam ſi eſſet immota ple-

Cur præcalefactio iuuet ad refrigerandum.

Cur vas non plenũ citius refrigeretur.

Ratio Galenica.

Alia authoris ratio.

Tertia eiuſdem rõ ſubtilior.

no vaſe. Atque ex his etiam intelliguntur Hyppocratis verba obſcuriſſima citato loco. (aqua decocta tum quidem vt aerem admittat, tum vero ne plenum ſit, & operculum habeat) ideſt iuxta traditam Galeni, & veram doctrinam, aqua refrigeranda ſub dio, debet calefieri, & in vaſe retineri nou operculato, vt aerem admittat refrigerantem. Si vero ſit refrigeranda in puteo, vel in fluuio, non debet vas eſſe plenum, ob allatas rationes, ſed debet habere operculum, ne extramittatur contenctus liquor, & extrinſeca aqua intromittatur, & commiſceatur. Vnde conſtat hanc doctrinam de vino, & de quolibet liquore refrigerando verificari; vinũ enim, & liquor quilibet citius refrigeratur vaſe non repleto, & operculato, ob allatas rationes, quamquam non conſulo, vt vinum in aere ſub dio in vaſe retineatur operculum non habente, ſicut dictum eſt de aqua, ne vini ſpiritus euaneſcãt, vt patet experientia, & ne aceſcat; etenim vt Gal. docet lo. cit. & fuſius dicetur tract. ſeq. q. de aceto, in vaſis vinarijs recluſis, & apertis vinum facile aceſcit.

Hypp. verba obſcuriſſima explicantur ex 6. epidem. par. 4. tex. 10.

Præter hos modos traditos refrigerandi vaſa liquoribus plena, ob luxum frigidiſſime bibendi, alij niuem bibendis liquoribus imponunt, alij glaciem infundunt; alij quibus vis ineſt, & facultas dominandi alijs, at non voluptati noxiæ admodum, & infenſæ; refrigeratum vinum in ciathis bibunt ex dura glacie, non ſecus ac ex chryſtallo conflatis. alij maximam quantitatem ſalis, qui ex terra effoditur, fere in puluerem redactam, vt aiunt, vaſi liquore pleno circumimponũt, ut refrigerent; alij in ſalis fodinis reponunt uaſa, alij his modis deficientibus, in argento uiuo uaſa liquoribus plena refrigerant; quod à pluribus nauigantibus obſeruatum cõpertum habeo. Tandem refrigeratur aqua, uel uinum ſalnitro aqua admixto: ſi illius parte unica redacta in puluerem, & aquæ partibus decem, uel pluribus admixtis, & ligno aliquo ſpathæ in modum aqua circumductione agitetur, primum lento, mox crebro, & celeri motu fere per horæ quadrantẽ.

Alij modi refrigerãdi vaſa liquorib. plena.

Id

Id quod ueriſſimnm eſt continua obſeruatum experientia, tum à nauigantibus, tum ab alijs, in locis, in quibus niuis, uel glaciei non ſuppetit copia. Verum difficillimum eſt huius rei cauſam exponere, cur, & quomodo à ſalnitro aqua admixto, hæc reddatur frigidior, ita ut in ea uino, uel aqua uaſa repleta poſita, maxime refrigerentur; Cum ſalnitrum natura calidum, & ſiccum appareat, quippe quod ad puluerem conficiendum bombardicum deſeruiat. Et uarij uarias attulere rationes, quas breuiter percurremus, & examinabimus.

Cur, & quomodo aqua ſalnitro admixto fiat frigidiſſima, & valide refrigeret.

Quidam igitur primo cenſuere à ſalnitro per accidens, ab aqua per ſe prouenire refrigerationem, quatenus ſcilicet ob admixtionem, & præſentiam ſalnitri calidi, & ſicci, iuxta hanc ſententiam, aqua natura frigida, & humida, ob antiperiſtaſim, & contrarij præſentiam, ad ſummum frigus ſe reuocat, ac proinde in ipſa impoſita uaſa liquoribus plena refrigerat. Sed contra eſt primo, quia eſto concedamus antiperiſteſim, in qua ob contrarij circumobſiſtentiam, qualitas uere intenditur, & corroboratur; ut cum æſtate ob ambientis caliditatem puteales aquæ fiunt frigidiores, Cuius etiam antiperiſteſis cauſa non ſatis eſt manifeſta. Non poteſt ſimili ratione admixto ſalnitro natura calido ſicco, ut aiunt, aqua reddi frigidior; Etenim ut patet in allato exemplo, ad præſentiam contrarij caloris, & circumobſiſtentis aqua redditur frigidior, & ſe ipſam quo ad frigiditatem intendit; non autem ſic ſe habet caſus, de quo eſt ſermo; ſalnitrum enim non aquam circumambit, ſed eſt omnino aquæ admixtum, qua exiſte te admixtione, debet neceſſario adeſſe mutua actio, & paſſio inter aquam, & ſalnitrum, à quo neceſſariò cum ponatur calidum, ſiccum, debet calefieri aqua, non reddi frigidior. Secundo quia hyemali tempore ob copiam uaporum calidorum mixtorum cum aqua, aqua exiſtit calida, licet ambiens ſit frigidum; pariter igitur ex admixto ſalnitro calido per eos, aqua deberet reddi calidior. Tertio, quia

Prima opin. Ingraſiæ in prin. lib. artis medic. Gal.

1. Impug.

2. impug.

3. impugn:

quia ſalnitrum eſto ſit potentia calidum ſiccum, actu eſt frigidum fere ſicut aqua, cum qua miſcetur, quapropter non debet habere rationem contrarij reſpectu aquæ, ſed potius rationem ſimilis, & conſequenter non tamquam contrario, & oppoſito circumobſiſtente, debet aqua ratione ſalnitri admixti in ſeipſam agere ſibi frigiditatem intendendo, ſed eam quam habebat frigiditatem retinere, & conſeruare.

Secundo alij aiunt ſalnitrum eſſe actu frigidum, & aquam, cui miſcetur, eſſe magis frigidam vino, & idcirco uinum ab hac permixtione refrigerari. Sed contra, quia ut mox dictum eſt contra præcedentem opinionem. Salnitrum uel eſt ſicut aqua frigidum, uel certe minus frigidum actu, ut patet experientia; & cum inter æqualia in eadem ſpecie, & gradu, non detur actio; neque ab inæquali in gradu in eadem ſpecie, poſſit actio peruenire, hoc eſt non poſſit à remiſſo intendi intenſius, ut conſtat ex phyſicis. ſequitur aquam ſalnitro admixtam debere ſuam, quam habet frigiditatem retinere, & conſequenter non poſſe ualde admodum uel uino, uel aqua repleta uaſa refrigerare contra experientiam; in aqua enim ſalnitro commixta impoſita uaſa refrigerantur nõ ſecus ac à niue, & glacie. 2. Opin. Zimare probl. mate 102. Impugnatio

Tertiò, alij reſpondent ſalnitrum utpote mixtum, & compoſitum, partes habere terreas, & aqueas, & frigidas, & alias igneas, aereas calidas; atque has utpote tenues ab admixta illis contraria aqua aboleri, remanentibus partibus ſalnitri frigidis terreis, à quibus conſequenter aquæ frigiditas intẽditur, ut gelidiſſime refrigeret impoſita uaſa. Hæc reſponſio ſi de actuali ſalnitri frigiditate intelligatur, iam eſt impugnata; quaſcumque enim aſſignes partes actu frigidas ſalnitri, illæ uel ſunt aqua minus frigidæ, uel ad ſummum æquè frigidæ, à quibus non poſſe aquæ frigiditatem intendi, iam eſt demonſtratum. 3. Opin. Sanctori in epiſ. med. Impugnatio

Quartò, propoſitum problema ſoluere conantur alij dicẽtes, aquam, commixtione ſalnitri, quæ ualida ſit agitatione, 4. Opin. Iol Coſtei lib. 1.

amit-

De potu in morbis c. 46 amittere admixtum aerem, vel certè ſibi proximum, & calidiorem, & nouum recipere non ita calidum; item fieri denſiorem, & craſſiorem, quamobrem noui in ſe aeris calorem non admittit, & conſequenter aqua prohibito inimicæ caliditatis ingreſſu, vires conquirens maiores, ad ſuum ſummum

1. impugn. frigiditatis gradum redit. Sed contra primo, quia eſto veriſſimum putemus, elementa poſſe ſe perficere, & intenſas, ac ſummas ſibi debitas qualitates reuocare, vbi contraria non obſtiterint; aquam autem id præſtare ex admixto ſalnitro ratione expulſi aeris calidioris, & denſitatis, & craſſitiei, vt dictum eſt, omnino cenſemus impoſſibile. Quæ enim à ſalnitro aquæ tribuitur denſitas, & craſſitudo, diutiſſime perſeuerat, at frigoris intenſio in aqua ſalnitro mixta nõ niſi per horam aut paulo diutius perdurat; ſi igitur aqua ratione craſſitiei, & denſitatis noui in ſe aeris calorem non admitteret, atque ita ſibi natiuum frigus intenſum acquireret, quouſque talis ineſſet denſitas, & craſſitudo, frigida ſemper fieret, & perſeueraret, contra manifeſtam experientiam, inſufficiens igitur, & minime vera talis aſſignata cauſa propoſiti

2. impugn. problematis. Secundo, quia ſi eodem prorſus tempore, quo aqua ſalnitro admixto, circumuoluitur, & circumducitur velociſſime v. g. à dextra in ſiniſtram partem; ſi contra circũcieatur, & agitetur à ſiniſtra in dextram partem, aqua frigiditatem non acquirit intenſam, vt ſępius mihi teſtati ſunt viri fide digni, qui longo vſu aquam ex ſalnitro frigidam ad vini refrigerationem, ſibi parauerunt. Et tamen quocumq; modo cieatur aqua ſalnitro admixto, ſemper eodem modo fit denſa, & craſſa, ergo ad frigiditatem aquæ aduenientem

3. impugn. à ſalnitri mixtione, nihil facit denſitas, vel craſſities. Tertio multis poteſt ſiue liquoribus, ſiue pulueribus aqua celerrime agitata permiſceri, quibus omnibus licet reddatur craſſa, & dẽſa, nullatenus refrigeratur, ergo nullus eſt aſſignatus modus ad reddendam rationẽ infrigidationis aquę propter ſalnitri permixtionem.

Quin-

Quinto, alij reſpondent propoſito quæſito. atq; hæc ſunt huius ſententiæ verba expreſſa. (Salnitrum in aquas inſperſum, commixtum, in minimas particulas diſſolutum, quia flatulentum eſt, & in halitum diſſolubile ob ſubſtantiam calidam, ſiccamque, ſecum foras educere in ambiens calorem illum, qui in aquis erat, illaſque fluidas reddebat; Quocirca aqua, vbi ſalnitrum eſt diſſolutũ, maxime refrigerat, abeunte calore cum exhalatione ſalnitri, quæ foras prodit. Itaque aqua amoto peregrino calore, per expirationem euaporationemq; in natura ſua remanet, frigida nimirum. Accedit ad eam magis refrigerandam concurſus partium ſalnitri frigidarum. accedit tertio flatulentus ſpiritus terrenã aqueãq; ſapiens naturam, qui viribus perfrigerandi maxime pollet, quemadmodum in euripis, hoc eſt in ſubterraneis terræ locis concauis obſeruamus, vt ſi hydriæ liquorum reponantur tepidorum, vel etiam calidorum, à ſpirante ibi aura frigida refrigerantur.) 5. Opinio Latini Tancredi lib. 3. de fame, & ſiti q. 17.

Pluribus, ac veris argumentis impugnatur hæc ſententia. Primo enim impoſſibile eſt à ſalnitro educi calorem, qui in aquis ineſt; quin aqua etiam calefiat; educitur enim in hac ſententia à portione ſalnitri flatuoſa, halituoſa, difflabili ob ſubſtantiam calidam ſiccam, & conſequenter neceſſario ab hac eadem debet calefieri aqua; ſunt enim hæc agentia naturalia, & neceſſaria, non ex electione; Cum igitur hæc nitri ſubſtantia admiſceatur aquæ, & calida ſit, in hac opinione, aquam calefaciet potius, quam aquæ caliditatem foras educet, & conſequenter ob hanc cauſam nõ remanebit aqua frigida, vt putat hæc opinio. 1. Impugn.

Secundò, hæc caliditas, quæ in aqua ponitur exiſtere ab hac ſententia, & foras in ambiens diſpergi, & diſſipari in ſalnitri halituoſa, tenui, & vaporoſa ſubſtantia. Vel primo, eſt in aere aquæ immixto, ſeu in aerea & vaporoſa ſubſtantia per aquam diſperſa, & commixta. Vel ſecundo, eſt in aquæ ſubſtantia tamquam in ſubiecto; Primum dici non poteſt; 2. Impugn.

tum quia experientia patet totam aquæ ſubſtantiam, ſicut eandem, & homogeneam habet conſiſtentiam, eandem etiã, & vniformem habere temperiem; quocirca nõ in ſolo vapore commixto cum aqua, dicendus eſt inhærere calor, aqua ſolum frigida permanente; tum quia impoſſibile eſt in aqua contineri vaporem calidum, à quo aquæ ſubſtantia non calefiat, cum calor ſit agens neceſſarium, quapropter diſſipato vapore, adhuc aqua remaneret calida, tum quia non eſt maior ratio, cur hic vapor, ſeu aer calidus in aqua commixtus, & diſperſus foras euocetur à ſalnitri ſubſtantia tenui, & ſicca; non autem ſalnitri ſubſtantia cum aere in aqua contencto, ſeu vapore retineatur commixta; Eſt enim vapor, & aer ſeu vaporoſa ſubſtantia càlida, quæ ponitur in aqua commixta, & incluſa, ſui natura euaporabilis magis, quam ſalnitri ſubſtantia quælibet. Si igitur illa in aqua retinebatur incluſa, ſalnitri ſubſtãtia retinebitur magis vbi commixta fuerit. Si dicatur ſecundum, ſequetur calorem migrare de ſubiecto, in ſubiectum, hoc eſt ab aqua in ſalnitri ſubſtantiam, vel in ambiens, atque ita cum ſalnitro euaneſcere, quod eſt maximum abſurdum in vera philoſophia. pendet enim accidens, & quælibet forma materialis naturaliter in fieri, & in conſeruari à ſubiecto, in quo eſt; quare nequit ab illo in aliud migrare naturaliter. Præterea eſto hac ratione calor ab aqua in ſalnitrum tranſiret, vel in ambiens, & euaneſceret; non tamen hinc aqua redderetur frigidior, fit enim aqua frigida non per ſolum caloris receſſum, ſeu remiſſionẽ, ſed per poſitiui contrarij frigoris intenſionem, ſeu vlterioris frigoris gradus productionem, vt notiſſimum eſt apud bonos philoſophos, quem intenſiorem gradum cum acquirat aqua ſalnitro commixta, quæritur à qua cauſa id fiat, & hucuſque non explicatur, vt patet.

3. Impugn. Tertiò, impugnatur hæc ſententia. ſalnitrum, quod cum aqua commiſcetur, eſt actu frigidum ſecundum omnes ſui partes, fere vt aqua; ergo non poteſt hanc habere vim euocan-

candi foras calorē in aqua incluſum, vt ſupponit. Dices, eſſe potentia calidum, ſaltem ſecundum partes tenues. Reſpondetur, vere quæ ſunt potentia calida, quod de aliquibus ſalnitri partibus concedendum nos etiam putamus, non poſſe vim habere calefaciendi, niſi prius actu calefiant, vt de vino fuſius docebitur ex Galeno ſeq. tract. de vino; quamobrem cum ſalnitrum in commixtione aquæ non calefiat, vim vllā calefaciendi non habebit, neq; foras euocandi calorē aquę.

Quartò tandem impugnatur hæc ſententia, quia contraria loquitur; putat enim eſſe flatulentum ſalnitrum ob ſubſtantiam calidam ſiccā, & poſtea aſſerit à ſalnitri flatu aquā refrigerari, quæ non cohærent, & ſibi inuicem pugnant, vt patet. Amplius ſupponit aquam eſſe fluidam ratione caloris, quo nil ineptius in bona philoſophpia, qua docemur aquę fluxilitatem, & terminabilitatem difficilè proprio termino, facilè verò alieno, prouenire ab humiditate, vt habetur ex Ariſt. 2. de generat. tex. 9. & 4. meteor. ſumma 1. c. 1. & ſum. 2. c. 1. quam ob cauſam aer ſumme frigidus flante borea, quia eſt ſumme humidus, adhuc fluxilis eſt, & non gelaſcit vmquam.

4. Impugn.

An aqua ſit fluxilis rōne caloris, an propter humiditatem.

Dices, Galenus 1. de natura hum. in tex. 38. habet hæc verba (quod ſi omnino pereat calidum elementum, humidū ſane gelaſcet) quibus oſtenditur fluxilitatem à calore oriri in Galeni ſententia, congelationē à frigore, quod aſſerit paulo poſt manifeſtius; inquiens. (Si igitur mente conceperis aquā euadere exquiſite humidam, frigidamque, iam deſinet eſſe aqua, illico enim gelaſcet, ac ſiſtetur, nec amplius fluet, & ſi terram pariter mente conceperis prorſus ſiccam, & frigidam eſſe, huiuſcemodi corpus durius erit adamante.)

Gal. opinio.

Reſpondetur hac in re, quæ eſt omnino phyſicæ ſpeculationis, deſerenda eſt Galeni, & amplectenda Ariſtotelis doctrina, qui vt patet ex citatis locis, ab humiditate fluxilitatē, & à ſiccitate conſiſtentiam docet prouenire, & clarius 2. de gener. 15. congelatum ait priuari humiditate, & ſect. 1. pro-

Ariſt. verior opinio.

F 2 blem.

blem. 17. gelu ait eſſe frigoris, & ſiccitatis exceſſum, & 2. de part. anim. c. 3. init. gelu docet, & humorem omnem concretum eſſe actu ſiccum, & per accidens, potentia vero, & per ſe humidum; quatenus ſcilicet concretum omne à frigore, vi caloris iterum humeſcit actu, vel vi extrinſeci humoris; ſicuti glacies poteſt vel vi caloris, vel aquæ liquari. Confirmatur hæc Ariſtotelis doctrina tum allato exemplo aeris frigidiſſimi, & propter humiditatem non concreſcentis, licet flumina ipſa in glaciem conſiſtāt, tum quia idcirco nix, & glacies maxima eſiccandi vi pollent adeo vt pedes per niuoſa loca ambulantium videantur comburi, quia ſunt maxime ſicca. Tum quia nix, & glacies ab aquis frigidiſſimis liqueſiũt, per ſiccitatis ſolius ab humiditate aquæ frigidiſſimę diminutione, & corruptione. Tum quia ideo glacies eſt aqua leuior, quia exhalationes ſiccas habet admixtas aqua leuiores; ꝓpter quas ēt fit, vt à liqueſcēte vel leuiter niue, vel glacie cōſpicuus fumus cernatur exhalare, & in ſublime attolli.

Rōnes probantes niuē, vel glaciem eſſe ſiccam.

Sextò igitur dicendum videtur ſalnitrum aqua commixtũ aquam refrigerare, quia eſt ſalnitrum ſecundum ſui partes ſin minus omnes, ſaltem plurimas, non quidem actu, ſed potentia, & facultate valde frigidum, non ſecus ac opium, mādragora, iuſquamum, & ſimilia, non quidem actu, ſed potentia ſunt ualde refrigerantia, ita vt ſopores, apoplexias, & ſimiles affectus frigidos progignant. Probatur hæc noſtra doctrina, tum quia nil remanet dicendum ex impugnatis ſententijs; tum quia nil continet abſurdi, & conſona eſt doctrinæ tum medicę, tum phyſicæ; Etenim omnia, quæ refrigerāt, vel id præſtant, quia actu ſunt frigida, vel potentia; ſed actu frigidum non eſt ſalnitrum, ita ut poſſit aquæ frigiditatem intendere, vt dictum eſt; ergo potentia eſt refrigeratiuum; tum quia per hunc noſtrum dicēdi modum tolluntur omnia, quæ poſſunt obijci, facile, & vere, & ſoluuntur omnia, quæ circa hoc problema poſſunt fieri quæſita, vt conſtabit melius ex obiectionum ſolutionibus. Tandem quia ſalnitrum

6 Auctoris opinio.

Probatio.

trum eſt concretum quid, & congelatum, & conſequenter de genere aqueorum, quæ natura ſunt frigida; liquefit enim ſalnitrum ab aqua fere ſicuti nix, glacies; & Ariſtoteles ipſe 4. meteor. ſum. 2. c. 3. congelationem docet eſſe paſſionem aqueorum; ſunt autem aquea omnia ſui natura, vi, & poteſtate frigida, tale igitur eſt ſalnitrum ſaltē ſecundum ſui partes plurimas. Sed contra.

1. Obiectio. Obijcies primo. ſalnitrum eſt calidum ſiccum, potentia, facultate, virtute; ergo non eſt potentialiter frigidum. Antecedens probatur primo, quia ſalnitrum erodit, mordicat, & diſſecat, quæ opera ſunt caloris. Secundo, quia ſalnitrum deſeruit ad puluerem conficiendum, quo accenſo facilè, bellica noſtri temporis inſtrumenta, vt bombardæ cum hominū horrore, tremore, & pernicie, quandoque reſonant; eſt igitur nitrum calidum ſiccum. Tertio ex communi medicorum ſententia, cuius auctor videtur Galenus ſexcentis in locis, potiſſimum 4. de ſimpl. med. facult. c. 21. vbi & ſal, & nitrū, & aphronitrum, inter calida, & ſicca connumerat, & proxima amaris ſimplicibus, quæ calida ſunt poteſtate.

Reſponſio. Reſpondetur negando antecedens. Et ad primam probationem dicendum ex ea nihil inferri, mordicāt enim, & erodunt, & diſſecant, etiam quæ ſunt frigida, vt conſtat tum ex Gal. 4. de ſimpl. med. fac. c. 2. tum exemplo aceti, quod frigidum cum ſit, mordicat, erodit, diſſecat metalla etiam, vt fuſe docebitur ſequenti tract. q. de aceto, in quo ſi contendatur. aliquas partes ineſſe calidas ſiccas, plurimas vero frigidas, vt in communiori eſt ſententia, nobis fauet putantibus ſalnitrū habere partes plurimas facultate frigidas, paucas vero calidas ſiccas, à quibus mordicationem, & eroſionem proficiſci putant. Ad ſecundam dicendum ſalnitrum in puluere bōbardico igniri, & incēdi facile ratione admixti ſulphuris, quo admixto, & ligna, & plurima materialia facile inflāmantur, & comburuntur; vnde non ſequitur ſalnitrum eſſe vi, & facultate actiua, de qua loquimur, calidum, & ſic-

cum

Salnitrũ eſt potentia paſſiua calidum ſiccum, & inflammabile.

cum, ſed paſſiua tantum, hoc eſt facile poſſe recipere caliditatem; ſiccitatem enim nitro actualem, cum ex genere ſit cōgelatorum, ultro concedimus, parteſque etiam aliquas potentia calidas ſiccas, ex quibus etiam fit, vt facile calefiat, & ignefiat etiam ſalnitrum; eſt enim ſiccitas lima caloris, ut cōmuniter loquuntur philoſophi; ideſt tum ut agens calidum ſiccum, magis valenter agat, tum vt in ſubiectum ſiccum licet frigidum facilius agat calefaciendo, & ignefaciendo, vt conſtat ex igneo fomite, quem vocant vulgo eſcam, qui boreali tempore, quia ſicciſſimus, ſtatim ab ignis ſcintilla inflammatur. Ad tertiam videtur poſſe reſponderi, diuerſæ ſatis naturæ eſſe ſalnitrum noſtri tēporis, quod artificio conflatur, à Galeni nitro, quod naturæ eſt opus; ſed eſto eiuſdē concedatur naturæ, & Galeni nitrum, & quod noſtri vocant ſalnitrum, nil hinc contra nos arguitur; vocat enim calidum nitrum Galenus, & vocabimus nos ſalnitrum calidum, non tantum paſſiue, vt mox diximus, ſed actiue etiam, ratione partium tenuium natura calidarum, quæ ſunt in nitro, & ſalnitro, quarum ratione ſalnitrum totum, dum diſtinctionem, & ſeparationem harum partium non recepit, vt medicamētum applicatum, actiue calefacit, mordicat, erodit, diſſecat.

Vide Matthiolum lib. 5. in Dioſcor. c. 89.

Salnitrũ eſt etiam actiue calidum.

Inſtantia.

Dices, ſalnitrum quandō aquæ miſcetur, ſecundum omnes partes miſcetur tam frigidas, quam calidas, neque vlla fit harum partium ſeparatio; ergo non poteſt refrigerare aquam, ſicut in medicamentis applicatum per traditam doctrinam nō refrigerat, ſed calefacit. Reſpondetur in mixtione ſalnitri cum aqua, fieri partim deſtructionem partium tenuium calidarum ſiccarum ab aqua copioſa admixta frigida humida ſua natura, vt ſatis patet cuique; partim fieri ſeparationē partium tenuium ſalnitri ab eiuſdem partibus frigidis; hæ enim quia craſſiores cum aqua ſubſident; illæ vero vtpote tenuiores tum exhalant, tum in ſuperficiæ aquæ ſalnitro agitatæ ſupernatant, & ſpumam efficiunt; fit enim ſpuma admixtione halituoſæ ſubſtantiæ cum humida craſſiori;

Dilutio inſtantiæ.

Tract. de deiectionib. alui. q. de deiectione ſpumoſa.

vt

vt ſuo loco à nobis determinabitur. Quamobrem etiam Gal. de ſimpl. med. fac. c. 21. nitri ſpuma, & aphonitro minus docet eſſe calidũ nitrũ; Et teſtati mihi ſunt viri fide digni ſalnitrũ, quod in ſui mixtione cum aqua, maiorem ſpumam efficit, minus refrigerare, magis vero refrigerare ſalnitrum, quod purius eſt, minoremque ſpumam efficit, dum cum aqua agitatur, & circumducitur. quibus clare oſtenditur in ſpuma, quæ cernitur conſpicua, & effatu digna in circumductione ſalnitri cum aqua, dari nitri portiones tenuiores, & calidiores, & & conſequenter fieri partium ſalnitri ſeparationem, ob qu frigidæ aquam refrigerant; quod non accidit in ſalnitro, d applicatur, vt medicamẽtum v.g. alopecię, in quo caſu admixtas partes retinet.

Inſtabis, ſaltem quæ in ſpuma dantur exhalationes, & portiones calidæ ſiccæ ſalnitri, erunt impedimento quominus aqua refrigeretur. Reſpondetur eſſe quidem impedimento, vt patet ex mox dictis, quo enim maior eſt ſpuma, minus refrigeratur aqua. Vnde etiam putandum eſt fieri, vt, ſi dũ circumducitur ſalnitrum à dextra in ſiniſtram partem, oppoſita fiat circumductio à ſiniſtro in dextrum latus, non ſatis refrigeretur aqua; Quia exhalationes, quæ in prima circumuolutione euocabantur foras, in ſpuma detentæ, oppoſita circumductione iterum intro reuocantur, & refrigerationẽ impediunt, non autem omnino impediunt, quia ipſarum vis refracta eſt ab aquæ copia, cuius proportione ſunt valde minoris quantitatis. Alia inſtãtia Inſtantiæ diluɩio.

Obijcies ſecundo, nitrum, & ſalnitrum non ſunt de genere congelatorum; & aqueorum, ſed combuſtorum; ergo non poteſt eſſe facultate frigidum ſecundum vllas partes. Probatur antecedens. Quod enim nos ſalnitrum vocamus, in hoc Regno pluribus in locis conficitur ex putrefacto fimo diuerſorum animalium valde decocto in magnis ahenis, in quorum ima parte ſalnitrum inuenitur non ſecus ac ſal commune concretum, & ad bombardica tormenta quæſitum. 2. Obiectio. Generatio ſalnitri.

Nitrum

Generatio nitri.

Nitrum vero, de quo Galenus, Plinius, & alij, in nitria Aegypti regione copioſiſſime gignitur, vel pluuijs in nitrarias cadentibus, vel Nili aqua immiſſa, & nimio æſtatis ardore excoctis; ſicut & marinus ſal ſolis calore conficitur; qui generationis modie ad vſtionem pertinent, non ad congelationẽ, quæ fit à frigore, & conſequenter ſalnitrum, quod ita gignitur, calidum eſt, non frigidum.

1. Reſpõſio.

Probatur ſal nitrum conſtare ex partibus frigidis & calidis.

Reſpõdetur primo, hoc argumento omnino noſtram probari ſententiam; Cum enim ad ſalnitri generationem humidi, & aquei elementi requiratur copia, & calor ardorque ſiue ſolis, ſiue ignis, neceſſario ſequitur componi ſalnitrum ex partibus aqueis natura frigidis; & ex exhalationibus natura calidis ſiccis vi caloris progenitis, quod nos intẽdimus; Neque enim volumus ſalnitrum eſſe ex genere congelatorũ prorſus, ſicuti glaciem, niuem, & ſimilia; quæ congelantur à frigore ſolummodo: ad nitri enim congelationem concurrit tum calor eſiccans humidam materiã, tum frigus poſt eſiccationem à calore, facile congelationem tribuens.

2. Reſponſio

Combuſta lotione aquę remanẽt frigida.

Reſpondetur ſecundo. Eſto concedatur ſalnitrum eſſe ex genere combuſtorum; non tamen hinc ſequi eſſe omnino calidum: cum combuſta aliqua partes poſſint habere frigidas, quæ potiſſimum elucent, ſi aqua abluantur; id quod eſt in caſu noſtro, cum ſalnitrum cum aqua miſcetur. Quam doctrinam expreſſe docet, & explicat Galen. 9. de ſimplic. med. facul. ſect. 1. cui titulus eſt hic (replicantur quæ de aſtringentibus, & combuſtis medicamentis quatto libro demonſtrata ſunt) inquiens. (Sane combuſtorum omnium nullum plane eſt frigidum, relinquitur enim in illis velut empyreuma, hoc eſt ignitio quædam (nam ita vocabat Ariſtoteles) atque id eſt, quod per ablutiones detergitur ex combuſtorum ſubſtantia ſubtiliſſimum, quod vbi cum aqua abierit, quod vſti reliquum eſt, ſubſtantia terrena eſt, ſi quidem humidum omne combuſtio abſumit, reliquum autem terrenum eſt vnà cum empyreumate ab Ariſtotele vocato. Hoc ergo vbi per

lotionem ablatum, ac ſemotum fuerit, aqua in qua medicamen ablutum eſt, calidam aſciuit facultatem, eamque tenuium partium: quod vero reliquum eſt, terreum ſimul & frigidum eſt) quibus nil clarius ad confirmandam noſtram ſententiam de aquæ refrigeratione à ſalnitro, vt patet perlegẽti; Dicimus enim ſalnitrum, quod in combuſtorum etiam poteſt poni genere; participat enim abſumptionem humidi vi caloris; dum aqua commiſcetur, & circumducitur, ablui, & eius portionem calidam in aquę ſpumam tranſire, reliquũ vero frigidum eſſe tum actu, tum virtute, & potentia, quod aquam refrigerat.

Qua ratione ſalnitrũ poſſit dici de genere combuſtorum.

Inſtabis per hãc Galeni doctrinam ſequi in hoc caſu aquã non refrigerari, ſed calefieri, cum calidam recipiat qualitatem, eamque tenuium partium, vt Galenus loquitur. Reſpõdetur ſequi tantum non refrigerari ſpumam, in quam fit ſalnitri partium tenuium tranſitus, vt dictum eſt; Vel non refrigerari aquam, ſi paruæ ſit quantitatis, quæ ſolum abluat ſalnitrum, & in ea remaneat partium ſubtilium, & calidarum receptio: contra autem ſe habet in magna quantitate aquæ agitatæ ſalnitro, huiuſque partibus ſeparatis, ita vt calidiores ſupernatent, ſpumamq; efficiant, craſſiores autem cum aqua ſubſideant. Vnde etiam fit vt iterum calefiat aqua ſalnitro refrigerata, poſt horam; quia iterum ſubtiliores partes ſalnitri cum aqua miſcentur, diſſipata ſpuma. Accedit etiam ad hoc, & ambiens calidum adiuuans aquæ calefactionem, ſiue ſalnitro, ſiue niue fuerit refrigerata.

Inſtantia

Dilutio

Cur iterũ calefit aqua ſalnitro refrigerata.

QVAESTIO QVINTA.
De potabilis aquæ viribus, & effectibus.

POtabilis aquæ nomine ſine vllo addito intelligimus ſiue artificio carentem, & naturalem aquam, ſiue etiam artificialem, quales ſunt aquæ decoctæ, vel deſtillatæ, vel aliter vtiles redditę, modo ei ſpecies vlla non ſit admixta ſiue aniſi, ſiue fœniculi, ſiue coriandri, ſiue cin-

namomi, ſiue mellis, ſiue alterius ſimilis rei, cum quibus ſolent aquæ decoqui,& fieri ad potus vſum vtiles, iucundęque guſtui,de quibus hic non loquimur.

1 Concluſio An aqua potabilis ſit facultate frigida & humida.

Prima concluſio. Potabilis aquæ facultas,& vis eſt tum refrigerandi, tum humectandi. Ita Galenus ex profeſſo 1.de ſimpl.med.fac.c.4.5.6.7.8. Et

1. probatio.

Probatur Primo Ratione ex his locis deſumpta, quæ eſt ab effectu. Potabilis aqua admota cuilibet,ſemper refrigerat, modo magis intensè,modo minus;nunc citius, nunc tardius,prout quidem illa quandoque frigidior,quandoque tepidior; & calidioribus aliquando naturis, & morbis, aliquādo vero frigidioribus applicatur; Quod idem præſtat medicamentis admixta, quæ magis reddit refrigerantia, vt de cerato demonſtrat Gal.cit.c.6.ergo potabilis aqua refrigerandi facultate eſt prædita. Amplius potabilis aqua ſemper humectat, etiam ſi calida applicetur,vt patet in calida perfuſis, & in vlcerum lotione ex prædicta aqua potabili.Quin ēt hęc aqua oſtendit maximè laborantes aqua intercutem, & ſitim ſedat; eſt igitur aqua potabilis virtute maximè humida.

2 probatio.

Probatur Secundo Ratione fere à priori. Aquæ ſecundum ſuam naturam ſpectatæ competit frigiditas, & humiditas, iuxta communiſſimam opinionem, vno excepto Teleſio lib. 2. de natura c. 23. negante aquam eſſe frigidam, quod falſiſſimum eſt; vt patet ex allatis experiētijs,& ex facili terminabilitate aquæ alieno termino, & ex eius conſeruatione maxima cum frigiditate, & humiditate, quibus deperditis, aqua corrumpitur facile; ex aquæ generatione, quæ per frigiditatem, & humiditatem fit; & tandem ex aquæ reductione ad frigiditatem ex vi propria, vt patet in balneis, in quibus aqua maiorem frigiditatem ſibi reuocat, & ſeruat,quam balneorum aer obtineat;quocirca ab aere frigiditatem aquæ tribui non dici poſſit. Item ex reductione ad humiditatem, vt patet in glacie,& niue, quæ etiam in locis frigidis parumper liqueſcunt. Ergo naturalis eſt aquæ frigiditas, & humiditas

ditas; immo etiam & ſumma tum frigiditas, tum humiditas, iuxta complurium philoſophorum opinionem, & Galeni à nobis cit. initio huius tractationis ſecundũ ſe eſt aquæ propria; ergo potabilis aqua ab aqua ſecundum ſe, & ſuam naturam ſpectata parum diſcrepans, ſcilicet quod ea omnino ſit ſincera, & pura; hæc vero tantum quo ad ſenſum, & potus vſum; erit frigida,& humida,& conſequenter frigefaciẽdi,& humectandi vires,& facultates habebit. Sed contra.

Obijcies Primo. Calida balnea,& lauacra eſiccant corpora, & ſitim inducunt, vt fuſe dicendum à nobis noſtra tract. de fame,& ſiti; ergo falſum eſt aquam dulcem, & potabilem eſſe facultate humidam. Reſpondetur huius nodi difficultatem fuſe explicari à Gal. cit. 1. de ſimpl. med. fac. c. 8. per repetitas ſcilicet calidas perfuſiones fieri humorum fuſionẽ, & euaporationem,qui ſunt in vaſis, alijſque inanibus ſpatijs, cum tamen vaſorum corpora, partes ſolidæ, & genuinæ, ac vniuerſum genus carnoſum ſeipſo fiat humidius, id quod argumento vlcerum dum perfunduntur calida, demonſtratur, ipſorum enim caro fluida, mollis, & flaccida algæ ritu efficitur, ſemper igitur corpora humectat aqua, ex accidenti vero quatenus humorum efficit fuſionem, humorum ſiccitatẽ quandam cauſat. facultas autem, & natura tum aquæ,tum cuiuſlibet rei, ex eo, quod per ſe,ac ſemper efficit, non autẽ ex eo, quod ex accidenti producit, inſpicienda eſt, vt Galenus monet lo. cit. & c. 3. ex profeſſo. Atque ad argumentum in forma reſpondẽdũ eſt, eſiccari à calidis balneis aquæ dulcis corpora ratione humorum, qui liquantur, non ratione ſolidarum partium, & carnoſarum, quæ humectantur; Et idcirco à calidis balneis quandoq; ſitim induci; quia humor diſperſus in tunicis oris ventriculi, exhauritur, qui ad cibi concoctionem, & diſtributionem eſt à natura deſtinatus, vt in tract. de fame, & ſiti diligenter docebimus.

1. Obiectio.

Reſponſio.

Cur calida balnea aquæ dulcis inferant ſitim.

Obijcies ſecundo motiua Teleſij, quorum primum eſt, quia aquæ materiam præbent calidi vapores, ex quibus gi- 2. Obiectio.

gnitur; ergo eſt natura calida, ſicut ſunt vapores. Secundũ quia humiditas oritur ex calore, etiam ex Ariſtotele 5. de generat. anim. c. 3. poſt med. vbi ait nullum humidum eſſe ſine calore; igitur aqua natura humida, erit etiam calida. Tertium, aqua hyeme euaporat in puteis, euaporatio autem fit vi caloris; ergo aqua eſt calida.

Reſponſio. Reſpondetur facillime. Et ad primum reſpondent quidam ex vaporibus gigni quidem aquam, ſed mutatis in frigiditatem, quod verum apparet in pluuia, ſed non in aquæ guttis, quæ in ollæ operculo reperiuntur, in quo per ſolam alliſionẽ aquei feruentes vapores in aquam addenſantur, non igitur ſemper, & neceſſario vapores per frigiditatem vertuntur in aquam, & conſequenter firmum remanet argumẽtum, aquã cum ex vaporibus calidis in aquam mutetur calidam, ad ſui generationem non requirere frigiditatem, nec eſſe natura frigidam, quare dicendum eſt, ex vaporibus aquam non vere gigni formaliter, ſed per accidens; vapores enim ſunt formaliter aqua, ſola tenuitate ab aqua differentes; eſt enim vapor, humor extenuatus, vt Galenus diſertis verbis inquit 1. de ſimpl. med. fac. c. 8. ex generatione autem ſecundum accidens, non ſequitur, id quod gignitur, debere habere ex ſua natura qualitates eius, ex quo gignitur; ſicut neque valet dicere, glacies gignitur ex aqua; ergo glacies ex ſua natura eſt mollis, fluxilis ſicut aqua; neganda igitur eſt primi huius argumenti conſequentia. Ad ſecundum dicendum, humiditatem à calore oriri quandoque, non per ſe, neque in corporibus ſimplicibus, ſed per accidens, & in corporibus mixtis, ſiue perfectis, vt eſt cera, ſeuum, & ſimilia, ſiue imperfectis, vt nix eſt, & glacies, & de mixtis viuentibus loqui Ariſtotelem lo. cit. vnde nil ſequitur contra concluſionem, & neganda etiam ſecundi argumenti conſequẽtia. aqua enim eſt ſimplex corpus, non mixtum ſiue imperfectum, ſiue perfectum. Ad tertium patet ſolutio ex dictis ſupra de aqua hyeme calida, æſtate frigida propter prohibi-

Vapor eſt extenuatus humor ex Gal.

Quando humiditas oriatur à calore.

q. 2. ar. 2. concl. 2. in fine.

tam

tam tranſpirationem à frigore calidorum tum vaporum,tum exhalationum, quæ idcirco multiplicantur adeo , vt profundiora terræ calefaciant, ibidemque contenctam aquam,quã halitibus quaſi prægnantem reddunt,& in puteis effumantẽ; Eſt igitur aqua in hoc caſu non ex ſua natura, ſed ab extrinſeco calida, atque id ſolum, quod conceditur, vi tertij argumenti concluditur.

Obijcies tertio pro eodem Teleſio,aqua calefacit,vt conſtat ex Hyppocrate 5. aph. 21. vbi inquit. (Eſt autem vbi in diſtentione ſine vlceratione, iuuene bene carnoſo, æſtate media frigidæ aquæ multa perfuſio calorem reuocat; Calor autem hæc ſoluit) ergo aquæ vis,& facultas non eſt refrigeratoria,ſed calefactoria etiam. Reſpondetur vim calefaciendi aquæ per accidens competere , quatenus cutem condenſando, quam per ſe refrigerat, caloris prohibet tranſpirationem, qui idcirco augetur,& acceruatur;quare nil contra concluſionem ex hoc argumento , & legendus Galenus tum in hunc locum cit. Hyppocratis, tum alibi,potiſſimum 3.de tẽperam. c. 5. in med. vbi fuſe hanc explicat doctrinam. Maneat igitur aquę potabili,& vtili,de qua loquimur,vim ineſſe refrigerandi, & humectandi, hoſque eius eſſe effectus per ſe, adeo vt etiam ſi calida applicetur,ſemper humectet,& refrigeret etiam, ſi temperate calida applicetur,vt conſtat legẽti Galenum loco cit. 1. de ſimpl.med.fac. c.8. Alij ſunt effectus aquę conſequentes ad prædictas,de quibus conſtabit ex dicendis in ſequentibus quæſtionibus de aquæ vſu, ſolum de aquæ pluuialis facultate alia à prædictis diſtincta , ſit 3. Obiectio. Re

Secunda concluſio. Aqua pluuialis ad potum vtilis,prçter vim refrigerandi , & humectandi habet vim aſtringendi maiorem quam habeant aliæ aquæ potabiles, de quibus hic eſt ſermo . Ita Galenus docet 7. de compoſ. med. ſecund.lo.c. 2. in princ. vbi idcirco aquam pluuiam docet miſceri medicamentis arteriacis;quæ ſcilicet faciũt ad ſanguinis reiectationem, de quibus fuſiſſime citato capite; quia aſtringendi 2. Concluſio An aqua pluuialis ſit aſtringens.

vim

vim quandam obtinet; quam etiam ob cauſam alijs miſcetur medicamentis, qualia ſunt ocularia,vt videre eſt apud eundem Gal.4.de compoſ.med.lo.c.7.& alibi,& eadem de cauſa mulieres aqua pluuiali vtuntur ad faciei rugas occultandas.

Cur aqua pluuia faciat contra rugas faciei.

Probatio.

Probatur concluſio Ratione à priori. Aqua pluuialis licet optima, habet admixtas exhalationes tenuiſſimas natura valde ſiccas; propter quas diutius ſeruatur imputris, & diutius à putredine vindicat medicamenta, quibus miſcetur,vt dictum eſt ſupra, ergo propter eaſdem aſtringendi vi quadam erit prædita. ſiccitatis enim vi corpora coarctantur,& aſtringuntur; ſicut contra vi humiditatis laxantur, & & dilatantur,vt ſatis conſtat experientia eſiccantium medicamentorum, ſolis,ignis, & frigoris eſiccantis. Hinc colligi poteſt ratio,Cur aqua pluuialis lœdat pectus, & vocem, quia aſtringente vi eſt prædita, non quia ſit ſubtilis valde; & magis quam aqua fontana, ideoque magis penetret ad prædictas partes, vt putauit Auicenna loco ſæpius ſupra cit. ibidemque Gentilis dub. 11. Atque de hac peculiari ui, & effectu aquæ pluuialis nulla eſt controuerſia.de alia communi aquæ potabilis proprietate, ſeu facultate. An ea ſcilicet nutrimentum præbeat animali, ſit

Cur aqua pluuia lædat pectus, & vocem.

3. Concluſio

Tertia Concluſio.aqua potabilis,de qua in hac quęſtione eſt ſermo, non eſt materia apta ad nutritionem animalis.Ita Auctor libri de bonitate aquæ c.1.poſt med.Auicenna in primo fen. ſecunda doct.2. ſum.1.c. 16. ibidemq; Gentil.ad 2. dub.Valleſius 6.controuerſ.c.6.vbi communem hanc vocat opinionem medicorum, eandemq;Ariſtoteli tribuit; Mercurialis tract. de vino, & aqua c.6. vbi plures pro concluſione, & contra concluſionem refert;videtur autem contra Auctorem libri de anatom.Viuorum c.1.vbi Galenum referēs negantem aerem,& aquam nutrire, ſtatim ſubdit hæc verba. (& dico quod aqua eſt ad nutrimentum corporis, aer vero ad nutrimentum ſpiritus) Hanc eandem opinionem ex neoteri-

An aqua nutriat.

tericis medicis defendit Ioannes Coſtęus lib. 1. de potu in morbis c.15. putans omnino,& vere aquam nutrire.

1. probatio.

Probatur concluſio. Primo auctoritate expreſſa Galeni 4. de vſupar.c.5. vbi aqua nullam particulam nutriri poſſe docet,& in lib.Hypp de rat.vict. comm.3.in tex. 17. vbi habet aquam non vt alimentum vires recreare, ſed vt medicamentum ad ſimmetriam perducens: quæ doctrina eſt valde notanda.

Nota quomodo aqua vires recreet ex Gal.

2. probatio.

Probatur Concluſio ſecũdo Ratione fundamentali. Nutritio nihil eſt aliud niſi generatio partis nutriẽdæ; eſt .n. nutritio mutatio alimẽti in ſubſtãtiã nutriti; ſed partis animalis generatio non poteſt fieri ex aqua, ſeu ex alio quouis corpore ſimplici, ſeu elemento; neque igitur nutritio fieri poteſt ex aqua,ſeu alio ſimplici elemento. Confirmatur,generatio quælibet,ſeu ſubſtantialis mutatio fit ex materia habente diſpoſitiones,& qualitates, propter quas apta ſit ad recipiẽdam formam,quæ gignitur; ſed aqua,& quodlibet elementũ ineptiſſimum eſt ad recipiendam formam ſubſtantiæ nutriendæ; hæc enim mixta eſt, ſeu potius in mixto corpore, ergo aqua,& quodlibet elementum nullatenus eſſe poteſt materia nutrimenti animalis.

4 Concluſio

Quarta Concluſio Aquæ potabilis de qua loquimur, vis & facultas, eſt, adiuuare diſtributionem nutrimenti ad partes corporis animalis; Conceditur ab Auctoribus ſupracitatis, & ab omnibus. & Ratio aperta eſt, quam docet Galenus cit.lo.4.de vſupar.c.5.his verbis (neque enim ex uentriculo in uenas tranſumi commode poterat chimus iam ex cibis factus, neque facile pertranſire uenas, quæ ſunt in hepate & multæ, & anguſtæ, niſi tenuis quædam, & aquoſa humiditas tamquam vehiculum fuiſſet ei admixta, hunc itaq; vſum præbet animalibus aqua.) Atque iuxta huius Concluſionis doctrinam explicandi ſunt grauiſſimi Auctores tum Medicinæ, tum Philoſophiæ,ſi quando contra videantur loqui. dicentes aquam nutrire, vt Hyppocrates, Ariſtoteles, volue-

Probatio.

Notabilis auctorum explicatio.

Digitized by Google

voluerunt nempe hi ad nutritionem facere, cibi diſtributione, vt putat concluſio. Sed contra.

1. Obiectio. Obijcies primo. Aerei halitus nutriunt, vt patet ex odorabilibus, ex quibus reficimur; ergo multo magis aqua his vaporibus craſſior nutrimentum præbebit animali. Reſpondetur primo ex odorabilibus vere non fieri nutritionem, ſeu particulę animatę generationem; ſed fieri reparationem ſpirituum, qui non ſunt animati, vt demonſtrauimus noſtra tract. de ſpiritibus q. 5. quamquam ſunt ſpiritus præcipuum animæ inſtrumentum. Reſpondetur ſecundo, odorabilia licet ſint tenues halitus, eſſe mixta corpora, non ſimplicia, & idcirco alius eſt odor vini proprius, alius olei, alius carnis, alius roſarum, alius violarum, alius malorum, alius pomi, & cæt. quocirca facilius, & rationabilius ex odorabilibus poſſemus nutriri vere, & per veram nutritionem recreari, quam ex aqua. Reſpondetur tertiò ex odorabilibus refici nos non tamquam ex alimento, ſed tamquã ex medicamento ad ſimmetriam perducto tum cerebro, tum corde, vt dictum eſt de aqua, ex Galeno. nil igitur ex hoc argumento contra noſtrã quam ſequimur doctrinam, vt patet.

Reſponſio.

An ex odorabilibus nutriamur, & reficiamur, & quomodo

2. Obiectio. Obijcies Secundo. Piſces, & plantæ etiam arboreæ nutriũtur aqua, vt conſtat experientia; piſces enim extra aquam non viuunt defectu alimenti, quod eſt aqua. plãtę etiam areſcentes, & ad interitum properantes, aquæ irrigatione ad vitam reuocantur; pariter igitur cætera animalia, potiſſimũ homo, qui dicitur arbor inuerſa, aqua nutriuntur, & aquæ nutritione viuunt; Atque hoc argumento ita perſuaſus eſt Adrianus Tornebus Gallus, libello de vino, vt incrementi diminutionem, quam hodie tum Galli, tum Germani, tum Itali, tum cæteræ gentes habent, cũ antea non haberent, vt ipſe opinatur; tribuat potiſſimum, quod aquæ vel parum, vel nihil, ſed vini potu vtantur. Hoc idem probat, quod videamus plura animalia longiori tẽpore perdurare ſolo aeris nutrimento, vt chamæleontem; multo igitur magis ſola aqua nutriri poteſt animal. Re-

Reſpondetur negando antecedens; Piſces enim omnes nutriuntur alimento, quod in aqua reperitur ipſis congruũ, quo deficiente, deficit ipſorum tum incrementum, tum multiplicitas; & ſane non ob aliam rationem quædam loca tum maritima, tum lacuſtria piſcibus affluunt, quędam vero non; non certe ob aquæ varietatem, ſed ob alimenti copiam, vel inopiam, ad quod inueniendum mouentur piſces iuxta temporum varietatem varia loca peregrinatione quadam percurrentes. Moriuntur autem extra aquam piſces, tum defectu alimenti, quod certe non eſt aqua, ſed in aqua reperiunt piſces, non in aere, vt diximus etiam noſtra tractat. de motu animal. q. 24. art. 6. concl. 2. in reſp. ad primam obiect. tum quia in aqua tamquam in loco piſcibus naturali, piſcium ſimmetria conſeruatur; deſtruitur autem in aere piſcium nõ reſpirantium generi minime connaturali; Vnde fit vt qui reſpirant piſces, & in terris nutrimentum ipſis idoneum inueniunt, diu in terris vitam protrahant. Plantis etiã aquæ irrigatio admodum ſalutaris exiſtit; tum quod ipſis ſimmetriam afferat connaturalem, vt dictum eſt de piſcibus, hinc fit plantarum folia calore, & ſiccitate, æſtiuo tempore languentia, pluuia decidente, ſi madefiant, ſtatim vireſcere, naturali recuperata temperie. tum quia neceſſaria eſt aqua ad mixtionem cum terra, ex quibus immixtis nutrimentum à plantis trahitur conueniens; adeo vt in aridioribus locis arbores incrementum non recipiant magnum, deficiente copia nutrimenti, quod quidem non eſt aqua ſimplex, ſed mixtum ex aqua, & terra; Vt idcirco recipienda partim ſit Tornebi opinio de exhibendo aquæ potu non quidem ſemper, vt voluit Tornebus, ſed incrementi tempore, vt melius infra explicabitur, aere etiam nutriri animal aliquod, vaniſſimum eſt, ob concluſionis fundamentum; Quæ autem diu viuunt animalia, vt chamæleon, ſine cibo aſſumpto, frigidiſſimæ ſunt complexionis tum melancholicæ, tum flegmaticæ, quibus ſufficit diu humor frigidus in ipſis exiſtens ad vitæ

Reſponſio.
An piſces nutriãtur aqua.

Cur piſces moriãtur extra aquam.

An plantę nutriãtur aqua, & cur plantarum folia languentia vireſcant pluuia decidẽte.

conſeruationem, non quod ex aere nutrimentum recipiant; Atque hac ratione per plures menſes potuit puella germanica cibo non indiguiſſe; & per hyemem integram in latibulis animalia quædam dum ſopita quieſcunt, pinguiora reddita adueniente vere, expergiſcuntur.

3. Obiectio.

Obijcies tertio aqua vertitur in bilem amaram, quæ mixtum quoddam eſt, vt ſatis patet; ergo etiam verti poteſt in partis nutriendæ ſubſtantiam mixtam; conſequentia videtur manifeſta. Antecedens probatur auctoritate Hyppocratis de rat. vict. in acut. par.3.tex.40. vbi aquam docet amareſcere, eſſe biliosam, & biliosiſſimam in naturis bilioſis. Reſpondetur negando antecedens. & ád Hyppocratis auctoritatem, itemque Galeni, qui fere eodem modo loquitur in hunc locum Hyppoc. dicendum nolle hos auctores aquam verti in bilem flauam, ſicut in flauam bilem vertitur portio tenuis chyli iuxta communem opinionem, vel tenuis portio ſanguinis iuxta noſtram ſententiam pluribus confirmatam à nobis noſtra tract. de humoribus. q.4.

Reſponſio.

Quomodo aqua dicatur bileſcere.

4. Obiectio.

Sed bilis mixtione corrumpi, atque idcirco amareſcere, & eſſe hac ratione bilioſam aquam, non quod in bilem vertatur, & tranſmutetur, quod fieri nequit, cum bilis ſit quid mixtum, aqua vero corpus ſimplex, ex vnico autem corpore ſimplici gigni corpus mixtum, implicat naturaliter.

Obijcies quarto fame morientes, ſi aquam bibant, magis perdurant, vt habetur ex Galeno in Hyppoc. de rat. vict. com. 3. in tex.19. ergo ſignum eſt aquam nutrimentum præbere. Confirmatur, quia vt habetur ex eodem Gal. cit. loc. & in tex. 17. mulſa multo potentior eſt quam aqua, ſed mulſa aliqualem præbet nutritionem mellis ratione, ergo etiam aqua ſimplex nutriet quoquopacto. Reſpondetur ex aquæ potu perdurationem dierum fieri poſſe, nō tamquam ab alimento, ſed tamquam à medicamento ad ſimmetriam perducente partium calorem, & ſiccitatem; patet ex cit. lo. Id quod cum mulſa efficiat duplici ex capite, & quia nutriens eſt, ratione

Reſponſio.

Cur fame morientes magis perdurent ſi aquam bibant.

tione mellis,& quia attemperans eſt medicamentum, quia aquam habet admixtam in magna copia; idcirco à Gal. dicitur potentior quam aqua, non quod aquam nutrire putauerit; Vnde patet reſponſio ad confirmationem.

Obijcies quinto potus aquæ concoquitur, & digeritur ſicut & cibus; ergo ſicuti cibus, facit ad nutrimentm corporis. Reſpondetur negando ſimpliciter antecedens; cibus enim concoquitur vt nutrimentum corporis futurum, potus vero aquæ vt materia ad diſtributionem nutrimenti faciens; quapropter aqua neque in ventriculo, neque in hepate, neq; in partibus ſubſtantialiter permutatur, ſed formaliter ſemper eadem perſeuerat; vt patet ex eo, quod vrina, & ſudor, aqua ſunt, ſed mixta. Habent enim mixtum ſerum ſanguinis, vt alibi dicendum. cibus vero in triplici coctione ſemper ſubſtantialiter tranſmutatur. 5. Obiectio. Reſponſio. aqua in tripli ci coctione nnmquã formaliter mutatur.

Obijcies ſexto. Contra 4. concluſ. potus aquæ multoties impedit cibi diſtributionem; ergo falſa concluſio. Reſpondetur impedire non ex ſui natura, ſed vel in frigidis naturis, & morbis; vel in multa quantitate, & intempeſtiue aſſumptam, qui non ſunt caſus noſtrarum concluſionum, quæ aquam reſpiciunt, & naturas optime, vel ſaltem bene conſtitutas; mox enim dicemus quibus aqua, & quando conueniat, vel non, ſit igitur

---

QVAESTIO SEXTA.

De vſu aquæ potabilis in corporibus ſanis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quibus naturis, ſeu complexionibus in ſanitatis latitudine exiſtentibus conueniat aquæ potus.

Concluſio, aquæ, ſeu frigidæ potus conuenit naturæ, & complexioni calidiſſimæ. Ita docet magnus Hypocrates 6. de morb. vulg. par.4.tex.15.vbi hæc ha- Concluſio.

bentur verba.(Calido natura refrigeratio,potus aquæ,quieſcere.) In quem locum Galenus notat Hyppocratem per calidas naturas intelligere eas, quæ non ingenito calore, ſed acri, mordaci, & non naturali,ac aduentitio abundant; ſed ſane concluſionem noſtram intelligi etiam, & verificari in qualibet natura etiam ingenita,patet ex eodem Galeno lib. de ſuccorum bonit. & vitio c. 11. in fi. vbi ita loquitur(homini temperatura calidiſſima prædito, vel naturali, vel ex ætate, vtilius aqua bibitur, quam vinum) & 1. de ſan. tuen. c. 11. pueris, qui calidioris ſunt naturæ, itemque adultis, vinum prohibet, & aquam concedit.Quod idem docuit Plato in Timæo,& 2. legum, quæ loca omnino legenda diſertis verbis refert idem Gal. lib. quod animi mores corporum temperaturas ſequantur c. 10.

Probatio. Probatur Concluſio ratione,quæ colligitur ex Galen. lo. cit. 1. de ſanit.tuenda, & lib.quod animi mores,&c.Natura & complexio calida, cum potu neceſſariò vti debeat, ſi potus calidus ſit vel actu,vel potentia,neceſſariò calor augebitur, ita ut facile modum excedat; vt igitur hoc vitetur periculum, præſtabit vti frigida,& aquæ potu optimæ ad cibi diſtributionem, & coctionem, vt conſtat ex dictis ſupra de cõditionibus aquæ optimæ.

1. Confirm. Confirmatur primo, quia vt experientia conſtat,natura calidi aquæ potu maxime fruuntur, & in tempore æſtiuo aquæ potus eſt maxime ſalutaris,is igitur competit naturæ calidę.

2. Confirm. Confirmatur amplius, quia vt dicetur in calidis morbis conuenit aquae potus ad reprimẽdum feruorem,ergo & in calidis naturis aquæ potus erit cõueniens ne naturalis caliditas augeatur, & modum excedat.

3. Confirm. Cònfirmatur tandem ratione, quam clare innuit idem Galenus in lib. Hyppo. quæ in medicatrina fiunt com.3.in tex. 32.prope fi. Aquę frigidæ calor exiguus minime poteſt reſiſtere; exiguo igitur calore prædita corpora qualia ſunt quæ frigida vocamus,& quales ſunt naturaliter ſenes,frigidæ potu vti non debent; alioqui in morbos ex refrigeratione contra-

tractos incident. corporibus igitur calidis frigidæ potus eſt accómodus, quæ propter calorem frigiditati reſiſtunt, ab ea non mutantur, ſed tantum reprimitur calor ne efferueſcat.

1. Obiectio. Obijcies primo, quia Galenus loc. cit. 1. de ſan. tuen. c. 11. docet optimæ aquæ potu vti, puero, iuueni, & ſeni conducere; ſicut optimum aerem reſpirare, omnibus eſt ſalubre. ergo falſo aſſeruimus ſolum naturis calidis cõferre aquæ potum, ſenes enim ſaltem ratione ætatis frigidi ſunt, & conſequenter eis noxius eſt aquæ potus.

Reſponſio. Reſpondetur hoc loco nolle Galenum ſenibus abſolute competere aquæ potum; ipſe enim ex profeſſo tum 5. de ſanit. tuen. c. 5. tum lib. quod animi mores corp. temp. ſeq. c. 10. ex Platone docet vinum & flauum, ſeu fuluum, & quod calefaciendi, vrinaſq; ciendi vim habeat, ſenibus eſſe accommodatum, vt ſeq. tract. de vini potu explicabimus. putat igitur Galenus hoc loco tantum, in ſenibus ſi quando potus frigidi ſit neceſſitas, vel propter ingentem ſitim, vel calorem, vel ob conſuetudinem, vel ob aliam ſimilem cauſam, de qua infra, vtilem eſſe aquam optimam, ſcilicet ſupradictas obtinentem conditiones, hęc enim ad refrigerationem, & cibi diſtributionem eſt optima & ſalubris in omni ætate, ſicut reſpiratio optimi aeris, omnibus eſt ſalubris; Qua in re illa eſt differentia, quod reſpiratio ſemper ſit omnibus neceſſaria in omni ætate, non ſic potus frigidæ, quæ multoties ſeni non conuenit, vt dictum eſt. Ex his ad obiectionem reſpondetur primo negando conſequentiam; ſi quando enim potus aquæ conuenit ſeni, ille vel ratione caloris aſcititij, v. g. per motum acquiſiti, vel in morbis calidis, vel ratione conſuetudinis, quę altera eſt natura, competit, vt dicetur. Reſpondetur ſecundo dixiſſe Galenum optimam aquam conducere puero, iuueni, & ſeni, non quod ſenili conueniat ętati, & temperamento, ſicuti eſt accommoda ætati, & complexioni puerili, & adultæ, ſed reſpectiue ad alias aquas potabiles crudiores, & minus bonas quarum reſpectu aqua

optima

optima dicetur vtilior & iuueni,& puero,& ſeni;ſicuti aerem bonum, & purum reſpirare, vtiliſſimum eſt omnibus, habito reſpectu ad aerem magis impurum, imperfectumque.

2. Obiectio. Obijcies ſecundo ex Galeno 3. de ſanit. tuenda c.4. aqua frigida impedit incrementum corporis; ergo ea non eſt potanda à pueris, & adultis, dum augeſcunt, & conſequenter mala poſita à nobis concluſio. Neque eſt quod dicat quis, Galenum hoc loco loqui non de frigidæ potu,ſed de lotione frigida, ſic enim inquit lo. cit. circa med. (cæterum optimũ corpus quo ad augeſcit, dictum ſupra eſt, non eſſe frigida lauandum, ne eius incrementum moretur.) Etenim qua ratione frigida lotio obtundendo calorem, incrementum impedit, pariter frigidæ potus calorem reprimendo, morabitur augmentum.

Reſponſio. Reſpondetur conceſſa obiectionis doctrina vera illa quidem quo ad lotionem frigidam iuxta Galeni mentem, & veritatem, neganda eſt poſita in obiectione paritas. Neque enim frigida lotio moratur incrementum, quia obtundat internarum partium calorem, ſed quia cutim denſat, cutiſque calorem remittit, quæ denſata, & refrigerata, non facile extenditur,prout ad augmentum requiritur,vt patet;Id quod non fit à potu frigidæ, à qua ſolum cum moderata eſt, de qua loquimur, calor retardatur,ne naturalem excedens mẽſuram, alimentum diſſipet, & deſtruat potius, quam ex eo ſubſtantiã copioſam non ſolum ad nutritionem, ſed ad augmentationem etiam reparet. Item ab hoc potu frigidæ,quia illi reſiſtit internus calor vigens, extrinſeca nos cooperiens cutis non denſatur, aut cogitur; Atque hanc diſparitatem, & rationem,cur à frigida lotione noxa contingat incremento, clare inſinuat Gal. cit. loc.

An frigidæ potus, & frigida lotio impediant incrementa puerorum.

3. Obiectio. Obijcies tertio, potus aquæ à natura eſt non hominibus tantum, ſed animalibus omnibus inditus ad ſolatium, & cibi diductionem, inter quæ aliqua ſunt homine frigidiora, & ſenio conficiuntur etiam animalia omnia, & conſequenter frigida

gida euadunt, quæ tamen adhuc ſemper potu aquæ vtuntur natura docente non certe imprudenter, aut negligenter hæc animalia, ergo falsò aſſeruimus aquæ potum deberi complexionibus, & naturis calidis.

Reſpondetur, negatur conſequentia; neque enim ex eo quod animalia homine frigidiora, aquæ potu vtantur, ſequitur pariter aquæ potum frigidis hominibus conuenire. manifeſto enim videmus equos in declinante ætate, dato pane ex vino, fortiores fieri; & ad labores aptiores, pariter dum ex labore laxantur; quod manifeſto arguit frigidioribus animalibus, quantum eſt ex vi complexionis, vini potum fuiſſe cõuenientius aquæ potu, quo vini potu vidi ego etiam caſtratos arietes, ſeu verueces, ſi eis exhiberetur, maxime frui, & pingueſcere; eodemq; potu vini delectari ſerpentes quoſdam oblongos, ſœpius audiui, non ſecus ac vinoſos homines. Quocirca non eſt arguenda natura, quod ad potãdum vinum cæteris animalibus facultatem, & aptitudinem non dederit; neque enim animalium, & hominis eadem cura, & ſolicitudo erat habenda à natura, quæ etiam in eo admiranda eſt, quod animalibus cæteris maximam in bibendo temperantiã indiderit: hinc aues quædam non bibunt, nec ſitiunt, teſte Auctore libri de Anatomia viuorum ſect. de anatomia arteriarum, quia frigidæ ſunt, & multæ færæ, quæ latibula incolunt, multo tempore, totaque fere hyeme, qua in cauernis commorantur, cibo non indigent, nec potu; quia frigidæ sũt, & externo frigore ipſarum cutis denſatur, quapropter vel nihil, vel parum admodum ex ipſis defluit, ad cuius reparationem datur cibus, & potus, vt Galenus docet lib. de venæ ſectione aduerſus Eraſiſtratum c. vlt. cir. fin. Quapropter ſi ex animalibus, quæ ſolius naturæ ductu vitam degunt minus in culpatam, & magis ſanam, conſilium bibendi caperent homines, qui fridigioris, & humidioris ſunt tẽperamenti, quales ſunt plurimi; aquæ potum non ita frequenter haurirent, ſed magna vrgente neceſſitate, & ſiti. Cuius oppoſitum ſeruari

Reſponſio.

an cæteris animalibus cõueniat vini potus.

Cur quędam animalia parum bibant.

Conſiliũ bibẽdi ſumptũ à belluis.

uari videmus imprudenter quidem, & magno cum vitæ detrimento, inconſultumque ſępius audiuimus ad bibentium gratiam promulgatum adagium; Cibum eſſe belluarum, potum hominis proprium; cum certe tum in intemperato potu, tum in ciborũ ſuperfluo ingeſtu belluis multo deterius aberrent homines. Atque is error vere eſt hominis, non belluarum proprius.

4. Obiectio. Obijcies quarto argumentum, quod proponit, & ſoluit Galenus 5. de ſanit. tuen. c. vlt. in med. Quia abſurdum videtur iuuenem, qui ſit athleticus, aut militaris, aut foſſor, meſſorue, aut arator, vel deniq; qui robuſtum aliquod opus exercet, qui omnes neceſſariò natura ſunt calidi, aquæ ſolius potione vti debere; quare falſa concluſio, & Hyppocratis

Confirmatio dogma. Confirmatur; quia ſimilia ſimilibus conſeruantur; qui igitur ſunt natura calidi, vini potione, non frigidę ad ipſorum conſeruationem vti debent.

Reſponſio. Reſpondetur allata in obiectione temperamenta, & naturas, eſſe calidas quidem reſpectu complexionum frigidarum, ſecundum ſe vero conſideratas, eſſe valde temperatas, & quã maxime accedentes ad mediam iuſtitia temperaturam; Id quod ex fortitudine prædictarum operationum colligitur, ad quarum exercitium apta ſunt corpora mediocris temperiei, non ea, in quibus excedit præter modum caliditas, vt hoc lo. docet Galenus, & patet ex dictis noſtra tract. de temperam. q. 5. negatur igitur conſequentia; noſtra enim concluſio nõ loquitur de corporibus mediocri temperie calidis, quamquã plurimum habent ſubſtantiam caloris natiui, vt ſunt athletæ, quibus omnibus conceditur vinum dilutum ex Gal. hoc lo. & dicetur ſequenti tract. de vino. Sed de corporibus calidis excedentibus mediocrem temperiem ſiue à natura in-

Confirmationis dilutio. genita, ſiue adu..ntitia, quorum conſequenter corpora ſunt ſana, ſed lapſa. Ad confirmationem dicendum, ſimilia ſimilibus conſeruari, valere, & verificari in corporibus bene, vel optime ſanis, non in lapſis corporibus, & à media natura

decli-

declinantibus, quæ per contraria oportet corrigere, & conſequenter excedenter calidi aquæ potu debēt vti, vt attemperentur, & corrigantur.

Inſtabis ſaltem hinc ſequitur, pueros non omnes, ſed eos tantum, qui ſunt impenſe calidi, debere vti frigida, qui enim ſunt temperati, vt conſeruentur melius, & augeantur, debēt vti vini potu. Reſpondetur hanc inſtantiæ rationem omnino concludere, inſpecta puerorum temperatura, quæ etiam ſi frigidior ſit, multo magis frigidæ potum renuet; Et de ſatis calidis humidis pueris Galenum loqui 1. de ſanit. tuen. c. 11. patet lēgenti, & eadem ratione explicandum eſſe Platonem, ex ijs facile ſuadetur, quæ habet, dum inquit. (Itaque primum lege cauebimus ne pueri ad annum vſque ætatis duodeuigeſimum vinum prorſus deguſtent, docentes haudquaquam ignem igni ſuperindere in corpore) loquitur igitur de pueris ignitis, & calidiſſimis, quibus noxium eſt vinum, vtilis aquæ potus. Quocirca non ſimpliciter & abſolute contra aquæ potum putandum eſt cecinisse Scholam Salernitanam his verſibus. (Potus aquæ ſumptus ſit edenti valde nociuus. Infrigidat ſtomachum, cibum nititur fore crudum) cui ſimilem ſententiam poeta ſcripſit, inquiens. (vina bibant homines, animalia cætera fontes; Abſit ab humano pectore potus aquæ) ſolum enim in temperatioribus, & frigidioribus corporibus allata carmina verificantur, quibus non aqua, ſed vinum eſt accommodum, vt repetemus tract. de vino.

Quibus pueris vtilis ſit aquæ potus.

Platonis explicatio duum aquam cõcedit ſolã uſq; ad annũ decimum octauũ

Cẽſura ſcholæ Salernitanæ.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De tempore potandi frigidam in ſanis corporibus.

Concluſio. Tempus potandi frigidam in corporibus exiſtentibus in ſanitatis latitudine, eſt, cum adeſt ingens ſitis, quæ ſcilicet non eſt ſuperficialis, & modi-

Concluſio.

Quæ ſit ſitis ſuperficialis, & exigua.

ca, ſeu exigua, quam ait Galenus in 6. de morbis vulg. comm.4. in tex. 23. excitari non ex magno partium ventriculi affectu, ſed ariditate, ſeu caliditate locorum illorum, per quos ab ore ad ventriculum humor delabitur.

Probatio concluſionis.

Concluſio eſt ex profeſſo Galeni 5.aphor. 27. vbi inquit eſſe medicum theorema, valde ſitientibus potum eſse dandum, & aqua eſſe hanc ſitim reſtinguendam, & primo de ſimpl. med. fac. c.7. ita loquitur (ſitienti dulcis aqua leniens remedium eſt) & alijs in locis mox citandis eandem docet doctrinam.

Probatur Concluſio, ſitis ingens eſt intenſus appetitus frigidi, & humidi, vt tract. noſtra de fame, & ſiti, ex profeſſo explicabimus, & nequit ſomno, aut alia ratione leuari, ſicut leuatur ſitis ſuperficialis, vt mox dicetur; ergo potus aquæ, quæ frigida eſt, & humida, tunc maxime cum ſitis valida vrget, eſt exhibendus.

Dices primo ex hac ratione ſequi etiam in ſuperficiali ſiti, quam etiam mendoſam vocant; vtilem eſſe potum aquæ, contra concluſionem. Reſpondetur negando ſequelam, hęc enim alio modo tollitur, & aquæ potus in ea noceret, vt mox dicetur.

Dices amplius. Hyppocrates de ſalubri diæta tex. 31. ſic inquit (quos ſitis infeſtat, cibos hi & labores minuant, ac vinum dilutum bibant, idq; quam frigidiſſimum) ergo falſa concluſio. Reſpondetur negatur conſequentia, hoc enim loco Hyppocrates loquitur de vini potu diluti à cibo, & exercitio in his, quibus conuenit vini potus, vt dicemus tract. de vino, in hac autem Concluſione loquimur de tempore aquam bibendi in his, in quibus conuenit aquæ potus.

1 Corollar. an & qũ nocitu cõp. tat aquæ potus.

Ex hac concluſione Colligitur. Primo in intenſa ſiti, ſi nocturno incidat, vtilem eſſe frigidæ potum, ſecus ſi ſit ſitis exigua, & ſuperficialis, cui ſomnus medela eſt; Ita docet Galenus in Hypp. 5. aphor. 27. Et Ratio eſt ab eodem hoc loco aſſignata, & in 6. Hypp. de morb. vulg. comm. 4. in tex. 23.

tum

tum quia ſitis ſuperficialis dependet ab aſſumpto calido potu, in cibo vel in cęna, qui cum cōcoquatur, & ſubdeſcendat per ſomnum, non amplius calefacit, & eſiccat ventriculum; & conſequenter ſitis extinguitur; tum quia per ſomnum humectantur interiora corporis, atque ita humectatione ſomnus medela eſt ſitis ſuperficialis, non intenſę, quæ ſomno nō leuatur, ſed ſolo potu frigidæ.

Colligitur ſecundo ſiti ex ſomno facta, ſi ſuperficialis ſit, per vigiliam tolli, ſi vero intenſa ſit, à ſomno, ieiunoque corpore, gelidę potum eſſe ex vſu, & proficere. Doctrina eſt Hyppocratis loc. cit. 6. epidem. par. 4. tex. 23. dum inquit (inter vigilandum ſiti ſuperficiali ſomnus medela eſt; ſiti vero ex ſomno vigilia quibuſdam) & Ratio eſt à Galeno ibidem tradita, quia à ſomno in ſuperficiali ſiti, adhuc concoquuntur cibi in ventriculo, à quibus ventriculus calefit, & eſiccatur, vnde fit ſitis, quæ vigilia tollitur, cibis deſcendentibus, & cibis mundo reddito ventriculo, quibus ſi vacuus fuerit ventriculus factus, & ſitis permaneat, hæc iam non eſt ſuperficialis, ſed intenſa ex permanente caliditate, & ſiccitate in ventriculo, quæ ſine externo aquæ gelidæ ſubſidio non tollitur. Atq; ex his patet, quomodo ſit inſpiciendum, an aquæ potus à ſomno ſitienti ſit vtilis, an non; Inſpicere enim oportet, an omnino ſit vacuus ventriculus, quod à ſitiente poſſumus doceri, ex ſenſu grauitatis ventriculi, ex cibi ructibus, ex vrinæ cruditate, quæ denotant cibum non adhuc perfici in iecore, & conſequenter portionem eius adeſſe in ventriculo. Si vero hęc non adſint, & vrinarum adſit coctio, iam ciborum non eſt pręſentia in ventriculo cauſa ſitis; ſed permanens in ventriculo calida, & ſicca diſpoſitio, aquæ potum requirens. 2. Corollar. an & qñ à ſōno, & ieiunis competat aquæ potus.

Colligitur tertio ab aſſumpto cibo, & ante aliam cibi aſſumptionem, & ante concoctionem perfectam in ventriculo, prodeſſe quandoque, & eſſe neceſſarium aquę potum. Cū ſcilicet à cibo ingens ſitis vrget, quod ſolet contingere cali- 3. Corollar. an & qñ a cibo, & a cœna liceat bibere frigidā.

Digitized by Google

dioribus complexionibus. In hanc ſententiam loquutus eſt Galenus primo de ſanit.tuenda c.11.inquiens (à frigidę potione omnino prohibendos huiuſmodi pueros non cenſeo, quod tamen aliqui faciunt; Verum à cibo plerumque,& per calores cum ipſis cordi fuerit, vti permitto potiſſimum vero ſi copia eius ſit fontanę recentis,cui nulla qualitas vitioſa aliunde ſit contracta.) Idem 7. meth. med. c.6. ante fin.hęc hēt verba (ſed enim,& ꝙ illi faciunt, nihil mali ſit, ſi ij, qui conualeſcentium victu vtuntur, etiam faciunt, vt illico poſt cęnam non bibant, videlicet antequam cibus fuerit concoctus, ſiquidem innatant cibi,ſi bibant, ita vt eos ventriculi corpus propter interpoſitum humorem non contingat. Verũ ſi ſitibundi fuerint, prohibere eos in totum, vt graue eſt, ita nec expedit, ſed tantillum indulgendũ, vt moleſtiã ſoletur, & ſitim leuet. poſtea vero quam nutrimentum concoxerint, abunde bibere ſunt ſinendi, quippe celerrime ſi ita faciant, per corpus digeritur.)Ex quibus omnibus conſtat tum Galeni dogma de potu à cibo, tum eius ratio. Cum enim magna eſt ſitis à cibo, eius leuamen eſt adminiſtrandum,nempe potus, & aquę potiſſimum in prædictis naturis, de quibus loquitur concluſio; cum enim ingens eſt ſitis, ſiccitatis,& caliditatis excedentis adeſt indicium, cui debemus ſubuenire humiditate, & frigiditate, vt melior ſuccedat elixatio. ſicut in ollis non raro videmus deficiente debito humore, non concoqui ſed cruda reddi æſculenta, quod potiſſimum in decoctione leguminum obſeruatur. quamobrem non eſt recipienda vniuerſaliter prolata opinio Scholæ Salernitanæ

Cēſura ſcholæ Salernitanæ.

hoc verſu expreſſa. (Vt minus ægrotes, non inter fercula potes.) inter fercula enim,id eſt inter vnum & alterum cibũ, prandium, & cœnam, ex Galeni dogmate eſt quandoq; bibendum, cum vrget ſitis, ob rationes allatas.

4. Corollar. An qui aquã naturaliter bibũt debeãt

Colligo quarto. in prandio, & cœna, ab his, quibus prodeſt potus aquæ iuxta ſupioris articuli concluſionem, non eſſe ſœpe, & frequenter aquam bibendam. Probatur quia potus

potus aquæ debetur ſatis ſitienti, hæc autem ſitis non creſcit, nec gignitur frequenter in prandio, & cœna, ſed vbi multus fuerit cibus aſſumptus ab edētibus: Et quæ poſt paucos morſus contingit ſitis, ea eſt exigua, & ſuperficialis, cui non debetur ſtatim aquæ potus; Confirmatur hæc doctrina veriſſima experientia, quam nemo potuerit nobis melius obſeruare. Etenim omnes homines ſani, ſuapte natura ſolius aquæ potu vtentes, & naturaliter abſtemij, quales plurimi ſunt Neapoli, meique parentes fuere vſque ad ſenectutem, & vltimum vitæ ſpiritum, meæq. adſunt ſorores; & ipſe etiā extiti vſq; ad annum decimum octauum, Platonis dogma ſeruans, antequam illud nouiſſem, quod noui, cum in hac materia incumberē, vt typis traderem, annum agens quatrageſimum primum, meuſque etiam adeſt cariſſimus germanus, Aloyſius Antonius, Iuris vtriuſque Doctor, annum agens trigeſimumquintum, & omnino abſtemius; Hi igitur omnes, & alij quamplurimi ſanam vitā degentes, & potu aquæ vtētes in prandio, & cœna, non ſatis bibunt, & vna, aut altera aquæ potio potiſſimum circa finem prandij, vel cœnæ ijs ſufficit, qui etiam plerumque non bibunt. Cuius rei ratio alia nequit aſſignari, niſi quia admodū ſitientibus debetur aquæ potus; talis autem ſitis non excitatur ſœpe in aſſumptione cibi, ſed vbi plurimus fuerit cibus aſſumptus, vel totus, vel ſalſus, ſimiliſque ſaporis calidi, acris, dulcis; & conſequenter qui aquam bibunt, ea nec multa, nec frequenter vtuntur in prandio, & cœna, quæ ratio eſt veriſſima. Et ex ea infertur de aquæ potu non poſſe verificari, nec eſſe intelligendā Scholam Salernitanam, cum cecinit hunc verſum.

Frequenti pōtu aquæ vti in ciborum ingeſtione.

Cēſura Scholæ Salernitanæ.

Inter prandendum ſit ſœpe parumque bibendum.

An autem de vini potu vera ſit hæc Salernitana traditio, ſequenti tractatione de vino determinabitur.

Colligitur quinto ad leuādam ſitim ab exercitationibus, & à balneis, vtendum eſſe aquæ, non vini potu. Ita docet Gal. in lib. Hypp. de ſalubri diæta in tex. 12. eiuſdemque ſen-

5. Corollar. An & qñ ab exercitationibus, & balneis ſit aqua bibenda.

ſententiæ fuit Auctor libri de renuum affect. dignot. atque med.c.7.in fi.& ratio aſſignari poteſt ex dictis; quia ab exercitationibus, & balneis calidis corpus calefit, cui remedio eſt aqua, non vinum; Confirmatur quia vt cit. lo. de ſalubri diæta habetur, vinum caput replet, maxime ſi bibatur ab exercitationibus, & balneis; quapropter Athletæ experientia docti, aquam prius bibunt, & poſtea vinum. Ergo &c.

Sedata turbatione, à balneis, uel exercitio, é aqua bibenda.

Aduertendum autem eſt primo non ſtatim à balneo, vel exercitatione eſſe bibendam aquam, ſed ſedata turbatione, ac compoſita, quæ à balneis, & exercitationibus oritur, vt clare habetur cit loc. de ſalubri diæta, & in lib. Hypp. de rat.vict. com.3.in tex.56.vbi Hypp. ita loquitur (neque confeſtim à balneo ſorbendum, neque bibendum.) Huius doctrinæ ratio eſt, quæ ex cit.loc.colligitur, quia à balneis, & exercitationibus corpus vaporibus oppletur, vt ex laborioſo cõſtat anhelitu, quocirca qui tunc accipitur potus, vel cibus, ſupernatat in ventriculo, nec bene concoquitur, nec pertrãſit, vaporeſque idcirco copioſiores excitat, quibus caput tẽtatur, eoque magis ſi potus ſit vini. præſtat igitur ſedata turbatione, quæ fit à balneo, & exercitatione, aſſumere potum aquæ, non uini ob traditas rationes.

Potus à balneo, uel exercitio debet eſſe aquæ tẽperatæ.

Aduertendum ſecundo, à balneo, uel exercitatione, turbatione ſedata, potum debere eſſe aquæ non admodum frigidæ, ſed temperatæ. Cum enim propter calida balnea, de quibus eſt ſermo, & propter exercitationes corpus totum reddatur calidius, frigidique humoris fiat appetitus tum animalis, in ore uentriculi, tum naturalis in cæteris partibus, & uenis, celerrime ſi frigida bibatur admodum aqua attrahitur, & permeat partes; atque ita ex eius frigiditate, ſi magna ea ſit, nec temperata, uentriculus, iecur, nerui, aliæque partes noxam contrahent ex Gal. cit. de ſalubri diæta, ubi calidam docet debere præbibi in his caſibus. Auctor uero ci-

Qñ debeat præbibi calida aqua.

tatus de re. aff. dig. atq. med. temperatæ aquæ uſum non protinus à balneo concedit, & uterque bene decernit; epota

enim

enim prius calida,ſi poſtea bibatur frigida in caſu de quo loquimur, frigida non pertranſit, neque refrigerat uiolenter, calida aquæ quodammodo expletis partibus,& à calida prębibita remiſſa frigiditate eius, quæ poſtea bibitur frigida. quam ob cauſam etiam quæ temperata bibitur, non eſt noxia, ut patet.

Error ludentium parua pila, & aquã bibentium

Atque hinc colligere licet peſſimum plurimorum vſum, qui in ipſo paruæ pilæ exercitio, vel alio ſimili calefacti, frigidam affatim bibunt, magno cum diſcrimine incidendi in hydropem, aut in alium frigidum affectum;ipſe enim Galenus.5. de lo.aff. c.vlt. teſtatur ex intempeſtiua aquæ frigidæ potatione iecur affatim refrigeratum eſſe,& aquam intercutem ortam eſſe. Item aliorum, qui à balneis ſtatim valde frigidam ex niue potant, quod frequenter accidit in his,qui Puteolanis balneis,& ſudatorijs vtuntur, à quibus non ſine ratione nullam capiunt vtilitatem, quæ omnia tum ex ægrorum inobędientia, & illecebris; tum ex medicorum imperitia de his dogmatis, quorum certe cognitionem non attendunt, proficiſcuntur. Sed contra traditas in hoc Corollario doctrinas.

Error poſt balnea, & ſudores bibentium frigidã ex niue

Obiectio

Obijcies auctoritatem tum Hyppocratis lo.cit. de ſalubri diæta tex. 12. vbi iubet ab exercitio debere exercitatos adhuc anhelantes primo vinum bibere dilutum, non admodũ frigidum. Tum Galeni 5.de ſanit. tuen. c.5.in fi.vbi à balneo cõcedit vinum,quod parum aquæ tolerat,non aquæ potum.

Reſponſio 1.

Reſpondetur primo Hyppocratem lo. cit. de potu vini ab exercitio eſſé intelligendum, pro vt illum Galenus ibidem intelligit, præhabita aquæ potione, vt athletæ faciunt.

Reſponſio 2.

Reſpondetur 2. Hyppocratem hoc loco loqui de cibo, & potu eorum, qui cum craſſi ſint, tenues eſſe volunt; quod fit per aſſumptionem tum cibi ſtatim ab exercitio, tum vini diluti, vt ipſe docet, cum adhuc ſunt anhelantes; ſic enim paucis replentur, & ſaturantur, vaporibus, & halituoſo calore non adhuc digeſto, & conſequenter hac ratione exte-

Cur ſtatim ab exercitio edentes, & bibẽtes gracileſcant

1. Rat.o

nuan-

nuantur craſſi. Quæ ratio eſt à Galeno ibidem tradita; vbi etiam inquit. (Si vero alia ratione id huius libri Auctor vult extenuare, nos præterit) Sed alia certè ratio

3 Ratio

aſſignari poſſe videtur. Quia ab exercitio adhuc anhelantes, cum calidiores fiat; aſſumpti cibi tunc temporis, & potus multum reſoluunt, atque idcirco parum nutriuntur, & conſequenter extenuantur; quam etiam ob cauſam complexiones calidæ ſiccæ graciliores ſunt; Et ob vtranque rationem Hyppocrates recte docet craſſos, cum tenues eſſe voluit, debere ab exercitio adhuc anhelantes cibum ſumere, & prius vinum bibere dilutum; ſi enim præbiberent aquam, caloris vim minuerent, qui, vt dictum eſt, eſt cauſa gracilitatis, & conſequenter non haberetur intentum. Item ſi aquam, prębiberent, in ſupradicta mala incurrerent, nempe in refrigerationem ventriculi, hepatis, neruorum, &c. quod non accidit in potu vini diluti, quod, quia dilutum, non loedit caput vehementer, aliudque à vino diluto recipitur beneficium, quod vias aperit; quapropter ab aſſumpto cibo ſtatim ab exercitio, non contingit oppilatio, vt ſolere contingere, vt plurimum, Galenus docet loc. cit. Ad Galenum etiā dicendum cit. loc. 5. de ſan. tuen. c. 5. non obſtare doctrinæ traditi corollarij, loquitur enim de potu vini a balneo, in ſene non ieiuno, ſed qui aliquid comederit, hæc .n. ſunt Galeni verba (ſi enim prius quam lotus eſt comedit quippiam, nec venter eius vllo auxilio indiget, vinum album, & quod parum aquæ tolerat, à balneo bibat) ſenibus autem, & non ieiunis conuenire vinum, patebit ex dicendis ſequenti tract. de vino. Corollarium autem poſitum loquitur de complexionibus calidis, & calefactis admodum à balneis, & exercitio.

Calor eſt cā gracilitatis

6. Corollar. Quo anni tē pore conueniat potus frigidæ

Colligitur Sexto tempus anni, quo magis conuenit frigidæ potus, eſſe æſtiuum; patet experientia, æſtatis enim tempore maxime fruimur frigida. Cuius rei Ratio manifeſta, eſt extrinſeca caliditas corporis particulas omnes calefaciens, & eſiccans, ſitimque inferens, cuius medela eſt potus frigidæ

dæ. Confirmatur auctoritate Galeni omnino legenda de ſuc corum bonitate, & vitio c. 13. vbi æſtatis tempore aquam frigidam concedit, & quibuſdam etiam niue refrigeratum vinum, ac dilutum aqua frigidiſſima. Cui ſententiæ conformia docuit Hyppocrates de ſalubri diæta tex. 3. & 4. & Auctor libro de renum affect. dignot. atque medela c. 6.

ARTICVLVS TERTIVS.

In qua menſura, & in quo gradu ſit frigida exhibenda.

AQuæ dulcis, & potabilis non vnus, idemque ſemper eſt frigiditatis gradus, vt ſatis conſtat experientia apud omnes; & à Philoſophis omnibus latitudo gradualis vt octo frigiditatis, ſeu ſumma frigiditas aquæ ſecundum ſuam naturam ſpectatæ conceditur, à qua recedunt quę apud nos ſunt aquæ ſecundum magis, & minus, vel ratione locorum, vel regionum, vel aeris, vel anni temporis, vel ob aliã cauſam; triplex autem utiliter à medicis diſtingui poteſt aqua frigida, ut alia ſit qualis eſſe ſolet fontanæ recentis, quam ſimpliciter frigidam vocat Galenus primo de ſanit. tuen. c. 11. Altera hac frigidior, quam prorſus frigidam appellat Galenus hoc eodẽ loco, quæ à frigidioribus quibuſdã puteis, quales plures ſunt Neapoli, exhauritur, & à gelidis magis fontibus ſolet excurrere. Tertia frigidiſſima niue refrigerata aqua eſt, qualem aquam ſi qui fontes præbeant in montuoſis locis erumpentes, a liqueſcentibus niuibus, & in aquam ſolutis talem frigiditatem proficiſci omnino cenſendum eſt, idemque de ijs iudicium ferendum, quod de aqua ex niue frigidiſſima.

Triplex diſtinctio aquæ frigidæ.

Concluſio. Aqua frigidiſſima, qualis eſt, quæ niue refrigerata eſt exquiſite, numquam vtiliter bibitur à corporibus

Concluſio.

in ſanitatis latitudine exiſtentibus, ſed ſolum vtiliter bibitur aqua frigida, vel prorſus frigida. Huic concluſioni Neapolitanorum plurimorum obſtat certe illaudanda meo iudicio conſuetudo in frigidiſſima ex niue aqua bibenda, in quem erorem lapſi ſunt quidam etiam Galeni tempore, vt patebit ex locis infra citandis, & complures gentes, vt teſtatur Monardes medicus tract. de niue c. 4.

Prima probatio.

Probatur concluſio primo auctoritate Galeni loco admodum annotando, de ſuccorum bonitate, & vitio c. 13. vbi ita loquitur (quod ſi non exerceant, ac caloris multum perſentiant æſtate vigente, tuto ij fontanam biberint, repudiata niue; nã tametſi ipſa ſtatim nix noxã ſenſibili non videatur iuuenum corporibus officere, increſcente tamen temporis proceſſu occultò paulatimque noxa, vergente nempe ætate, articuli his, neruique, ac viſcera morbis corripiuntur vix, aut numquam ſanandis.)

Inſtantia. Dilutio.

Dices hanc Galeni ſententiam loqui ſolum de homine deſide, qui non ſe exerceat, non de omnibus, ſicut loquitur concluſio. Reſpondetur, ſaltem hac auctoritate argui plures diuites, & deſidem vitam degentes, quos merito podagra, vel hyppochondriaca paſſio, vel ſimilis affectio fatigat, ſed re vera vniuerſalis eſt hoc loco Galeni ſententia; Etenim vt patet perlegenti locum cit. ijs, qui ſe exercent vel in militia, vel in regendis Ciuitatibus, vel in ſimilibus negotijs, non aquam ex niue frigidiſſimam, ſed ex aqua frigidiſſima vina diluta, vinaque ex niue refrigerata concedit, cum niue vti conſueuerint, quod non concedit his, qui deſidem vitam agunt. Atque ob hanc rationem habet illa verba (quod ſi non exerceant.) Hanc eandem concluſionem docet Gal. lo. cit. 1. de ſanit. tuen. c. 11. vbi aquam frigidam, vel prorſus frigidam, ſi vitio careat, concedit pueris calidioribus.

Secũda probatio.

Probatur concluſio ſecundo, aqua ex niue frigidiſſima plurimum & repente alterat, & refrigerat; cum enim ſumme frigida ſit, vel ad ſummum accedentem habeat frigiditatem,

maxi-

maximam habeat neceſſe eſt refrigerandi vim, & actionem; ergo ea inutiliter bibitur, & periculoſe. Antecedens iam eſt probatum; Conſequentia etiam eſt manifeſta, eamque docuit magnus Hyppocrates 2. aphor. 51. inquiens (plurimum, atque repente refrigerare, &c. periculoſum, omne enim nimium naturæ inimicum) cuius ſententiæ rationem Galenus ibidem tradidit. Nam cum in elementorum commoderatione natura conſiſtat. nimium omne, qualis eſt aqua frigidiſſima ex niue, talem deſtruit commoderationem, quæ nequit obſiſtere ſummæ actioni frigiditatis ſummæ. Confirmatur hæc probatio, ex neruorum, articulorum, viſcerum, aliarumque partium morbis, qui ex potu aquæ frigidiſſimæ ex niue proueniunt, vt dictum eſt ex Galeno probatione 1. qui etiam lib. de venæ ſectione aduerſus Eraſiſtratæos c. 3. circa med. teſtatur ſua tempeſtate Romæ contigiſſe diminutas, & ſuppreſſas menſium purgationes, cum vulgo mulieres aquam frigidiſſimam ex niue potarent; quod etiam nos accidere inſpeximus mulieribus, quæ menſium imminente tempore, domeſticos pannos frigida lotione abſtergerent. Amplius refert Galenus 7. meth. med. c. 8. ex aqua frigida ſimul multa epota gulam eſſe perfrigeratam, & læſam fuiſſe deglutitionem, ita vt non curaretur; Ex hac eadem cauſa presbyterum quendam, cui ſonora vox aderat, perpetuo raucum euaxiſſe conſpeximus; Plurimique alij ſunt morbi à frigidæ potu tum intempeſtiuo, tum immodico, quos Galenus fuſe refert 9. meth. med. c. 5. in med. Tandem Hyppocrates 5. aphor. 24. ita inquit (frigida qualis nix, glacies, pectori inimica, tuſſes mouet, & ſanguinem, & deſtillationes; & tex. 17. vniuerſaliter loquens de omni frigido, inquit (frigidum autem conuulſiones, diſtentiones, liuores, rigores febriles.) & tex. 18. inquit (frigidum inimicum oſſibus, dentibus, neruis, cerebro, ſpinali medullæ, calidum vero vtile.)

Confirmatio

Varij morbi prouenientes ex potu aquæ ex niue frigidiſſimæ.

Probatur concluſio tertio. Ex Hyppocrate de aere, aquis, & locis c. 4. circa fi. aquæ ex niue, & glacie, omnes ſunt ma-

Tertia probatio.

læ; cuius rei rationes attulimus ſupra q. 2. ar. 3. concluſ. 2. corollar. 2. ergo etiam aquæ niue, aut glacie refrigeratæ, & niuis frigiditatem ferè adeptæ; & conſequenter inutiliter, immo cum periculo exhibentur ſanis corporibus. Probatur conſequentia. Tum quia aquæ habentes frigiditatem nimis, habent naturã extremi, & nimij, quod naturæ eſt inimicum, vt dictum eſt; tum quia aquæ quo frigidiores, eo ſunt craſſiores, & ex niue aquæ idcirco prauæ, quia craſſæ ſunt, vt dictum eſt lo. cit. ergo pariter aquæ niue refrigeratæ, & frigidiſſimæ redditæ, craſſæ ſunt, & prauæ. Tum quia à niue quæ refrigeratur aqua, non ſolam recipit frigiditatem, ſed etiam ſiccitatem, quæ ſicuti aduerſatur aquæ naturæ, ita aduerſatur ſitientibus, & aquam propter æſtum potantibus; quocirca mala talis eſt aqua cenſenda, quæ niue eſt refrigerata, & niuis frigiditatem accepit. Quo ſpectare videntur Hyppocratis verba loc. cit. de aere, aquis, & locis c. 4. in fin. dicentis (hac igitur de cauſa has aquas, quæ à niue, & glacie eliquãtur, peſſimas eſſe puto ad omnes res; itemque eas, quæ ad has ſequuntur) ideſt eas, quæ ſimilis ſunt naturæ, quales certe ſunt aquæ frigidiſſimæ redditæ propter niuem circumpoſitã.

Dices non poſſe aquam in phiala v. g. vitrea poſitã, poſſe à circumpoſita niue ſiccitatem acquirere.

A circumpoſita niue aquam ſiccitatem recipere.

Prima probatio.

Sed contra; à circumpoſitis enim, ſi ſicca ſint, ſiccitatem aquam recipere, clare oſtendit experimentum, quod ſæpe fecimus; Namque ſi niue minutim inciſa ad parem modum cum ſale mixta, phiala aquæ plena vna cum fructibus intropoſitis, circumdetur; non longo poſt tempore aqua cum fructibus gelaſcit, ita ut rupta phiala, in vnum diutius conglaciata aqua cum fructibus conſiſtat. quod certe non ob aliam rationem fit, niſi quia frigiditatem recipit à niue aqua; & ſiccitatem ex ſale addito, quæ ad congelationem requiritur, vt demonſtratũ ẽ q. 4. in impugnatione 5. opinionis circa fin. ex niue igitur ſola, cum ea etiam ſicca ſit ex mixtione exhalationum ſiccarum, vt loc. cit. dictum eſt, ſiccitatis ali-

quam

quam impuritatē, & nocuam recipit aqua niue ſatis refrigerata. Id quod confirmatur, quia qui frigidiſſima ex niue pro potu vtuntur, paulo poſt potionem adhuc ſitiunt, non humectato, ſed eſiccato ore ventriculi, ob allatam cauſam ſiccitatis à niue tributæ. Et quod viſa ſit nix pedes diutius per eam ambulantium aduſſiſſe, vt Galenus teſtatur 9. de ſimpl.med.fac.c.1.quod certe non calore, ſed eſiccando calidos ex ſe, & propter motum pedes, præſtare poteſt. Secunda probatio.

Atque ex toto hoc diſcurſu colligo primo optimum modum aquam, ſeu vinum ex niue refrigerandi, eſſe, ſi in vrna, vel ſimili vaſe, in quo nix, & aqua contineantur, phiala, vel vas aliud aqua, vel vino plenum reponatur; tūc enim ex mixtione aquæ nix tum maximam amittit frigiditatem, tum eiuſdem ſiccitas obtunditur. Atque ita quæ hac ratione refrigerantur, vtiliora ſunt bibentibus, quod nec extremam frigiditatem omnino vitandam recipiant, nec ſiccitatem; ſiue hæc ſit in hoc caſu nuda qualitas, ſiue ſiccarum fiat ob mixtionem exhalationum; vtraque enim ſiccitas eſt bibentibus noxia. ſiccitas autem maior aquæ additur à niue ſola aquæ refrigerandæ circumpoſitæ. 1. Corollariū. Vtilior refrigeratio eſt ex aqua, & niue.

Colligo ſecundo aquam ſalnitro refrigeratam non eſſe valde infeſtam, vt quidam arbitrantur; Etenim ſalnitri exhalationes ſiccæ ab aqua obtunduntur, & motu ſeparantur, vt dictum eſt ſup. q. 4. in fin. quamquam non negauerim eſſe deteriorem aquam, ſiue vinum ſalnitro refrigeratum, quam aqua, vel vinum quod niue frigeſit, ob copiam halituum calidorum, & ſiccorum, quæ maior eſt in ſalnitro quā in niue. 2. Corollarium. Vtilior refrigeratio ex niue, quam ex ſalnitro.

Colligo tertio vinum niue frigefactum, & dilutum adhuc tutius bibi quam aquam ex niue frigidam, à calidis naturis, æſtatis tempore, & in negotijs verſantibus, vt Galenus teſtatur loc. cit. de ſuc. boni, & vitio c. 13. qui locus non bene ab aliquibus intelligitur, quia vinum vi propria calefactiua minuit vim ſummæ frigiditatis à niue tributæ, & aqua, qua 3. Corollarium. Vtilius bibitur vinū quā aqua niue refrigerata.

vinum

vinum diluitur, eiuſdem niuis ſiccitatem, quam probauimus impertiri à niue, reprimit; Et quod dictum eſt de vino diluto niue refrigerato, pari ratione dicendum de aquis aniſo, cinnamomo, vel ſimilibus cum rebus decoctis,& niue perfrigefactis. has ſcilicet aquas ex niue frigidas tutius bibi ob ſimilem rationem.

Decocta aniſi, cinnamomi, &c. niue refrigerata vtiliter bibũtur.

4. Corollar. Colligo quarto. Tuto accipi aquas niue refrigeratas ad modum aquæ fontanæ recentis, vel amplius ad modũ aquarum prorſus frigidarum, quales Neapoli, in pluribus puteis, in quibus ſeruantur, reperiuntur, ab his, quibus ſupra competere aquæ potum diximus; tunc enim talis aqua non eſt extremæ frigiditatis, quæ naturæ eſt inimica, & minimam recipit à niue ſiccitatem, de qua non eſt habenda ratio.

5. Corollar. Colligo quinto, Vtilius accipi frigidos ex niue cibos,quã potum aquæ frigidæ ex niue. quia cibus quilibet eſt aqua calidior,& conſequenter ex niue refrigerati cibi ſemper minorem habent vim refrigerandi quam frigida aqua ex niue.

1. Obiectio. Obijcies primo, quia Galenus de ſuccorum bonit. & vitio c. 13. videtur ſaltem naturis ſqualorem habentibus totius corporis,concedere vſum frigidæ ex niue;quare non eſt vniuerſaliter vera noſtra cõcluſio de omnibus corporibus ſanis.

1. Reſponſio Reſpondetur primo pluries innuimus hunc locum non recte intelligi à quibuſdam, perlegenti enim patere poteſt loqui Galenum de refrigeratione non aquæ, ſed vini, & ciborum quorundam ex lacte, & pomorum, quæ concedimus poſſe iuxta tertium, & quintum corollarium,niue refrigerata eſſe vſui ſquallidis corporibus,hoc eſt habentibus aridam caliditatem, ſiue ingenitam, ſiue aduentitiam ex laboribus, vigilijs, curis, &c. quæ non obſtant noſtræ concluſioni, quæ loquitur de potu aquæ frigidiſſimæ ex niue.

2. Reſponſio Reſpondetur ſecundo huic obiectioni, eſto Galenus loquatur de potu aquæ frigidę ex niue,illamque concedi ab eo corporibus ſquallidis, intelligendum adhuc eſſe non de exquiſite frigida ex niue,ſed vel ad modum fontanæ,vel paulo

frigidioris, vt dictum eſt coroll.4.ob rationes omnino veras in concluſione allatas; ſed prior reſponſio nobis videtur magis vera, & ad Galeni mentem. Etenim vt dicetur ſequenti quæſt. inter conditiones prohibentes vsũ frigidæ in ægrotis, ne dum frigidiſſimæ, eſt corporis attenuatio, & ſiccitas; quare ob eandem rationem frigidiſſimę ex niue potum non debet concedere ſquallidis corporibus, ſeu calidis, & ſiccis naturis.

Obijcies ſecundo Galenum eundem, qui 3. de alimentorum facult. cap. 16. ventriculis iuſto calidioribus concedit oxigala, ideſt acidum lac niue refrigeratum, & aquam niue refrigeratam. 2. Obiectio

Reſpondetur primo, ventriculum iuſto calidiorem eſſe morboſum, ſeu in ſtatu morbi, in quo conuenire frigidam ex niue. dicemus q. ſeq. in hac autem quæſtione loquimur de corporibus ſanis. nil igitur contra ex hac auctoritate. 1. Reſponſio
Reſpondetur ſecũdo, re uera Galenum hoc loco non tradere dogma cibo prædicto,& prædicta aqua vtendi, ſed tantum hunc morem eſſe quorundam, quos bene facere, non eſt cẽſendum ob traditas concluſionis rationes; niſi certe niue vtantur non ad ſummam, ſed mediocrem refrigerationem iuxta 4. corollarium. Atque hanc eſſe Galeni mentem oſtẽdunt eius verba hæc (ventriculi iuſto calidiores, ſiue ab initio tales fuerint, ſiue à quapiam cauſa poſtea in eam temperiem ſint adducti, præterquamquod nihil ab huiuſcemodi edulijs lęduntur, commodo etiam aliquo fruuntur; quia hi quoque oxigala ipſum circumdata niue prius refrigeratum indolenter ferunt, quemadmodum & alia pleraque id genus edulia, atque adeo aquã ipſam niue ſic præparatam) quibus patet in Galeni ſententia commoda, & vtilia eſſe edulia frigida, quale eſt oxigala, ventriculis iuſto calidioribus, à quibus etiam per Galenum tantum indolenter feruntur prædicta cibaria, ſi niue refrigerentur, & aqua niue refrigerata; ex eo autem quod cibus, vel potus indolenter feratur, non 2. Reſponſio

ſequi-

ſequitur eſſe vtilem, vt enim ex Galeno dictum eſt de ſuc. boni. & vit. c. 13. temporis proceſſu, occulto, paulatim, & inſenſibiliter aqua niue refrigerata noxam infert. Vnde colligi poteſt alia tum huius, tum præcedentis obiectionis ſolutio. niue refrigeratam aquam concedi à Galeno aliquando ſemel, vel bis, non longo vſu, & continuo, in quo ſenſu noſtra loquitur concluſio. Et ipſe etiam in me ipſo obſeruaui frigidam ex niue, bis, terue, æſtate integra fuiſſe proficuam.

3. Obiectio. Obijcies tertio eundem Galenum 7. meth. med. c. 4. curantem ventriculi imbecillitatem ex cauſa calida, frigida potione non ſolum aquæ fontanæ recentis, ſed niue refrigeratæ, pariterq; cibis niue refrigeratis. Ergo.

Reſponſio. Reſpondetur neq; etiam hunc locum obſtare; hic enim Galenus non loquitur de potu frigidæ ex niue, in corpore exiſtente in ſanitatis latitudine, ſed ægro, & morboſo, cui præternaturaliter calido ſiue ratione ventriculi calidioris, ſiue ratione febris, poteſt eſſe vtilis potus frigidæ ex niue, vt probabitur q. ſeq.

4. Obiectio. Obijcies quarto ex Hyppocrate de aere, aquis, & locis c. 3. ante fin. habetur duriſſimas, & crudiſſimas aquas eſſe vtiles quibuſdam naturis, & corporibus, quorum ventriculi humidi ſunt, molles, & pituitoſi; ſed aqua frigidiſſima ex niue, per nos dura eſt, & cruda; non eſt enim concoctu facilis, & mixtionem aliquam habet exhalationum terrearum; ergo falſo aſſeruimus frigidiſſimę ex niue, vſum ſaltem continuum eſſe omnibus naturis in ſanitatis latitudine comprehenſis inutilem.

Reſponſio. Reſpondetur negari non poſſe Hyppocratis doctrinam. Cuius etiam ratio ab eodem eſt lo. cit. aſſignata. quia duriſſimæ, crudiſſimę, ac ſubſalſę aquę eſiccant ventriculum humidum, non ſic aquę molles, & humidę, & coctu faciles, quæ ſola humectandi vi ſunt præditæ. Vnde colligitur de quibus duris aquis Hyppocrates hoc loco loquatur, ſcilicet propter admixtionem terrearum, & eſiccantium portionum, non de aquis duris, & crudis propter ſummum frigiditatis gradum,

Quibus ventriculis conferant aquæ crudæ.

Diſtinctio crudarum aquarum.

quæ

Digitized by Google

quæ vtpote frigidæ adhuc magis ventriculum refrigerāt, & magis pituitoſum reddunt; Vnde conſtat obiectionis ſolutio, & explicatio Hyppocraticæ doctrinæ, annotandæ quidē de vſu duræ, & crudæ aquæ; Quæ doctrina confirmatur ex eo, quod ſæpe experti ſumus. æſtiuo enim tempore & proprium ventriculum calidum, & humidum, & nonnullorum etiā pariter calidos, & humidos ventriculos, frigidæ ex niue moderato vſu, ſcilicet non omnino frigidiſſimæ, & interpollatis vicibus exhibitæ, nec in maxima copia, corroborauimus, & tū ad appetendum, tum ad concoquendum validiores reddidimus; cum contrarium accideret à temperata aqua epota, ſeu tepidiore; Cuius rei ratio ex Hypp. cit. deſumi poteſt; quia frigidior aqua eſt crudior, ac quodammodo ſiccitatis particeps, ac proinde calidiorem ventriculum temperat, humentemq. aſtringit, non laxat, ſicut efficit aqua temperatior, ſeu magis tepens. proindeque calido, humidoque ventriculo, vt mox dictū eſt, exhibita, eſt magis ex vſu; atq. hæc eſt imbecillitas vētriculi, quam frigida ex niue curat Gal. 7. Meth. 4.

Obijcies 5. Experientia compertum eſt, in Sicilia, in Inſula Melitæ, alijſq. in locis, & in regionibus calidiſſimis vſu frigidæ ex niue, plurimos præſeruatos à peſtilentibus morbis, & febribus fere æſtiuo tempore inuadentibus, quæ antea cum frigida ex niue non eſſet in vſu, erant frequentiſſimæ, ergo non eſt vniuerſaliter inutilis frigidæ ex niue potus cōtinuus. 5. Obiectio.

Reſp. ad præcautionem prædictorum morborum, valere vſum frigidæ ex niue, itemq. ad curationem, nos non ambigere, Verum ſimul eſſe viſceribus, articulis, neruis, alijſque partibus infenſam ex niue frigidam, eſſe omnino concedendum, ob rationes in concluſione allatas. Atq. hanc ob cauſam inutilem ſimpliciter determinauimus ex niue frigidiſſimam, & in prædictis locis eſſe magis ſalubrem potum frigidæ recentis, vel paulo frigidioris, ſi reperiatur, vel ex niue ēt, non tū omnino frigidā, iuxta quartum noſtrum corollarium. Reſponſio. Potus frigidæ ex niue, valet ad febriū præcautionem æſtiuo tempore.

Atque hæc ſatis eſſe poſſunt, vt noſcatur gradus frigidæ exhibendæ in corporibus ſalubribus, quibus conuenit tamē

frigidæ potus; neq. enim omnibus conuenire, probatum eſt art. 1. Vt autem ſciatur menſura, ſeu quãtitas frigidæ exhibendæ, recurras ad generalem doctrinam de cibo, & potu; Cuius potus debita menſura eſt, ſi nec fluctuationis vllius ſenſum præbeat, nec eius ratione cibi in ventriculo innatẽt, vt docet Gal. 7. Meth. med. c. 6. quæ vniuerſalis, & veriſſima eſt regula, ad cognoſcendam quantitatem aſſumpti potus ab vnoquoque; neq. enim omnes eadem menſura bibunt ſanitate fruentes, ſed alij largius, alij parcius, vt in tract. de cibo, & potu videbimus, & patet ex Hypp. lib. de ſalubri diæta.

Debita quãtitas frigidæ exhibendæ.

QVAESTIO SEPTIMA.

De vſu aquæ potabilis in ægris corporibus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quibus morbis conueniat aquæ potus.

Concluſio.

CONCLUSIO. Aquæ potus per ſe conuenit in morbis febrilibus. eſt ex profeſſo Galeni in Hypp. de rat. vict. in acut. com. 1. in tex. 43. Cuius hæc eſt concluſionis probatio demonſtratiua Febris fit natiuo calore igneſcente, cui per ſe, & maxime aduerſa eſt aqua refrigerans, & humectans; ergo frigidæ potus per ſe, & maxime cõuenit in febribus; contrariorũ enim contraria ſunt remedia. Hoc idẽ Gal. docet de rat. vict. in acutis com. 3. in tex. 12. & ſexcentis alijs in locis infra citandis, & experimẽtis cõprobat 9. meth. med. c. 16. in fi. vbi teſtatur ſe ſæpe vidiſſe febribus oppreſſos ardentibus, cum mediocriter eſſent concocti humores, eſſe ex frigidæ potione febre liberatos, quamuis ei potioni parum eſſent aſſueti, & 10. meth. med. c. 5. in med. hiſtoriam refert iuuenis calidi ſicci ſub Canicula febrientis ex ira, qui copioſa, & repetita frigidæ potione ſanatus eſt.

probatio.

An aquæ potus per ſe cõpetat febribus.

1. Obiectio.

Obijcies 1. Auctoritatẽ Hypp. de rat. vict. p. 3. tex. 40. vbi diſertis verbis, aquæ, quæ in acutis bibitur, nullum concedit officium; neq. ſitim ſedare, neq. ſputum educere, neq. vrinas mouere, neq. aluum deijcere, ſed contra, bilẽ augere, & amareſce-

Digitized by Google

reſcere,vires labefactare, lienis, iecoriſq. inflãmationes augere,fluctuare,innatare,hypochõdrio infeſtam eſſe &c.ergo male poſita Concluſio. Neq. eſt ꝙ dicat quis Hyppocratem loqui de malis aquis,limoſis v. g. vel alio modo vitioſis,ipſe enim met Gal. in hunc lo. ex profeſſo docet Hypp. loqui de aqua optima, & maxime laudabili. Incommoda ex frigidæ potu in acutis.

Reſp. Hypp. hoc loc. non loqui vniuerſaliter, vt patet tũ ex ſequenti tex. 41. vbi áquam iubet oportere dari in capitis grauitate.& mentis lœſione,& tex.42. vbi inquit (in quibus autem maxime aqua vtendum ſit,& quando valde multa,& quando modica,& quando gelida,quando calida, partim dictum eſt, partim dicetur)non igitur vniuerſaliter vſum aquæ prohibet in acutis, licet parum aqua vtatur in acutis, vt Gal. notat in cit.tex.40. Tum etiam quia,vt Gal.aduertit de rat.vict.in acut.com. 1.in tex.43.per Hypp.ſitientibus cõceditur oximeli frigidum,ergo etiam aqua frigida ſitiẽtibus, & febrientibus ex Hypp. ſententia conceditur, cum contrariorum contraria ſint remedia. Loquitur igitur Hypp. loc. in obiect.allato particulariter .ſ. in peripneumonicis,& in inflãmato liene,vel hepate, vel in ventriculo bile repleto, & in alijs ſimilibus caſibus,in quibus non per ſe, ſed ex accidenti nocua é aqua bibita in acutis morbis,& in febribus; vt infra. Reſponſio.

Obijcies 2. quia Gal. 9. meth med. c. 5. ante fi. prohibet aquæ vſum hecticis, ergo male concluſimus.

Reſp. hoc lo.non omnino prohiberi potum frigidæ in hectica à Gal. ſed tantum valde frigidæ,& multæ;vt oſtendunt eius verba, quæ ſic habent (eo etiam fit vt hecticæ nec perinde eam , quæ prorſus ſit gelida , nec multam deſiderent) quin etiam lib. de marcore c.8.admodum frigidam hecticis exhibet , id quod infra indagabimus , cum de gradu frigidæ exhibendæ, & menſura in ægris tractabitur. 2. Obiectio. Reſponſio.

Ex dictis colligo primo. in calida præternaturam ventriculi intemperie eſſe vtẽdum frigida,quia vt dictum eſt, aqua eſt maxime aduerſa caliditati pręternaturam.Confir.ex Gal. qui 7.meth.med.c.4. calida ventriculi intemperie laborãtes 1.Corollariũ An in ventriculi calida intẽperie cõpetat frigidæ potus.

die vno, vel potius hora frigidæ potione niue etiam refrigeratæ curauit; Porro qui ſint effectus calidæ intemperiei ventriculi, ex parte theorica colligendum, in qua de ſiti, de nidorulentis tum ructibus, tum deiectionibus agendum.

2. Corollar. An in hepatis calida intemperie cõpetat potus frigidæ.

Colligo 2. ob eandem rationem hoc idem dicendum, vbi hepar calida eſt affectum intemperie, vtendum .ſ. eſſe frigida ad remittendam caliditatẽ hepatis, quod clariſſime ſequitur ex Gal. doctrina; ſi enim ad remittendam caliditatem cordis, & totius, in febre vtitur frigida, & in remittenda etiam intẽperie calida ventriculi; pariter etiam frigida debet vti, vbi hepar eſt intemperatum ad calidum; Confirm. quia ipſemet 2. de alimentorum facultatibus c. 2. in fi. fugaces fructus refrigerat, vt propter aſcititiam refrigerationem aduerſentur calori partium, quæ tum ad ventriculum, tum ad hepar pertinent. ergo per Gal. multo magis refrigerabit potus aquæ natura frigidæ. Atq. hinc inferre poſſumus rationem. Cur quandoq. à potu frigidæ, potiſſimum ieiuno ventre, bilioſa ſiſtatur deiectio, quod ſæpe mihi accidit æſtatis tempore, dũ eſſem adoleſcens. Item cur tum à potu repetito frigidæ, tum à peponum eſu diarræa in quibuſdam finita ſit; quod etiam obſeruauimus. Cum tamen de peponibus contrarium doceat Gal. 2. de alim. facult. c. 4. ſolere .ſ. choleræ morbos mouere. Quia tum à frigidæ potu, tum à peponibus natura frigidis, & humidis Gal. teſte loc. mox cit. remiſſa eſt hepatis calida intemperies, vnde bilioſorum humorum congeries, & fluxus dependebat, vt ſatis conſtat medicis, & Gal. docet 5. de locis aff. circa med. vbi inquit (calidas intemperies hepatis ingens comitatur cibi faſtidium, ſitis vehemens, febris inſignis, vitioſorum humorum vomitus &c.) non autem sẽper id præſtant tum aquæ potus, tum peponum ingeſtio propter alias cauſas; vel ob ventriculi imbecillitatem, vel tẽpus inopportunum, cum .ſ. crudis adhuc corpus ſcatet humoribus, vel ob ægroti imbecillitatem, vt ex ſequentibus patebit; propter quas omnes cauſas tum frigida, tum pepones prauos ſuccos procreant, & choleræ morbos augent, & procreant.

Cur potus frigidæ, & peponum eſus quandoque diarreas ſanent, quandoq. contra efficiant.

id

id quod diſertis verbis Galenus docet loc. cit. 2. de alim. fac. c. 4. inquiens de peponibus (ſuccum autem in corpore gignit vitioſum, idq. potiſſimum cum probe concoctus nō fuerit, quo caſu choleræ morbos obnoxios efficere cōſueuit.)

Colligo 3. aquæ frigidæ potum non conuenire in frigidis morbis, & humidis ſiue ventriculi, ſiue hepatis, ſiue alterius cuiuſq. particulæ, ſiue totius corporis. Ratio eſt manifeſtiſſima, aqua enim maxime refrigerat, & humectat; ergo morbos frigidos, & humidos maxime augere apta ē, quin ēt morbos frigidos, & humidos procreat, vt notat Gal. 9. meth. med. c. 5. in med. vbi & ſpirandi difficultates refert, & tremores, & cōuulſiones, & alia neruorum fieri ſymptomata; deglutitionē, ventriculi concoctionem læſam eſſe à frigida intempeſtiue epota; iecoriq. lieni, ſepto tranſuerſo, inteſtinis, renibus, veſicæ, pulmoni noxam ēt contigiſſe, & paulo poſt in œdemate, ſcirrho, & obſtructionibus aquā inutiliter bibi edocet, & 12. met. med. c. 4. circa fin. aquam ſtatuit fugiendam in ſyncope, & ſæpiſſime potiſſimum 5. de lo. aff. c. vlt. & 6. de lo. aff. c. 1. ab aqua intempeſtiue bibita quandoq. ſtatim aquam intercutem induci, hepate ab aqua refrigerato. Atq. hoc idē dicendum eſt etiam nullo exiſtēte morbo frigido, ſed partibus exiſtentibus imbecillis, & debilibus, aptis vt facile permutētur ad maiorem frigiditatem à frigidæ potu; hanc. ſ. non cōpetere; etiam ſi febricitet homo, quod expreſſe notat Gal. cit. 9. meth. 5. inquiens (multæ laborantis imbecillæ ſiue ita ſe ex naturali intemperie habeant, ſiue ex vitio aſcititio, à frigida lœduntur.) Quin etiam in febrientibus, etiam ſi ſint ſigna coctionis, & partes debiles, & frigidæ, frigidæ potum prohibet Gal. hoc eodē loc. cit. his verbis (Quod ſi euidētes percipis abſq. iam dictis tumoribus cōcoctionis notas, illud duntaxat æſtimabis, ſit ne pars aliqua temperamento adeo frigido, vt in hac noxa procumbat) quod idē repetit 9. meth. c. 16. vbi etiam plura docet de conſuetudine bibendi frigidā. Porro quæ partes facile lœdātur à frigida patet ex Gal. cit. 9. meth. 5. de ſuc. bonit. & vit. c. 13. & ex Hypp. 5. aphor. 18.

3. Corollar. An morbis frigidis humidis competat potus frigidae.

Enumeratio variorū morborum, qui lœduntur à frigida.

An partibus exiſtentibus imbecillis, et frigidis competat frigida

Laborantis idest febricitantis.

Quæ ſint partes frigidæ.

Colli-

* Corollar. An in inflammationibus côueniat potus frigidæ.

Colligo 4. in inflammationibus ſiue vētriculi, ſiue pulmonis, ſiue hepatis, vel lienis, vel ſepti tranſuerſi, vel pleuræ, vel ſimilis particulæ, non competere aquæ frigidæ potum. Conſtat ex Hypp. ſup. cit. 3. de rat. vict. tex. 40. vbi peripneumonicis inutilem ſtatuit potum aquæ, & lienis, iecoriſq. inflãmationes augere; quod idem pari ratione dicendum de cæterarum partium inflammationibus. Huius Corollarij doctrinam ſœpe docet Gal. potiſſimum in lib. Hypp. de rat. vict. com. 1. in tex. 43. in fi. & 9. meth. med. c. 5. in med. inquiens (quibuſcumq. enim in Principe particula tumor aliquis è phlegmones, œdematos aut ſcirrhi genere cõſiſtit, ijs frigidam offerre non oportet.) Et ratio manifeſta ex his eiſdē habetur locis, quia aqua natura frigida denſat frigiditate inflammatas particulas, frigidoſque, crudos, ac craſſos reddit humores, quos attenuari, digeriq. prohibet, ac proinde inflammatio non euaporat, ſed augetur ex potu frigidæ. Ex qua ratione veriſſima colligitur limitatio huius Corollarij, eo. ſ. tempore, quo inflammationem facientes humores attenuati ſunt, & côcocti, poſſe frigidam exhiberi, & competere, vt melius, & fuſius explicabitur ſequenti art. 3. vbi ēt alia limitatio innoteſcet huius corollarij. Cum ſcilicet intenſa eſt ſitis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An in podagra, & in quolibet morbo articulari conueniat potus frigidæ.

EX dictis præcedenti articulo de potu frigidæ tum in inflammationibus, tum in morbis frigidis, tũ partibus exiſtentibus debilibus, & frigidis, quæ omnia ſunt diligenter attendenda, facile colligi poterat, quid dicendum eſſet de vſu frigidæ in podagra, & in quolibet morbo articulari. Verum quia illud potiſſimum ſpectaui in hac, & ſequēti tractatione de vino, vt verum dogma de potu podagricis, & alijs arthriticis exhibendo, concluderem, ad hoc vt Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Dominus contra podagram, & arthritidem

ali-

aliquod emolumẽtum ex recto potu caperet, idcirco nõ per corollaria, vt de alijs morbis mox determinauimus, ſed per diſtinctum articulum hanc difficultatem ſcrutamur; quæ fere determinata videtur apud hominum vulgus, quod Neapoli ſectatur Medicorum turba, aquæ potum ſinceræ putans tum ad podagrę curationem, & cuiuſuis arthritidis, tum præcautionem vtiliſſimam; quam eandem opinionem in Vrbe Romę vigere, teſtatur Ioannes Zechius libello de curandi ratione in Vrbe, capite, cuius titulus eſt, podagricis omnibus vinum indifferenter minime denegandum. vbi in calida podagra à calidis humoribus, & in calida complexione biliosa, & iuuenili aquam probat, improbat vero in podagra frigida, in qua vinum probat, potiſſimum ceſſante fluxione, atq. corpore iterum, atq. iterum, vt decet, repurgato; Eiuſdem fere ſententiæ eſt Mercurialis lib. 4. medicinæ practicæ c. 3. Nos in hoc articulo quid de aquæ potu ſentiendum vere ſit, ſtatuemus; quæ .n. de vini potu ſit ſtatuẽda deciſio, quæue opinio amplectenda, concludemus ſequenti tract. de vino.

De potu frigidę in podagra Vulgi opinio.

Zechij opinio.

Mercurialis opinio.

Concluſio. In podagra qualibet, ſeu arthritide, ſiue ex calidis ſuccis, puta inflammatione, ſiue ex frigidis tumoribus, pendente; ſiue actualis adſit podagrica fluxio, & dolor, ſiue intermiſerit; ſemper rõne podagræ, & articularis morbi, abſtinendum eſt à potu aquæ ſinceræ, & puræ, tanquam nocuæ, & infeſtę. Huic concluſioni fauet procul dubio Princeps Auic. in 3. fen. 22. tract. 2. c. 7. vbi tradens curationem podagræ, & vinum prohibens in omnibus temporibus podagricæ fluxionis, præcipit, vt cum vinum dimittitur, vſus ſit potionis diureticæ, qualis certe non eſt aqua, quæ vrinam non ciet, vt docet Hypp. 3. de rat. vict. tex. 40. quẽ omnes ſequũtur medici. Verba Principis hęc ſunt (& oportet vt dimittat vinum vſquequo ſanetur ex eo curatione integra, & verſa ſunt ſuper ipſum quatuor tempora, & oportet vt dimittat illud conſuetus ſecundum gradationem, & vtatur cum ipſum dimittit, diureticis, & vinum de melle cum diureticis confert eis.) Hac eandem opinionẽ habuit Paulus Aeginetta lib. 3. c. 78.

Cõcluſio, & opinio Auctoris.

c.78.qui vinum pariter prohibens, ſaltem per biennium, de qua re ſeq. tract. dicetur, habet hęc verba (oportet autem abſtemios in vicem vini decocto aniſi, aut alicuius conſimilis ſeminis vti: fructibus pomaceis, reliquiſq. refrigeratorijs abſtinere, tum Veneris vſu)quam curationem docet adhibēdam, cum ſanguine artus infeſtantur, & calida eſt fluxio; Non igitur per hos grauiſſimos Auctores laudatur, ſed improbatur aquæ ſincerę potus in podagra, & arthritide.

1. Probatio. Probatur Concl. 1. auctoritate Gal. qui vt ſupra pluries notauimus lib. de ſucc. bonit. & vit. c. 13. inter morbos, quos paulatim aqua frigida ex niue procreat, ponit articulorum morbos, ergo aqua ſuapte natura frigida, licet nō ſit ex niue frigidiſſima, non poteſt eſſe vtilis ad podagrę tum curationē, tum pręcautionem in Gal. ſententia. Item Hyppocrates, vt ſupra etiam notauimus 5. aphor. 18. frigidum docet inimicū oſſibus, dentibus, neruis, cerebro, ſpinali medullę, calidū vero vtile. Non igitur aqua naturaliter frigida poteſt eſſe adiumēto podagrę, & arthritidi, quę affectio eſt in oſſium articulis, & à cerebro pendet non raro, tamquam à parte, à qua ſuperfluitates mittuntur, vt concedunt omnes medici, & nos tractatione noſtra de doloribus quęſt. penult. quę eſt de articulorū doloribus, explicuimus, & typis dabimus, annuente Deo & Illuſtriſs. Domino. Confir. quia Neapoli obſeruauimus aliquos naturaliter abſtemios, & vulgaris opinionis acerrimos defenſores, podagra, eaq. non leui laborare; nō igitur aqua curatiuum, & præſeruatiuum eſt podagrę remedium.

q. 6. art. 3. prob. 2. conclusionis.

2. probatio. Probatur Concluſio ſecundo. Podagra, & morbus quilibet articularis pendet ex articulorum imbecillitate, & frigiditate, licet non ſola, vt loc. cit. ex communi conſenſu docebimus, & ex Gal. tum alibi, tū potiſſimum 6. aph 28. & probatur, quia articulorum cauitas & ampla eſt, apta ad recipiendas fluxiones, & conſequenter imbecilla; frigidaq. propter tum oſſium contiguitatem, tum tendonum, partium natura frigidarum, ergo ob hanc rationem non conuenit in podagra, & arthritide, ſiue actu exiſtat, ſiue intermiſerit, potus frigidæ.

gidæ. ſtatim .n. in has partes debiles, & frigidas à frigidae potu noxa procumbit. Confirm. quia Gal. partibus exiſtentibus frigidis, & imbecillis, etiam exiſtente febre, & acuta, qualis ſit, phlegmone exiſtente in parte principe, frigidam potandam prohibet, vt dictum eſt art. præcedenti;ergo multo magis frigidæ potus inhibendus eſt podagricis, & arthriticis, in quibus ex vi prædictorum morborum nec febris vt plurimum, nec acuta adeſt. quæ febris ad ſui refrigerationẽ frigidam poſtulat,vt dictum eſt ſuperiori art. in concluſ. 3. Corollar.

3. probatio.

Probatur Concl. 3. Ratione demonſtratiua. Podagra, & arthritis morbus eſt pẽdens vel à frigidis, vel calidis, ſed tñ craſſis ſuccis; ergo ei inimica,inutilis, & infeſta eſt aquæ ſinceræ potio. Conſequentia manifeſte patet ex dictis ſuperiori art. Aqua.n. ob frigiditatem refrigerat, denſatq. magis, craſſefacit humores, lentoſq. reddit, & conſequenter eos attenuari, ac digeri prohibet. quamobrem tum in frigidis morbis, tũ in inflammationibus nocuã eſſe,demoſtratũ eſt.

Podagrã, & arthritidem pendere ex craſſis ſuccis 1. probatio

Antecedens probatur 1.expreſſa auctoritate Gal.de ſucc. bonit.& vit c.vlt. vbi morbos docens,qui ſequuntur tenues humores,vel craſſos,inquit (in ijs, qui ſuccũ gignunt tenuẽ, morbi fiunt acuti cum malignis vna febribus, ſique in partẽ vnam aliquam decumbat ſuccus malus,tum eryſipælata,tum herpetes,& ſi quis alius præterea eſt calidus ita affectus. In ijs vero, qui craſſum ſuccum creant,articulares morbi, podagræ, nephritides, aſthmata, lieniſq. ac iecinoris ſcirrhoſi affectus) & 6. aphor. 47. in fin. idem docet inquiens morbum comitialem, apoplexiam, melancholiam, & articularem ex craſſis humoribus generari. Probatur 2. Podagra eſt morbus longus, & diuturnus, ſicut & quilibet articularis morbus, & melancholia, & inſania,& ſanguinis eruptio, & morbus comitialis,& vertigines,& cephalæa,& alij plures,vt cõcedũt omnes, & docet Auctor libri,qui Introductio, ſeu medicus inſcribitur, c.13. ante med. & Auctor libri finitionum medicarum. ergo pendet ab humoribus craſſis, & lentis, vel frigidis,has .n. eſſe cauſas longitudinis morbi, patet ex Gal. 2. probatio

3. Probatio.

2. aphor. in aph. 19. dicente (morbi vero longi ob craſſos, lentos, ac frigidos fiunt humores.) Probatur 3. Quia idcirco in morbis diuturnis criſes fiunt per abſceſſus, vt notauimus noſtra tractatione de criſibus q. 2. a. 6. & docet Hypp in prognoſt. par. 3. tex. 23. inquiens. (ſi qua febris prorogatur, expectare oportet abſceſſum cum œdemate, ac dolore, qui in aliquem articulum, maximeque inferiorem decumbat.) quia vt ibidem docet Gal. his verbis. (ſæpe .n. dictum iam eſt, vt humores corporis tenuiores, calidioreſq. paratiſſimi ſint ad excretionem, crudis vero & craſſis, aut per abſceſſum aut vero per ſympepſim, ideſt concoctionem medearur) eſt igitur podagra morbus articularis pendens ab humoribus craſſis, imparatis, & ineptis ad hoc vt excernantur per vomitum, vel deiectionem alui, vel ſanguinis fluorem, &c. ad quas excretiones apti ſunt humores tenues. Probatur 4. Quia idcirco podagræ materia lapideſcit nõ raro in articulis, quia ex craſſo, & glutinoſo pendet ſucco, quæ eſt apta materia tophorum, ſeu calculi, ſeu lapilli, vt dicemus noſtra tract. de doloribus q. de doloribus renuum, & veſicæ. Et Gal. expreſſis docet verbis 14. meth. med. c. 4. prope fi. inquiens (quippe etiam qui in articulari morbo viſuntur pori, ex humore craſſo, glutinoſoq. proueniunt, quando is non paulatim eſt digeſtus, ſed violentis medicamentis totus ſimul ſiccatus.) Probatur 5. Quia ſi qua eſſet podagra non pendens ab humoribus craſſis, ea eſſet maxime, quę pẽdet ex calidis humoribus, & ab inflammatione, ſeu phlegmone: ſed phlegmone etiam pendet ab humoribus craſſis, quam ob cauſam in inflammatione Gal. prohibet vſum frigidæ, vt dictum eſt ſuperiori art. immo etiam in eryſipęlate phlegmonoſo, vt patet ex eius diſertis verbis 9. meth. 5. ſic .n. inquit (porro incommoda, quæ frigidam potionem intempeſtiuè immodiceque exhibitam ſequuntur, in his conſiſtunt, quod lentos, craſſoſq. humores, ſiue hi obſtructiones, ſiue putredinem, ſiue phlegmonem, ſiue qualis eryſipęlas, aut ſcirrhus, aut œdema eſt, affectum creauerint, attenuari, digeriq. prohibent, &c.) & paulo poſt

Cur morbi diuturni terminẽtur per abſceſſus in articulos.

4. probatio

Cur in articulis generẽtur lapilli.

5 probatio

Phlegmone, & inflamatio pẽdet ex craſſis ſuccis

poſt inquit. (quibus in principe particula tumor aliquis è phlegmones, œdematos, aut ſcirrhi genere conſiſtit, ijs frigidam offerre non oportet) & paulopoſt ferc explicans, & corrigens, quod mox dixerat de eryſipælate, ſubdit, inquiens (porro eryſipelas, quod verum eryſipelas ſit, non aliter ſanaueris; at ſi mixtum cum phlegmone ſit, in hoc concoctionis expectandæ ſunt notæ.) Ex quibus omnibus patet per Gal. veritatis in re medica magiſtrum, & ducem, inflammationem ſeu phylegmone pendere ex craſſis ſuccis, quibus non conuenit potus frigidæ.

Vnde clare patet non recte citatos Doctores, Zechium, Mercurialem, aliosq. eiuſdem ſententiæ plurimos, aſſerere in calida podagra eſſe ex vſu frigidæ potum; Etenim cum podagra calida, ſeu arthritis calida, pẽdeant ex calidis ſuccis, qui etiam ſunt craſſi, lẽti, & viſcoſi, vſum aquæ ſinceræ iuxta veram methodum medendi non requirunt, ob rõnes veriſſimas ſupra allatas. Sed contra ex ijſdem Gal. principijs. Zechij, & Mercurialis improbatio.

Obijcies 1. per Galen. potus frigidæ competit puro, & exquiſito eryſipelati, non ob aliam rationem, niſi quia pendet ab humoribus calidis; ergo pari ratione cõueniet inflammationi, & podagræ ab inflammatione pendenti. Reſp. negãdo conſequentiam, & rationem antecedentis. Neq. .n. ratione caliditatis ſimpliciter eryſipelati competit potus frigidæ, ſed quia in eo tum ſumma adeſt caliditas, tum maxima tenuitas humoris ſincerè billoſi, humorum omnium calidiſſimi, & tenuiſſimi; quo fit vt refrigeratio maxime indicetur, quæ humoribus tenuibus, immo tenuiſſimis non ſolum non obeſt, ſed prodeſt, dum eis moderationem, ſeu cõſiſtentiam, ſeu craſſitiem tribuit; ſecus vero ſe res habet in inflammatione, cuius caliditas nec eſt ita vrgens, ſicut caliditas eryſipelatis, & humorum habet craſſitiem, quæ facile à frigidis augetur, & læditur. atq. hãc ob cauſam idem Gal. 13. meth. med. c. 8. docet ex profeſſo in phlegmone, indicationem vacuandi potiorem eſſe indicatione refrigerandi, contra in eryſipelate, in quo indicatio refrigerandi vincit indicationem

1. Obiectio. Reſponſio. Differentia inter inflammationem, et eryſipelas, quo ad frigidæ potum. In curatione eryſipelatis primo intenditur refrige ratio.

M 2 vacuan-

vacuandi; merito igitur frigidæ potus conceditur in eryſipelate, non in inflammatione, cum à frigida impediatur attenuatio, & digeſtio humoris facientis inflammationem, id quod in inflammatione primo intendi debet, non autem impediatur ſimiliter digeſtio humoris tenuiſſimi faciẽtis eryſipelas, in cuius curatione primo intenditur refrigeratio.

2. Obiectio. Obijcies 2. ſaltẽ in podagra ex eryſipelate, competet potus frigidæ. Reſp. ſi talis detur podagra, concedendum in ea eſſe potum frigidæ tamquam omnino neceſſariæ, verum non

An detur podagra ex puro eryſipelate. dari podagram ex eryſipelate exquiſito pendẽtem, quamquã illa non eſt impoſſibilis, omnino ſuadent rationes mox allatæ, & Galenicæ auctoritates confirmantes podagram, & arthritidem pendere ex craſſis ſuccis, non tenuiſſimis, quales ſunt bilioſiſſimi, qui generant eryſipelas.

3 Obiectio. Obijcies 3. Galenũ, vt conſtat ex eius verbis allatis, loqui de frigida intẽpeſtiue, & immodice exhibita; igitur in phlegmone, & in podagra pendente ex phlegmone, poteſt frigida

Reſponſio. tempeſtiue, & modice exhibita, eſſe vtilis, & proficua. Reſp. illas conditiones, intempeſtiue, & immodice, eſſe appoſitas à Gal. ratione inflammationis exiſtentis in parte principe, non ratione obſtructionis, œdematis, ſcirrhi, quibus, & conſimilibus affectibus ſemper eſt intempeſtiua frigida, cum ſint illi affectus frigidi; ſicut etiam ratione podagræ, & arthritidis ſemper eſt intẽpeſtiua aquæ potio, & immodica, ſi vſus eius ſit continuus; Podagra etenim, & arthritis, vel eſt à cauſa frigida, cui nõ competit frigida; vel eſt à calidis humoribus, puta phylegmone, quibus vtpote craſſis obſtat vſus frigidæ, tum maxime cum partes in podagra, & arthritide ſint debiles, & frigidę, quas debiles magis, & frigidas reddit potus fri-

Inſtantia. gidæ. Inſtabis, ſaltẽ in podagra ab inflammatione, cũ aderũt ſigna coctionis, poterit exhiberi frigida, vt dictum eſt de in-

Dilutio. flammatione ſuperiori art. Reſp. in podagra, & arthritide à phlegmone, non poſſe inſpici coctiones inflammationum, hę .n. in arthriticis per digeſtionem in halitum, terminãtur ſalubriter, non per mutationem in pus, quod cum eſt album,

& mi-

& minimè fœtidum,maximè viget coctio inflãmationis,itẽq. dolor,& febris, quod docuit Hyppoc. 2.aphor. 47. inquiens (dum pus conficitur,dolores, ac febres accidunt magis, quã iam confecto) & conſequenter non eſt ratio.cur in podagricæ inflammationis vigore exhibeatur frigida, ſicut in vigore inflammationis afficientis præcipue partem principem. tum maxime cum ſemper frigida impediat diſſlationem inflãmati articuli ſiue pedis,ſiue manus,ſiue alterius partis, & ſemper lœdat refrigerando,& debilem reddendo partem frigidam. Quocirca firmum remanet, quod in concluſione poſuimus, nunquam in podagra ratione podagræ competere frigidam; ſi.n. ratione intenſæ ſitis, vel febris annexæ, vel ob aliam cauſam conuenit frigida,noſtræ concluſioni non obſtat,quę concludit ſolum de frigida non exhibenda in podagra,& arthritide, indicatione ſumpta à podagra,& arthritide.

Sed contra Obijcies 4. Cõe vulgi argumẽtum.experiẽtia patet plures abſtemios vtẽtes ſolo potu ſincere frigidæ, eſſe à podagra liberatos, ergo & curatiuum,& præſeruatiuum podagræ remedium, quod idem dicendum de quolibet articulari morbo,eſt potus aquæ ſinceræ,& puræ. Reſp. ab alijs, inter quos eſt Zechius lo.cit.hos,quibus adiumẽto eſt aqua, eſſe podagricos ex cauſa calida, cui eſt vtilis potus frigidæ. Sed ex dictis à nobis potiſſimum probatione 3. patet in hac primo intuitu plauſibili reſponſione veram doctrinam non contineri; Podagra.n.licet calida,quia à craſſis pendet ſuccis, vt probatum eſt,lœditur à frigida epota,à qua ſucci craſſiores redduntur, & cutis denſatur magis,& articuli imbecilliores fiunt, ac proinde difficilius diſſoluitur huius podagræ materia, & facilius propter imbecillitatem articulorum denuo influit, cum intermiſerit. Vera igitur huius experientiæ ratio eſt hæc. Aquæ.ſ. potu non per ſe, ſed per accidens iuuari podagricos,& arthriticos,eo quod bibentes frigidam parum admodum bibunt,cum bibentes vinum, eo copioſiſſime vtantur; Etenim vt dictum eſt ſuperiori q. art.2.coroll.4. potantes aquam,eam nec frequenter,nec multam bibunt.Et ſane

4. Obiectio.

Reſponſio.

Quomodo ab aquæ potu aliqui iuuentur podagrici.

ſane hanc experientiā ſtricte obſeruans,duos obſeruaui aquę potu adiutos,vt non valde vexarentur podagra,cum antea vinum potantes,ea frequenter cruciarētur; quibus aquæ potus ſufficiebat in duplici menſura,vinum autem non ſufficiebat in menſura decupla, in quibus manifeſto vidi non aquę, ſed diminutę potionis ratione,vnde ſuperfluitatū incrementum prohibebatur,podagram deſtitiſſe; in quibus etiam tum vētriculi, tum articulorum imbecillitatem magnam inſpeximus,toto habitu ſicciore, & frigidiore reddito ob paruum frigidæ potum;id quod à paruo vini potu podagricis maxime vtili,vt dicetur, non contigiſſet.

5. Obiectio. Obijcies 5. quia Gal.in 6.de morb. vulg. com.6. in tex.5. circa princ.podagras refrigeratione adiuuat;quod idem docet 13. meth.med.c.12. vbi particulis circa artus inflammatis ſpongiam imponit frigida aqua madentem;Et Hyppoc.5. aphor.25.(tumores articulorum, atq. dolores, abſq. vlcere, & podagricos quoq. atq. conuulſa frigida aqua large effuſa leuat,& extenuat,ſoluitq. dolorem, nam modicus torpor dolorem ſoluit) ergo pariter frigida epota vtilis eſt podagricis,

Reſponſio. Reſp.ex his eiſdem locis patere,non tradi ibi curationem morbi,vnde pendet podagra, ſed modum leuandi dolores, in quibus ſedandis per quā raro,vt Gal.docet cit.in 6.de morb. vulg. vtendum eſt refrigeratione, quod ſuperficiem denſet, difflationemq.impediat;& refrigerationem ſolum ex vſu eſſe in calidis intemperiebus ſine materia,vel vbi eryſipelata adſunt,vel podagra,in qua bilioſa adeſt fluxio, quod etiam habet in aphor. 25. quintæ particulæ, vbi torpore medio refrigerationem dolorē ſoluere, cum Hypp. docet. ſed quidquid ſit de hac re;hinc nihil contra Concluſ. colligitur; magna .n. eſt differentia inter epotam frigidam,& frigidam inflammatæ particulæ impoſitam, quam concedunt Hypp. & Gal. locis cit. extrinſecus .n. inflammationibus infuſa, vel cum ſpongia madente,vel aliter appoſita aqua particulæ incipiēti inflammari,repercutiendo impedit incrementum inflāmationis,& doloris; id quod non præſtat epota frigida,quę humo-

Quando in doloribus,et quomodo cō ueniunt extrinſecus refrigerantia.

morem dum denſat influentem,vel influxum, difflationem eius impedit,& conſequenrer auget inflammationem,& diuturniorem eius tum ſolutionem, tum dolorem efficit.

ARTICVLVS TERTIVS.
De tempore exhibendi frigidam in morbis, quibus conuenit frigidæ potus.

QVAE diximus ſuperiori quæſt. de tempore potandi frigidā ſanitatis tempore, eadem ſunt ſeruanda ab ægrotis tempore morboſo, à quibus præterea morbi tempus eſt inſpiciendum;neq. .n. omnia morbi tempora ſunt idonea ad frigidam bibendā in morbis, in quibus competit aquæ potus,qui potiſſimum ſunt febriles morbi,vt conſtat ex dictis.

Prima Concluſ. In febribus diarijs, in ſynocho non putri, & in febribus hecticis,& in omni intemperie præternaturam calida,vel calida ſicca,ſiue ventriculi,ſiue hepatis,ſiue alterius partis,cū qua nō adſit humorū copia adiuncta,ſed nuda ſit, quodlibet tēpus morbi eſt idoneū ad frigidam bibēdam. 1. concluſio.

Probatur apertiſſime. Frigidæ potus,natura ipſa docente, tribuitur ad caliditatem,& ſiccitatem remittendam,ſed caliditas præternaturam ; vel caliditas, & ſiccitas ſemper debet remitti,ſiue ſit in principio, ſiue in augmento , ſiue in ſtatu, ſiue in declinatione ; ergo in quolibet horum temporū aptè adminiſtratur frigidæ potus. Confirm, quia Gal. lib.de marcore c. 8. de febre hectica frigidæ potione curanda , habet hæc verba (ipſa .n. quatenus febris eſt, ſemper tum à frigida potione extinguitur, tum à balneis iuuatur) quod ſæpe repetit,potiſſimum 11.meth.med.c.9.quod idem de febribus diarijs pariter dicendum eſt , & de omnibus intēperiebus calidis,vel calidis,& ſiccis,ſiue vētriculi,ſiue hepatis,ſiue aliarum partium,per ſe conſideratis,& nudis, ſine humoribus. probatio. confirmatio.

2. Concluſ. In febribus pendentibus ex putridorū humorum ſiue abundantia, ſiue craſſitie , ſiue putredo humorū ſit 2. concluſio.

in

in venis,ſiue in parte aliqua carnoſa, quæ inflammationem patiatur; maxime idoneum tempus frigidæ exhibendæ, eſt tẽpus ſtatus,ſeu circa ſtatum, cum .ſ. euidentes ſunt concoctionum notæ tum humorum putreſcentium in venis,tum in parte inflammata,quæ ad ſuppurationem vertatur.

Hanc Concluſ. ſæpiſſime docuit Gal. de marcore c.8.vbi ne in hectica quidẽ, cui ſit aſſociata phlegmonoſa, vel eryſipelatoſa affectio,iubet frigidam exhiberi antequam morbus conſiſtat.11.meth.med.c.5. in fi. vbi in continente putri febre,cum concoquuntur, & prætenuati ſunt humores, iubet frigidam exhibendam,& c.9.poſt med. vbi inquit (ergo ſi & vires cunctæ valentes ſunt, & febris ardentiſſima, & concoctionis notę plane euidentes,frigidam homini dare audacter debebis) idem docet 10.meth c.16.in fi. 1. ad Glauc. c. 13. in fi.& tandem diſertiſſime, & fuſiſſime lib.9. meth.med.c.5.

probatio. Probatur Concluſ.ratione,quæ ex citatis locis aperte colligitur. Potus aquæ cũ vim refrigerandi, & humectandi magnam habeat,& conſequẽter denſandi,& incraſſandi humores;non competit humoribus multis, crudiſque exiſtentibus, quales ſunt in morbi principio,tũc .n. magis craſſos, magiſq. lentos reddit, ac ad coctionem recipiendam minus idoneos; ac proinde naturam magis grauat tunc temporis. Id quod non accidit humoribus concoctis,ac in vigore morbi,quo tẽpore maxime natura refrigeratione indiget,& humores prætenuati ſunt, & deuicti. concoctis igitur humoribus competit potus frigidæ,quippe ea,vt Gal.loquitur 9.meth.med.c.5. his verbis(ſolidarum animalis partium natura roborata,prętenuatos iam humores aggreditur, itaut qui vtiles ſunt,atq. ad nutriendum habiles,hos quidem ad ſe trahat; inutiles vel per ventrem,vel per cutim eijciat.)

Corollarium An in princ. acceſſionis conueniat frigida. Ex hac Concluſ. colligitur nõ ſolum in principio vniuerſali morbi, ſed etiam in particularis acceſſionis principio nõ conuenire potum frigidæ,ob eandem omnino rationẽ.quod Hypp. expreſſe docuit de rat.vict.in acut.par.3.tex.40. in fi. de aquæ frigidæ exhibitione ita inquiens (quod ſi pedibus

frigen-

ſrigentibus aliquando quis biberit, & multo magis nocebit) quam doctrinam eſſe omnibus, & notam, & certam, & confeſſam, Galenus notat in hunc locum Hypoc. Sed Contra

Obijcies primo, quia ipſemet Gal. loc. cit. de marcore c. 8. concedit in principio morbi eryſipelatoſi, vel phlegmonoſi potum frigidæ, ſi ei æger ſit aſſuetus, & ſitim tolerare haud poſſit; Reſpondetur hæc non eſſe Concluſioni contraria, quę loquitur de tempore potus, inſpecto morbi tempore, quod debet eſſe, in quo coctiones adſunt euidentes, quod tempus non ſeruatur, cum ſitis admodum eſt intolerabilis, & cogimur ad frigidam exhibendam etiam in principio, ex Gal. loc. cit. nec ſine ratione, ob ingentem enim ſitim plura poſſunt ſuperuenire ſymptomata grauiora, quæ potu frigidæ præcauentur; & ſuperiori qu. etiam probauimus, quo tempore adeſt ſitis nõ ſuperficialis, ſed intẽſa, opportune frigidã bibi. 1. Obiectio. Reſponſio. Ratione intẽſæ ſitis in principio morbi, & acceſſionis cõuenit potus frigidæ.

Obijcies 2. quia Galenus ipſe 10. meth. med. c. 5. in ardẽtibus febribus à principio dat frigidam, immo in primæ acceſſionis principio, ne dum in inclinatione, vel ſtatu; Confir. quia vt Gal. 9. met. 5. dictũ eſt ex art. præced. exquiſitũ eryſipelas ſola refrigeratione, & potu frigidæ ſanatur, & hæc ei cõpetit à principio; ſicut ẽt à principio medicamenta potẽtia frigida, & actualiter frigida, aquæ frigidiſſimæ, aut niui inſiſtentia, eryſipelati conueniunt Gal. docente 1. de compoſ. medic. per gen. c. 4. poſt med. falſa igitur Concluſio aſſerens, in febribus putridis bibendam eſſe frigidam, vbi apparẽt manifeſte coctionum notæ. Reſp. Gal. cit. 10. meth. 5. nõ obſtare, legenti .n. manifeſte patere põt non loqui de febribus putridis ortis ab obſtructione ꝓpter craſſos ſuccos, vel ex abũdantia humorum, vel phlegmone, de quibus loquitur Cõcluſio, & in quibus propter allatas in Concl. rõnes, à principio nec aqua potanda eſt, nec nutriendũ, vt lo. cit. docet Gal. ſed de febribus ortis in corporibus, & naturis calidis, ſiccis, in calida & ſicca æſtate, ex vſtione, inedia, vigilijs, animi motibus, ſimilibuſq. cauſis calefacientibus, & eſiccantibus; in quibus contra à principio bibenda aqua eſt, & cibus exhibẽdus. 2. Obiectio. Cõfirmatio. Reſponſio.

N Tum

Quibus in febribus à principio ſit aqua potanda, & nutriendum.

Tum quia vt ex lo. cit. aperte colligitur,in his ſucci nõ ſunt multi,nec craſſi, qui à frigidæ potione læduntur; ſed calidi, attenuati,ac paruæ quantitatis; quapropter refrigeratione, ac refectione tunc corpus indiget. Tum quia ſi coctionis tẽpus in his expectari velit;vel mors præueniet;vel in hecticas facillime fiet tranſitus;quin ẽt in talibus caſibus ſtatim hectica cum humorali ardente coniungitur, vt in muliere ſe obſeruaſſe Gal. refert lo.cit.Tum quia experientia,quam cit.lo. teſtatur Gal. conſtat in huiuſcemodi febribus ab initio epotam gelidam ſummopere conduxiſſe.Atq. hinc colligi poteſt quid dicendum ſit ad Confir. obiectionis, eam .ſ. cõcluſioni nõ obſtare,eryſipelas .n. & ex eryſipelate febris nõ pẽdet ab humoribus craſſis, vel multis, de quibus loquitur concluſio, ſed tenuiſſimis ex bile flaua ſola dominante, cuius feruor maxime obtũditur ab epota frigida; id quod maxime prærequiritur,vt natura poſſit concoquere,& euacuare bilim eryſipelatis cauſam,ob quam rationem putandum eſt dictum à Gal. 13.meth.c. 8.in eryſipelate refrigerationis indicationem ſuperare vacuandi ſcopum. Quia tenuiſſimæ bilis,& exquiſitæ refrigeratio adiuuat naturam ad eius concoctionem, & expulſionem,non ſic refrigeratio humorum craſſorum, & multorum. Quamquam ob aliam rationem ẽt à principio vtimur frigidæ potu,& frigidiſſimis medicamentis localibus in eryſipelate;Quia ſcilicet hac ratione dolor intenſiſſimus eryſipelatis ſedatur; Cuius doloris cauſa cum peiora poſſent ſuperuenire ſymptomata,vigiliæ,delirium, animi defectus,& ſimilia,fit vt non expectetur tempus coctionis pro exhibenda frigida.Sicut ẽt doloris rõne in exhibendis medicamentis purgantibus,non expectatur coctio,vt dicendum Deo dante, & Illuſtriſſimo Domino, noſtra tractatione. De euacuatione per purgantia medicamenta. Et rõne ſitis,& aſſuetudinis, vt dictum eſt ſupra ex Gal. de marcore c.8. in principio phlegmonoſi affectus datur frigida, ergo multo magis rõne intenſiſſimi doloris, qualis eſt in eryſipelate,& ex humoris,tũ feruore,tũ tenuitate,quæ potiſſimæ sũt doloris cauſæ,arguitur.

Cõfirmationis ſolutio.

Cur in eryſipelate refrigerandi indicatio ſuperet vacuãdi ſcopum.

Dices,

Dices, ex hac vltima rõne ſequi ēt in principio phlegmones cõpetere potum frigidæ, eſto non adſit ſitis intenſa; eſt .n. inflammatorius affectus etiam dolorificus. Reſp. non ſequi, quia non eſt intenſe ſatis dolorificus, ſicut eſt eryſipelas exquiſitum; quam ob cauſam, Gal. docēte 13. meth. med. c. 8. cit. conueniunt tantiſper extrinſecus refrigerantia in inflammationis principio; & pariter intrinſecus tantiſper refrigerantia, quæ ſimul ſint attenuantia, conueniunt, qualis non eſt aqua ſimplex, ſed oximeli, vel melicratum, & aqua; Quod docuit magnus Hypp. de rat. vic. in acut. p. 1. tex. 43. inquiēs (vbi autem dolor aliquis vexauerit, oximeli bibendum dabis, hyeme calidum, æſtate frigidum, quod ſi multa ſitis fuerit, melicrato vtendum eſt & aqua.) Inſtantia. Dilutio inſtantiæ

Ex qua Hypp. ſententia infertur. Veriſſimam eſſe noſtram concluſionem ſuperiori art. poſitam denegantem potũ aquę ſinceræ in podagra; cum eam fere neget Hypp. cit. lo. in acuta febre cum ſiti, & dolore ex inflammatione, de qua loquitur ibi, vt conſtat ex Gal. in commento. Podagræ nõ competere potum frigidæ ex Hyppocratis ſententia.

A R T I C V L V S Q V A R T V S.

De gradu, & menſura frigidæ exhibendæ in morbis, quibus conuenit potus frigidæ.

GRadus frigidæ exhibendæ ſuperiori q. ar. 3. init. prout ad rem præſentem facit, ſufficienter diſtinximus. Menſuram aũt frigidæ bibendæ in morbis, duplicem diſtinxit Hypp. de rat. vict. in acut. p. 3. tex. 42. Quædam eſt valde multa, quædam vero modica; eſt autem valde multa, vt aperte habetur ex Gal. in Hypp. de rat. vict. com. 1. in tex. 43. cum ad laborantis vſq. ſatietatem bibitur affatim, quantũ .ſ. æger frigidæ aquæ inſpirando haurire poteſt, quæ frigidæ potio, cũ eſt affatim, & frigidiſſima, certatoria appellatur, & agoniſtica, Gal. docente lib. de marcore c. 8. & de hac eſt maior difficultas, quando conueniat, pro qua re ſit Quæ ſit potio valde multa, & quę certatoria, ſeu agoniſtica dicitur.

Concluſio. Frigidæ potio certatoria, & agoniſtica conue- Concluſio.

nit in morbis calidiſſimis, de quibus ſupra dictum eſt, in quibus præter tempus morbi,in quo apparet euidẽs coctio, pręter membrorum robur, potiſſimum internorum,& viſcerum, & p̃ter alia,quę notata ſunt tũ in hac, tũ in ſup.quæſt.cõſentiunt etiam tempus anni,regio, ætas,natura,& conſuetudo.

Probatio. Prob. Concl. Frigidæ potio in morbis, & refrigerationis, & ſanationis gratia bibitur; ergo cũ calidiſſimus eſt morbus, frigidiſſima debet eſſe aqua,qualis ex niue; & valde multa, alioqui in parua quantitate non valde refrigeraret,quod requiritur ad calidiſſimum tollendum morbũ.Quo ſpectat illud Hypp.1.aph 6.(extremis morbis extrema exquiſitè remedia optima ſunt)& rõne confirmatur;Vt .n. extrema caliditas ad commoderationem reducatur,extrema ei debet occurrere frigiditas,viribus æqualibus cõtra caliditatem agens. Requiruntur aũt vt talis poſſit fieri potus frigidæ,tum plura in cõcluſione notata,tum tempus anni,regio,ætas,& conſuetudo; Quia frigida potio nõ ſolum febris cauſam, & cor refrigerat, ſed partes omnes corporis, quæ tunc ſolum agoniſticam potionem tolerant, cum illæ omnes adſunt frigidam requirentes, vt mox etiam dicetur ex Gal. ex quo Confirm. Concl.

Confirmatio 1. .n. ad Glauco c.13. in fi hæc de frigidæ potu habet verba. (modus vero in quantitate ſeruetur,quemadmodum tempns anni,regio,ætas,& natura, & cõſuetudo etiam expoſcit) quibus clare patet valde multã frigidæ potionem horum omniũ concurſum requirere.

Tempore frigido Gal. dat vini potum in febre. Quod clarius oſtendit 11.meth.med. c.9. poſt med.vbi in mediocri febre tẽpore frigido,vini potu,nõ frigidę potu vtẽdum præcipit, quod ſatis aſſiduo reſpiratu refrigeretur æger.

Cur peſſimæ febres in ſtatu cœli frigido. Atq. idcirco exiguam ſalutis ſpem eſſe, vbi in ſtatu cœli frigido ægrotus vritur. Cum igitur hæ omnes cauſæ,& conditiones non adſunt, quæ frigidam requirant, minuenda eſt frigidæ quantitas,& pariter gradus, ſicut .n. frigidior aqua magis refrigerat, ita in maiori quãtitate epota aqua frigida; quantitas .n. adiuuat ad agendum, vt conſtat ex Phyſicis.

Atq. quod dictum eſt de tempore, ſeu ſtatu cœli frigido dicen-

dicendum pariter de regione,ætate,& natura frigida,vt conſtat ēt ex dictis ſuperiori q. Quin ēt Gal. 10.meth.med. c.5. docet corpora calida ſicca, ſeu ſquallidas naturas, quibus à principio febris probauimus ex eodem conuenire potum frigidæ,nõ ferre citra noxam frigidam ſimul multam, quod idē docet 9.meth.5. & probat his verbis(ideoq. minus tuta ijs, qui exiguum ſanguinem, carnemq. habent,frigidæ potio eſt; celeriter namq. ad ſolidas animalis peruenit partes, nulli, q̄ eius vim frangat occurrens; eo ēt fit, vt hecticæ febres nec perinde eam, quæ prorſus ſit gelida, nec multam deſiderent, ceu quæ extenuatis omnino, exiguiq. ſanguinis corporibus incidant) Sed contra.

An potus frigidæ ſimul multæ conueniat calidis ſiccis,& ſqualidis, & in hectica febre

Inſtabis, quia idem Gal: lib.de marcore c. 8. hecticis agoniſticam concedit potionem, & extrinſecus refrigerantia imponit; quæ actu ſint ex niue frigida. Reſp. hæc non eſſe hecticarum remedia, ſed affectus eryſipelatoſi, patere ex eod. Gal. vbi .n. hæc tradidit, ſic inquit (hoc igitur modo eryſipelatoſas affectiones refrigerare oportet.) Reſponderi etiam poteſt, conuenire ſimilem refrigerantium vſum in hecticarum principio, ſicut etiam 10. meth.5.in calidis,ac ſiccis naturis Gal.à prima acceſſione minore cum periculo copioſiore vtitur frigida,corporibus ad validam ſiccitatem non dum perductis. Atq. hæc doctrina maxime conſonat dictis à nobis ſuperiori q. art. 3. ad 1.Obiect.vbi frigidam ex niue ſquallidis naturis prohibemus, cõcedimus autem calidis humidis plurimo ſanguine abundantibus.

Inſtantia.

1. Dilutio.

2. Dilutio.

Plurimum etiam aquæ potum indicari ex conſuetudine, conſtat ex Gal.lib. de conſuetudine c.1.vbi hiſtoriam refert cuiuſdam potui calido aſſueti, natura gracilis,& frigidiſſimū habentis os ventriculi, qui à medicis impulſus ad potandam frigidam, quod æger ob prædictas cauſas facere recuſabat, conuulſus eſt mortuus.Plurimum igitur eſt inſpicienda conſuetudo frigidi potus. cuius ratio ab eodem Gal. aſſignatur 9.meth.med. c.5. & c. 16. quia ſi per ſanitatem aſſuetus bibere frigidam,nullam ex ea noxam ſenſibilem percepit;ſignū

An ſit conſuetudo inſpicienda in frigida exhibēda.

eſt valida ei eſſe viſcera,& familiariter frigidæ occurſum tolerare,quem facilius tolerabit calido exiſtente morbo, de quo antea dictum eſt. Vnde patere poteſt, cum ſermo eſt de conſuetudine bibendæ frigidæ, ſermonē eſſe de bona, & vtili,vel ſaltem non nocua aſſuetudine, nō de aſſuetudine cum lœſione, quæ potius eſt deſuetudo;ex qua indicatio renuendi frigidā,ſumi debet;quod ſentiens Gal.lo.cit.9.meth.med. c.16.inquit(nemo .n. adeo eſt ſtupidus,vt magnopere ex frigidæ potione lœſus, hanc in diutinū vſum duxiſſe velit, propterea lœſus interim,atq.ab ea euidenter ægrotans,omnino abſtinebit.) Non poſſum hic ſilentio prætermittere, talem me hominum ſtupiditatem inueniſſe,qui frigidę,& frigidiſſimę ex niue,vſu diutinō,ventriculi imbecillitate,& articulorum debilitate laborantes, aliiſque paſſionibus , quæ ad has ſequuntur; à frigida nequeunt abſtinere ; apud quos etiam medici illi ſunt in pretio magis, qui magis adulari nouere,ad quos admonendos liceat vti Gal. ſententia omnino legenda 1.meth.med.c.1.tum pluribus aliis, tum certe his verbis expreſſa (eoq. iure fit,vt cum ægrotare cœperint, medicos aduocent,non quidem optimos,vtpote quos per ſanitatem noſcere nō ſtuduerunt,ſed eos,quos maxime familiares habēt, quiq. ipſis maxime adulantur,qui & frigidam dabunt,ſi hāc popoſcerint,& lauabūt,cum iuſſerint; & niuem,vinumq.porrigent: poſtremo quidquid iubebitur, mancipiorum ritu facient, contra quam veteres illi medici ab Aeſculapio oriundi, &c.) Hinc colligas quid ſit agendum in febribus curandis ægrorum,quales ſunt Galli,Germani,& ſimiles,aquę potum omnino fugientes. abſtinendum .ſ. eſſe ab aqua quam maxime. Et experientia pluries compertum eſt, hos,ſi aquā bibere compellantur, in ventriculi imbecillitatem incidere, & ad cibi vomitum.

Improbatio, & ægrorum, & medicorū adulantium ex Galeno.

An febrientibus gallis,& germanis ſit dāda frigida.

1. Obiectio. Obiicies 1. Contra concluſionē, quia Gal. 11.meth. med. c. 9. pro frigida audacter exhibenda, ſolum conſiderat vires cunctas valentes, febrem ardentiſſimam,& coctionis euidentes notas; non igitur tot, ac tanta ſunt inſpicienda.

Re-

Reſpondetur 1. hoc loco Galen. inſpicere cunctas vires, non relictis ceteris, quæ conſideranda ſunt. verbigratia natura, ætate, conſuetudine, quod ex Gal. verbis cit. cap. poſt princ. clare conſtat, ſic .n. inquit (ceterum vbi magnitudo febris obſtat, ſicut in continentibus, nec vino eſt vtendũ, nec lauacro, nec ijs, quæ habitum rarefaciant, vnctionibus. ſed aqua frigida, ſicut prius diximus, pota in his febribus ẽ aptiſſima, niſi tñ aliquid eorum, quæ prædicta ſunt, hanc quoque prohibeat) prius autem 9. meth. 5. & 16. & 10. meth. 5. multorum meminit, quę aquã prohibent bibendam, vt eſt partiũ debilitas cruditas humorũ, obſtructio, inflammatio, & cætera in ſuperioribus annotata, loco igitur in obiectione allato nõ excludit cætera in concluſione poſita. Reſp. 2. cunctis exiſtentibus viribus valentibus, cætera omnia intelligi, neceſſario .n. omnia membra principalia bene ſe habent, alioqui nequeunt omnes vires eſſe robuſtæ, & conſequenter natura in his valens eſt, & vt Gal. hoc loco notat; homo cũctas habens vires valentes, ſenex non eſt. quapropter optime poſitis viribus valentibus in febre ardẽtiſſima, & humorum concoctione, audacter exhibebitur frigida. Reſp. 3. & mea ſententia omnium optime, hoc loco Gal. non loqui de agoniſtica potione, frigidiſſima .ſ. & ſimul multa, ſed frigida, quæ iuxta doctrinam traditam exhiberi poteſt, cum deficit aliqua prædictarum conditionum, ætatis .ſ. conſuetudinis, &c. qui ad hanc vtpote non excedentem non requiritur tota cauſarum multitudo aquam reſpiciens, & requirens; Atq. ob ſimilem cauſam idem Gal. 9. meth. med. c. 16. plures notat febre liberatos potione frigidæ, cui non erant aſſueti; vbi non loquitur de frigidiſſima, & ſimul multa. quod eſt valde notandum.

1. Reſponſio. 2. Reſpõſio. Ex Galen. hõ habens vires cunctas valẽtes, non eſt ſenex. 3. Reſponſio

Obijcies 2. Omne nimium eſt naturæ inimicũ, vt diximus ſuperiori q. art. 3. prob. 2. concl. ergo aqua excedens frigiditatis gradu, qualis eſt ex niue frigida, vel huic ſimillima, & quantitatis menſura, qualis eſt valde multa ſimul, & affatim ſumpta, non conuenit vnquam, eſt .n. naturæ inimica. 2. Obiectio.

Reſp. Naturã dupliciter poſſe cõſiderari, vel in ſtatu natu- Reſponſio.

rali

rali nulla præternaturali cauſa, vel morbo affectam. Vel in ſtatu præternaturam,calidiſſimo morbo detenctam.In priore caſu concedimus omne nimium eſſe naturæ inimicum, & in caſu noſtro aquam frigidiſſimam,& valde multam eſſe aduerſiſſimam. In ſecundo caſu negandum eſt aſſumptum; non enim omne nimium eſt naturæ morbo correptæ inimicum,& conſequẽter nõ eſt aqua frigidiſſima, & multa inimica naturæ præter modum calidiſſimæ, & ardẽtiſſima febre correptę. Et ratio diuerſitatis colligitur apertè ex dictis, tum quæſt. præcedenti probatione 2. tum in probatione præſentis concluſionis; Animantium enim naturæ in ſtatu naturali conſiſtunt in mediocritate, quę peruertitur à nimia, & excedente cauſa, qualis eſt frigidiſſima ex niue, vt dictum eſt; In ſtatu vero præternaturam talem mediocritatem non retinent, ſed exceſſum receperunt .ſ. caliditatis, de qua eſt ſermo, ſiue hæc in humoribus,ſiue in ſpiritibus conſiſtat,ſiue in partibus ſolidis; qui exceſſus vt ad mediocritatem reducatur, excedens debet ei occurrere frigiditas. Conuenit igitur potus aquæ tum frigidiſſimę,tum ſimul multę in ardentiſſima febre cum cęterę adſunt conditiones prædictæ, quibus deficientibus, bibendæ aquæ tum frigiditas,tum quãtitas eſt minuenda, quin etiam quandoq. non bibenda, vt dictum eſt.

Finis Tractationis.

Imprimatur Lælius Taſtius Vic.Gen.Neap.

M. Antonius Palumbus Theol. Dep. vidit.

Mag. Philocalus Caputus Carmel. Theol. Dep. vidit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

FRANCISCI ANTONII
CASERTAE NEAPOLITANI.
TRACTATIO.

De Vinorum Natura, & vſu, tum in ſanis, tum in ægris Corporibus.

QVID nam Vini propria appellatione ſignificetur,fusè docuit,& decreuit Vlpianus in l. ſi quis vinũ ff.de tritico vino,& oleo legato, vbi vini propria appellatione non vult contineri,nec Zitum,nec ceruiſiam,nec hydromeli,nec ſuccum cidoniorum;nec quoduis aliud, quod non fit ex vinea;amplius à vini acceptione excludit omne id,quod licet fiat ex vinea,vinum tamen non permanet;ſiue ratione artificij,& conditurę,tale eſt defrutum;ſiue ratione alienæ mutationis,qualis cõtingit,cum vinum aceſcit; quo fit vt in Vlpiani ſententia nec defrutum,nec acetum propriè vinum dici queant. Quæ omnia,ſunt veritati conſona,& Galenicę doctrinæ. Eſt enim vinum propriè , Vuæ ſuccus, qui vbi ab vuis exprimitur , muſtum vulgo dicitur,vt ſatis conſtat,& teſtatur Gale. 2.de alim.fac.c.9.Ex quo loco illud etiã notandũ eſt. Vuarũ acinos conſtare ex membranoſo tegumento , ex ſeminibus , ex ſubſtantia quadam veluti carnea,& ex humore per hanc ſubſtantiam diſperſo , qui humor expreſſus vinum eſt,paulatim per ſua tempora,vt dicetur , tales vires accipiens,vt Plato,quem Galenus refert lib.quod animi mores corp.temp.ſequan.c.10.Bacchum inuocari conſulat(qui vinum contra ſenij auſteritatem ſalutarem medicinam(ex Gẽtiliũ ſomnijs)hominibusdonauit,quo ſcilicet reiuueneſceremus, animiq; moleſtias obliuio deleret, ac mollis è duro

Quid propriè ſignificet vini nomen.

Quęnam vuæ ſubſtantia ſit vinum

Vini commendatio ex Platone, Zenone, & Gal.

Digitized by Google

factus animi habitus, vt ferrum igni impoſitum, tractabilior eſſet.) Et Galen. loco citato cap. tertio ſic habet. (Vini autem potus aperte triſtitiam omnem, & tœdium leuat, hoc. n. quotidie vtimur, dicereq. Zeno ſolebat, vt ferunt. Quemadmodum amari lupini aqua macerati dulces euadunt, ita etiã ſe à vino affici.) Plurimaque alia fert commoda vini debita potio, vt in ſequentibus late docebitur. Quocirca minus vè re, ac minus ingenioſè Adrianus Turnebus Gallus libello de vino, Vinum humano generi iniquum, infeſtum, peſtiferũ exiſtimauit; Et quæcumque ad ſuam probandam opinionẽ affert, ſolum probant, viuum, vel liberalius, vel intempeſtiue ſumptum à quibuſdam temperaturis admodum calidis, vel ob aliam rationem, eſſe nocuum; quæ non ſunt vini, ſed bibentis vitia, vt late patebit ex dicendis. Et Galenus diſertè docuit lib. quod animi mores &c. c. 3. inquiens. (Sic vero & Theognis dicebat vinum liberalius hauſtum, malũ. Quod ſi ſcitè quiſquam id bibat, non malum, ſed bonum eſt, namre vera ſi commodè vtaris, & concoctioni, & digeſtioni, & ſanguinis generationi, & nutritioni confert abundè, Adde quod animus noſter eo, & mitior ſimul, & fidentior redditur &c.)

Turnebi opinio putantis vinum infeſtũ hominibus.

QVAESTIO PRIMA.

De differentijs Vinorum, & an vina inter ſe ſpecie differant.

1. Notabile.

NOtandum 1. Vinorum varias, ac propemodum innumeras eſſe differentias, prout & vuarum etiam multiplex eſt diuerſitas tum in eiſdem, tum in diuerſis regionibus; quælibet enim regio tum vuarum, tum vinorum multas producit ſpecies, vt clare patet; Et Galenus lib. de ſuccorum bonitate, & vitio c. 11. 12. meth. med. c. 4. 5. de ſanit. tuen. c. 5. diffuſè diuerſiſſimorum vinorum, quæ tum in Aſia,

Aſia,tum Græcia,tum in Italia,potiſſimum Romæ,tum alijs in locis gignuntur,meminit,itemque aliquorum,quæ in hoc Regno fiunt, ſcilicet Falerni,Neapolitani aminæi, & Surrentini; Et certiſſimum illud eſt noſtro hoc ſęculo , totum hoc Regnum Neapolitanum,ſicut ceteris omnibus,quę ad hominum victum faciunt,ſummo, ac diuino naturæ beneficio maxime affluit,ita ſanè varia Vinorum omnis generis diuerſitate abundare , vt quæ omnia citatis locis Galenus commemorauerit,ſimilia,& meliora in hoc Regno reperias, quin etiam circa,& prope Ciuitatis Neapolis circuitum. Verum tam varias vinorum differentias ex locis deſumptas recenſere, ſatis longum eſt,& minime ſcientificum.cuius munus eſt,vinorũ diſtinctiones aſſignare,ad quas vina omnia totius orbis terrarum reduci debeant.quæ vt ſciantur.

2\. Notabile.

Notandum 2. ex Auctore lib. de renum affect.digno. & med.c.6.in fi.Et Galen. ex profeſſo in lib.Hypp.de rat.vict. in acut.com.3.in tex.1.Primam vinorum differentiam deſumi ex colore,alia enim ſunt alba,alia nigra,alia fulua,flaua, rubra; Secunda deſumitur ex vinorum ſaporibus, quædam enim ſunr dulcia,quædam amara,quædam auſtera,quædam acria & quædam inſipida. Tertia ex conſiſtentia conſurgit, hinc nonnulla vina ſunt tenuia; nonnulla valde craſſa:nonnulla inter hæc media . Quarta differentia accipitur ex odore.Sunt enim alia boni odoris; alia inſuauiter feriunt odoratum,alia omnino ſunt inodora. Quinta ex facultate, & vi vini oritur; quoddam enim vinum eſt potens , quod dicitur etiam vinoſum,quoddam imbecillum,quod etiam aquoſum nominant;quoddam inter hæc medium vel ęqualiter,vel inęqualiter interiacet.Addunt alij,vt Galenus monet lo.cit.differentiam vini deſumptam ex tempore,vt alia ſint recentia, alia vetuſta , alia medij temporis; quam ipſe etiam reducit ad traditas differentias;tempore enim vina fiunt tenuiora , magis acria,& colorata,magiſque olentia ; quæ differentiæ iam aſſignatę ſunt.Amplius addi videbitur debere alicui dif

Vinorũ differentiæ.

ferentia vinorum perſpicuorum,& turbidorum; ſed perſpicuitas,& turbulentia ad tenuitatem , & craſſitiem vinorum reduci debent.Vnde Schola Salerni bene videtur explicaſſe vinorum differentias his verſibus.

Vina probantur odore,ſapore,nitore,colore,
Si bona vina cupis,hæc tunc probantur in illis,
Fortia formoſa,& fragrantia frigida friſca.

Probatio. Probatur hæc diuiſio vinorum,quia ſub ea,omnia , quæ reperiri poſſunt vina continentur;& hac cognita diuiſione, vina omnia,quæ nunquam antea aut videris,aut guſtaueris, viſu & guſtu facile diiudicaueris qualia ſint, & quibus conueniant,quare bona,& apta eſt diuiſio tradita vinorum,quę inter ſe an ſpecie differant,vt ſciatur

3.Notab. Notandum 3.me hic nihil agere de differentijs phyſicis in communi an dentur penes diſtinctionem formarum ſubſtantialium,nam ſuppono omnino dari formas ſubſtatiales, ex quibus vna cum materia ſubſtantiali componitur compoſitum ſubſtantiale,ſed diſputo hic in ſpeciali de differentijs in ſpeciali vinorum.

Concluſio. Concluſio. Vina omnia licet differant inter ſe colore, conſiſtentia,ſapore,odore,virtute; vnius ſunt ſpeciei ſpecialiſſimæ,& conſequenter ſpecie phyſica non differunt , ſicut omnes homines ſub vnica ſpecie ſpecialiſſima continentur.

Omnia vina ſunt vnius ſpeciei ſpecialiſſimæ.

Probatio. Probatur concluſio.Diſtinctio ſpecifica ex ſpecie diſtinctis operationibus arguitur,vt conſtat ex phyſicis,ſed vina non habent operationes,quæ formæ, & ſpeciei diſtinctionē arguant;ſed tantum accidentalem; ergo ſpecie non differūt; ſed ſolum accidentaliter.Confirmatur 1.quiaſi qua ratione

1. Confirm. uina deberēt dici ſpecie diſtingui,ea eſſet magna in vinis varietas quo ad colorem,odorem;ſaporem, conſiſtentiam &c. Sed hæc omnia in eiſdem vinis tempore mutantur, cum tamen dici nequeat idem vinum tempore ſecundum ſpeciem permutari; ergo propter colores,ſapores,& ſimilia accidentia non poſſunt dici vina ſpecie differre. Confirmatur 2.

2. Confirm.

eadem

eadem vitis,cum loca mutat,diuerſum affert vinum,vt teſta tur Galenus 3.de ſympt.cauſis c.2. vbi etiam idem teſtatur de alijs ſtirpibus,& herbis;& de perſica planta ex Perſide in Aegyptum tranſlata,affirmat mutaſſe id,quod periculoſum, & lethale habebat in Perſide;certiſſimum autem eſt eãdem vitim per tranſlationem locorum,non mutare ſpeciem,& cõ ſequenter diuerſa vina ratione ſaporum,colorum,& ſimiliũ accidentium ſpecie non diſtingui. Confirmatur 3.experientia,cuius nos periculum fecimus,ab eiſdem vitibus ratione diuerſorum temporum,& induſtriæ,diligentiæque adhibitæ, diuerſiſſima vina genita fuiſſe;ita vt ex albo,tenui,imbecillo, inſipido,quale ſepius collectum eſt,quandoque flauum,dulce,craſſum,potens, productum fuerit; nõ igitur in vinis eſt aſtruenda ſpecifica diſtinctio. 3. Confirm.

Obijcies 1.Vina nigra,& alba videntur eſſe omnino contrarij coloris,ergo & ſpeciei etiam. Confirmatur,quia num quam viſa eſt vitis ferens vuas albas, quocumque tranſlata, nigras vuas tuliſſe; Neque vmquam viſum eſt temporis diuturnitate vinum nigrum mutari in album, vel album in nigrum; ſignum igitur eſt in his vuis,& vinis diuerſas omnino eſſe formas ſubſtantiales,ſeu ſpecies. Reſpondetur: negandam eſſe conſequentiam clare patet ex hominibus albis ſpe cie non differentibus à nigris hominibus. Et ad confirmatio nem dicendum,eſto per tranſlationem ad varia loca,vitis al ba nõ tulerit nigras vuas,id ſaltem non implicare,ſi nutrimẽ tum ſit eiuſmodi,quod à vite tranſlata trahatur, vt ad vuarum nigrarum,non albarum valeat generationem, ſicuti videmus per ægritudines homines nigro ictero corripi, vberiore ſucco melancholico ad carnes delato, ob affectionem ſplenis; Et albos homines ex ſollicitudinibus,mæſtitia, melancholicorum ciborum vſu,& ſimilibus cauſis temporis ꝓgreſſu ad totius corporis nigredinem permutari.Et contra ex deſide vita,cibis pituitoſis,& ſimilibus,cum nigriores an tea eſſent,albidi redduntur. Verum eſto talis non cernatur 1.Obiectio. Reſponſio.

per-

permutatio vuarum per tranſlationem ex albedine ad nigrediné,vel contra;vinorum certe cernitur per diuturnitatem temporis permutatio ad flauum,ad rufum ex albo, & ex nigro etiam, vt de vinis quibuſdam, quæ ex per perinc proueniunt,teſtatur Galenus de ſuccorum bonitate,& vitio c.11. Item per decoctionem vina alba in nigredinem vertuntur,vt experientia conſtat,quam teſtatur idem Galenus lo.cit. de ſuc.bo.& vi.his verbis (certe ſi muſtum ex omnium maxime albo vino decoquas vſque eo,vt ſapa inde exiſtat,quod nos defrutum vocamus,colorem nigrum acquirit) ſapa autem ſpecie non differt a vino,ex quo fit per decoctionem, non igitur ex albedine,vel nigrediné vuarum,& vinorùm ſpecifica diſtinctio colligitur.Sunt enim albedo,& nigredo accidétia quarundam vuarum, & vinorum non quidem propria quarto modo,ex quibus colligitur ſpecifica diſtinctio;& nec inſeparabilia,vt patet ex mox dictis.

2.Obiectio. Obijcies 2.Multa vina calefaciunt,alia refrigerant; item quædam ſunt aperientia,quædam aſtringentia; qui ſunt effectus omnino contrarij: ergo diuerſas, & contrarias ſpecies hæc ſaltem vina obtinebunt. Reſpondetur vina dici calefacientia & refrigerantia reſpectu diuerſorum,vt infra explicabitur;aperire etiam,& aſtringere,prouenit ex vini qualitatibus,v.g. ex tenuitate,craſſitie,ſapore acerbo,auſtero, acri, vt fusè dicetur infra,non ex vini forma ſubſtantiali,ſeu ſpecie,negatur igitur conſequentia.

Reſponſio.

3. Obiectio. Obijcies 3.multorum vinorum admirandi ſunt effectus, quos Plinius lib.14.c.18.vocat prodigia. In Archadia enim vina quædam mulieribus fœcunditatem important,viris vero rabiem. In Achaia ſi mulier grauida quædam bibat vina, vel vuas comedat, abortit.Træzenum vinum generādi vim adimit.Et alia ſimilia Plinius teſtatur lo.cit.Ergo in his vinis & vuis ſaltem concedenda eſt ſpecifica diſtinctio.

Reſponſio. Reſpondetur negando conſequentiam.Hi enim effectus, & alij ſimiles non à vinorum,vel vuarum proueniunt formis ſub-

ubſtantialibus diſtinctis,& varijs,ſed ex nutrimenti varieta e,quæ in varijs locis reperitur,& trahitur a vite,quæ doctri ıa eſt ex profeſſo Galeni 3.de ſympt.cauſ.c.2.vbi hanc cau am aſſignat,Cur vitis tranſlata in alium locum,diuerſum fe at vinum,quia diuerſo vtitur alimento. Quod confirmat e- iam auctoritate Ariſtotelis,qui etiam pecora docet colore, ceteriſque ſenſibilibus differentijs mutari in varijs regioni- bus propter varia nutrimenta. item hac de cauſa in Perſide perſica ſunt lethalia,non ſic inde trãſlata,quia apud perſas venenatum attrahit alimentum, non ſic in alijs locis,in qui bus tale non datur alimentum prauum,quod ſit perſicæ plã ę familiare,vt Gal.docet lo.cit.& diſertis verbis explicuit ib.de ſemine c.1.inquiens. (Nam perſica arbor in Aegyptũ ranſlata formam minime immutaſſe conſpicitur, ſed bonũ antum alimentum nacta,eſui idoneum fructum, cum prius non eſſet,protuliſſe) Varia igitur alimenta,quæ vites trahũt, cauſa ſunt horum diuerſorum effectuum,quos affert obie- ctio. Quod confirmatur manifeſta experientia, quam teſta- us eſt Arnaldus a Villa noua lib. de vinis,ſectione de vino axatiuo,ex Palladio lib.de agricultura,item ex Theophra- ſto teſtatur Ioannes Coſtæus lib.2.de potu in morbis c. 11. Ex poſito ſcammonio,vel elleboro,vel eſula,in uitis radice, uel in ſurculo,qui inſeritur,uuas gigni ſolutiuas, uinumque ieri laxatiuum,ſcammonij, ellebori, uel eſulæ facultate cũ alimento ad uitis fructus,uuas ſcilicet tranſeunte. Quod idẽ continget,ſi pari ratione theriacam,mandragoram, & ſimi- lia admoueas ad uitis radices,uel ſurculos, dum fit inſitio. horum enim omnium uires recipiuntur prædicto modo in ui em,uuas,uinum. Hac eadem ratione purgantis medicamen i uis,& facultas ad mammas,& lac peruenit,ut quotidiana docet experientia,& uſus in infantium expurgatione lacte medio nutricum,quibus medicamenta ad hunc finem exhi- bentur. Sed contra.

Quæ ſit cauſa variorum effectuum, & mirabiliũ qui ex varijs vinis oriuntur.

Inſtabis,nutritio eſt aſſimilatio nutrimenti,huiuſque mu- *Inſtantia.*

tatio in formam nutriti;ergo corrumpitur nutrimẽti forma nec permanet;& conſequenter non poteſt alimenti forma, quæ non eſt,eſſe cauſa ſupradictorum effectuum,qui ſpecificam formam arguunt,à qua profluant,in bona Philoſophia.

Dilutio prima. An in nutritione neceſſario alimenti forma debeat corrũpi.

Reſpondetur 1.non neceſſario in nutritione nutrimentũ formaliter debere corrumpi,& poſſe aſſimilari nutrimentũ, ſi talem alterationem recipiat,ſine formali corruptione,per quam poſſit nutriti formam ſuperiorem recipere. Quæ reſponſio ſupponit opinionem illam,quæ putat poſſe dari plures formas in mixto,quæ ſe habeant tamquam materia reſpectu ſuperioris formæ mixti,quam ſententiam nos ſectamur tamquam probabiliorem,& iuxta hanc doctrinam alimenti,ſeu nutrimenti forma adhuc perſeuerat, vnde prædicti manant effectus.Et ne uideatur alicui admodum extranea hæc doctrina,legat Galenum lo.cit.3. de ſympt. cauſ.c. 2.ubi putat in nutritione non ſolum naturali, ſed uitioſa, non ſolum aſſimilari nutrimentum nutrito,ſed contra aſſimilari nutritum nutrimento,& hac de cauſa animalia quædã carnem habere ſimillimam herbis,& uiridium herbarum colorem præferre,& in leucis carnem albam fieri à pituita, & hæc habet uerba.(ergo cum ſicuti diximus, caro longo tempore pituitoſo ſimul,ac glutinoſo ſanguine nutritur, caro quidem adhuc manet,mutatur tamen eius forma,& in alteram ſpeciem uertitur).Reſpondetur 2.formas alimenti,& nutrimenti,à quibus prædictæ in obiectione,fiunt uini operationes remanere non quidem mutatas in nutriti ſubſtantiã,

2 Dilutio.

ſcilicet uuarum,nec eſſe uere alimenti materiam, ſed eſſe ita immixtas cum nutrimento, ut diſpergantur etiam cum ſubſtantia tum uuarum,tum uinorum,ut numquam ſeparentur,& prædictas operationes exerceant.

QVAE-

Digitized by Google

QVAESTIO SECVNDA.

An Vinum Nutriat verè, ac propriè.

TRaditis vini differentijs, nunc eiuſdẽ cõmunes proprie tates, quę. ſ. vinis omnibus conueniũt, explicare aggre dimur, quarũ præcipua eſt, nutritio ex vino, ſit igitur.

Concluſio. Vino verè, ac propriè nutriuntur homi- nes. Eſt receptiſſima apud omnes medicos, ſi ſolum excipias Hieronymum Mercurialem tractatu de vino, & a- qua c.4.& 5. Et probatur 1. manifeſtiſſima auctoritate Gale ni 2. aph. 18. 3. de temp. c. 2. in fi. 3. de alimentorum facult. c. 40. vbi etiam cibum vere eſſe uinum affirmat, quod alat cor pus, ſicuti alit cibus, quamuis medici quidam ſuo tempore noluerint uinum eſſe appellandum cibum, & ſi non nega- rent uinum alere. Concluſio. 1. Probatio.

Probatur 2. quia manifeſto experimur, à uini potu nos re fici, & uires recipere confeſtim, quod alia ratione fieri ne- quit, quam per ſpirituum regenerationem celerrimam, qui ex ſanguine puriſſimo gignuntur, ut demonſtrauimus noſtra tractatione de ſpiritibus. Item per celerrimam reparationẽ ſubſtantiæ calidi natiui, quæ ex nobis defluit. Præſtat igitur alimentum, ſeu nutrimentum uinum, dum in ſanguinem ce- lerrimè uertitur, ex quo carnes celerrimè nutriuntur. Con- firmatur, quia hac de cauſa in ſyncope uini potus exhibetur, ut dicetur infra. Quia in ſyncope celeri nutritione eſt opus, quæ maximè præſtatur à uino. 2. Probatio.

Probatur 3. Vinum habet omnia requiſita, adhoc ut poſ- ſit nutritionem præbere corpori. Eſt enim res mixta ex qua- tuor ſimplicibus corporibus, & multa elaboratione in ligno uitis conflata; amplius eſt guſtui liquor amicus, & familia- ris; ergo uere nutrit uinum. 3. Probatio.

Probatur 4. Quia hinc fit, eos, qui plurimum uini hauriunt in prandio, uel cœna, parum cibi aſſumere. Cõtra uero bibẽ 4. Probatio.

tes aquam, plurimum edendo cibum ingerere: quia vinum ſupplet nutrimẽtum cibi, quod non ſupplet aqua; in quo sẽſu fortaſſe dicitur etiam ab Hyppocrate 6. epidẽ. par. 4. tex. 20. aqua edax; quia potantes aquam, plurimum edunt. Eſt igitur vinum verè nutrimentum.

5. Probatio. Probatur 5. Omnino certum eſſe debet, vina rubra vt pote perſimillima ſanguini, in ſanguinem verti, & conſequenter vina rubra nutrire; ſed à vino rubro cetera vina non differunt ſpecie, ſed vel colore, vel tenuitate, vel craſſitie, vt demonſtratum eſt præcedenti quæſt. ergo cetera vina mutantur etiam in ſanguinem vel magis, vel minus, prout magis, minuſue à vini conditionibus rubri diſcedent, & conſequenter vinũ omne erit nutriens, magis tamen minuſue. Id quod Galenus diſertis verbis docuit lib. 3. de aliment. fac. c. 40. inquiens. (Vinorum omnium rubra ſimul & craſſa ſanguini generando ſunt accommodatiſſima, vt quæ minima egeant mutatione vt ſanguis fiant.)

6. Probatio. Probatur 6. potiſſima ratio, propterquam vino denegatur nutritio, eſt vini fluxilitas, & tenuitas ſubſtantiæ vini, ob quã vinum videtur de genere aqueorum; aqua autem nutrientẽ non præbet materiam corpori, vt demonſtrauimus tract. de aqua; & quia quæ fluida ſunt, non poſſunt adhæreſcere corpori ſolido nutriendo. Sed hæc ratio non obſtat; tum quia vina omnia aliqualem habent craſſitiem, & multa vina craſſa admodum ſunt, & manifeſtam habent adhæreſcẽtiam, vt conſtat tum ſenſu uiſus, tum tactus, ut maculas quædam uina tribuant difficulter delebiles. Et caloris natiui ope uina craſſitiem acquirunt in corpore ſin minus magnam, ſaltem eiuſmodi, quæ ſufficiat ad tenuiſſimi ſanguinis generationẽ; ex quo tum ſpiritus regeneratur influens, tum tenuiſſima calidi natiui ſubſtantia fixa reparatur, quæ propria eſt nutritio. Ergo uinum uere nutrit, & proprie, ut melius conſtabit ex obiectionum ſolutionibus.

1. Obiectio. Obijcies igitur primo. Vinum, ut propriè nutriat, debet in par-

partium ſolidarum,& carnoſarum ſubſtantiam conuerti;ſed non poteſt in harum partium ſubſtantiam mutari,ergo uerè non nutrit.Probatur minor,ceteræ enim partes argumentationis ab omnibus conceduntur. Vinum eſt actu fluxile,neque umquam poteſt craſſeſcere, & ſimilem noſtrarum partium conſiſtentiam recipere,neque extra corpus,neque intra corpus aſſumptum,quia eſt de genere aqueorum , ut ex Galeno dicemus infra,& docet Ariſt.4.meteor.c.5.

Reſpondetur negando minorem,& ad probationem dicēdum in partium ſubſtantiæ conſiſtentiam tranſire uinum actu fluxile non immediatè,ſed pluribus medijs mutationibus potiſſimum ea,qua in ſanguinem uertitur actu fluxilem, qui tenuior,uel craſſior,pro ratione uini tenuioris,uel craſſioris gignitur,ut fusè patebit ex dicendis. Quocirca omnino falſum eſt,uina non poſſe craſſeſcere ſimpliciter intra corpus,cum etiam extra corpus, ex muſto fiat longa decoctione defrutum,ſeu ſapa admodum craſſa,& in deſtillatione aquæ ardentis,ui caloris plurimum ſubſidet uinoſæ ſubſtantiæ craſſioris redditæ,quam fęcem appellant. Neque obſtat quod uinum dicatur de genere aqueorum;hoc enim non ſignificat,uinum eſſe formaliter aquam,& ſicut aqua non nutrit,pariter non nutrire uinum,ſed plurimum aquoſi humoris continere,unde ei aduenit fluxilitas,cum etiam ignis,aeris,& terræ portio adſit in uino,immo etiam aliorum mixtorum:ut omnino demonſtratur ex dictis ſuperiori quæſt. in qua uinorum uarietatem ex terræ partibus uarijs,uarijſque alimentis oriri dictum eſt. Reſponſio.

Obijcies 2. Si uinū nutriret,fames uino tolleretur, cuius cōtrarium docet Gale. 2.aph.in aph.21.ubi ſolam appetentiam caninā docet ſanari uini potione,& thorexi; & de hac canina appetentia intelligi Hyppocratem,cum inquit(famē thorexis,hoc eſt uini potio ſoluit) ſignum igitur eſt non nutrire uinum,alioqui omni defectui, unde fames fit, opitularetur uini potio. 2. Obiectio.

Reſponſio. Reſpondetur negando conſequentiam. Hoc enim loco non negat Galenus vinum, quantum eſt in ſui natura, nutri re,& reficere; ſed non omni fami opem ferendam eſſe vini potione, quia licet vini potus per ſe nutriat, ſi tamen ieiunis exhibeatur, deliria, dolores capitis, conuulſiones; & alia damna infert; & conſequenter tantum abeſt vt famem ſoluat, quin maiora faciat ſymptomata, quæ ne contingant, vini potione,& nutrimento non eſt vtendum in fame, excepta canina, cautela adhibita, quam docet Galenus lo.cit. non quod verè vinum non nutriat; vnde nil ex hac argumentatione ſequitur contra concluſionem, vt patet.

3. Obiectio. Obijcies 3. Numquam aliquem ſolo vino diu vixiſſe auditum eſt, cum aliqui referantur ſolis herbis, aliqui ſolo lacte victitaſſe, ſi igitur vinum nutriret, æquum etiam eſſet illo ſolo diu poſſe homines viuere. Reſpondetur contrarium huius, quod habet obiectio, quæ Mercurialis eſt, doceri à Ioanne Coſtæo lib.2. de potu in morbis, c. 30. vbi ſic loquitur. (Verùm vinũ vere alere, nũllus neget, qui aliquos ſine cibo vllo ſolo vino vitam dies ſuſtinuiſſe multos norit, quod & nos,& alij obſeruarunt, ita vt illi nutriendi vim interdicere, ſit diſcedere à ſenſu) atque hæc Coſtæi obſeruatio tamquã veritati conſona, eſt omnino recipienda. Si modo illud addas, ſolo vino, qui protrahuntur vitæ dies, non vacare periculo, propter grauiſſima ſymptomata, quæ infert vini potio ieiunis exhibita, vt docet Galenus lo.cit. obiect. præced. & nos dicemus fuse infra; vt idcirco non valeat quis ſolo vini potu diutius uitam trahere, ſed per paucos dies. Quam ob cauſam fami ſolo uino non eſt opitulandum, ut diximus ex Galeno ad præced. obiect.

Reſponſio.

4 Obiectio. Obijcies 4. vt fiat nutritio, debet cibus plures alterationes recipere, tum in ore, tum in ventriculo, tum in hepate,& venis, tum in partibus carnoſis,& ſolidis, in quibus primo debet nutrimentum apponi, tum diſpergi, alterari, & aſſimilari, quæ omnia non poſſunt ſubito fieri; at ſubito videmus in

ſyn-

ſyncope à potu vini nos refici;non igitur ratione nutritionis reficimur,ſed potius ratione calefactionis , & conſequenter vinum non nutrit,ſed aliam præbet cauſam viribus reficiendis,nempe calidam temperaturam . conſiſtunt enim vires etiam in temperamento partium,& ſpirituum , vt conſtat ex Galeno 12.meth.med.c.5.

Reſpondetur ad nutritionem partium,quæ alimentum recipiunt ab hepate,& venis,requiri præuias multas alteratio nes prædictas,quæ certe non poſſunt fieri ſubito , vt probat obiectio,ad nutritionem vero ventriculi non requirūtur tot alterationes,ſufficit enim ſi cibus in chilum mutetur,quo alitur ventriculus,vt demonſtrauimus noſtra tract.de humoribus quæſt.9.art.1.in quem chilum verti celerrime vinum natura tenue omnino concedendum eſt.Chilus enim etiam ratione aſſumptorum quandoque tenuior fit quandoq;craſſior,quocirca ex vino tenui facile,& breui tenuis chilus gignitur,quo celerrimè nutritur ventriculus;& ex eodem chilo celerrime ſanguis gignitur,ex eoque ſpiritus. Atque hæc eſt ratio,cur in ſyncope ex affectu potiſſimum ventriculi,maximum remedium ſit vini potus,quia vino celerrime ventriculus nutritur,celeriter ex eo ſanguis gignitur, vnde celeriter etiam ſpiritus reparantur,& conſequenter etiam corpus calefit facile à vino,quod vt probetur ſit. *Reſponſio.*

QVAESTIO TERTIA.

An vinum calefaciat,refrigeret, humectet , eſiccet .

ALius communis vinorum effectus eſt calefactio,& humectatio,qua de re non leuis eſt inter Doctores Medicos controuerſia,vt videre eſt apud Valleſ.lib.9.cōtrouer.c.7.Ioannem Coſtæum lib.2.de potu in morbis c. 5. Manardum lib,14.epiſt.3.Zechium libello de curandi ratione in vrbe c.de vini temperamento.Latinum Tancredū lib.

2.de

1.de fame,& ſiti,c.20.& apud alios.Quidam enim calefacere,& humectare vinum putant;atque ita abſolutè vinum calidum humidum pronuntiãt; alij calidum ſiccum vinum eſſe malunt,& calefacere,ac eſiccare;alij vina quædam calida, quædam frigida eſſe putant,illa per hos ſunt vetuſta,fulua, & acria,hæc,nouella vina,& aquoſa,& acida,auſteraque. Alij vinum vt alimentum exiſtimant humidum;& calidum, vt medicamentum vero eſſe ſiccum, quæ doctrina optime impugnatur à Valleſio lo.cit.quia eadem vi, & ſubſtantia, qua vinum alit corpus,medetur etiam corpori, ſi igitur eſt vt alimentum calidum humidum,erit etiam vt medicamentum. Vt hæc quæſtio decidatur.

Notabile. Notandum eſt vina poſſe dupliciter conſiderari,vel reſpectu habito ad aquam,vel reſpectiue ad naturam noſtram cuius reſpectu,Galenus,vt patebit, nunc calidum, nunc frigidum vinum vocat.

1. Concluſio. Prima concluſio. Vina omnia reſpectu habito ad aquam potabilem,de qua dictum eſt tract.ſuperiori,ſunt calefacientia,& eſiccantia. Probatur apertiſſime,quia vt conſtat ex dictis tract.de aqua,aqua eſt frigidæ,& humidæ naturæ,& facultatis. Sed vinum contrarias aquæ habet virtutes,vt palã eſt apud omnes;ergo ſi aqua vim habet refrigerandi, & humectandi;vinum reſpectu habito ad aquam,vim habet calefaciendi,& eſiccandi. Atq; hanc doctrinam diſtinctè docet Galenus 7.meth.med. c. 6. in med.ubi primò meminit uini aquoſi,antiqui,auſteri,& aliorum; tum fusè docet aquæ uitia ab aquæ frigiditate pendentia,& ſubdit hæc uerba(at uero memoratorum uinorum uirtutes comprehenſis iam aquę uitijs,aduerſam quodammodo naturam habent) ubi notandum eſt ly.quodammodo, dici ut denotetur uina non eſſe omnino aduerſa aquæ;ſic enim aquæ opponitur ignis; ſed quodammodo;quia ſicut aqua refrigerat, & humectat corpus,aliaque efficit conſequentia eius frigiditatem, & humiditatem,de quibus Galenus lo.cit. 7.meth.6.Contra uinum

Probatio. (margin)

calefa-

calefacit,& eſiccat,nõ quidem ſicut ignis, ſed quodãmodo, nunc magis,nunc minus, pro ratione diuerſitatis uini calidioris,uel minus calidi,ut explicabitur. Confirmatur quia aqua eſt ſimplex corpus; quare ei competunt ſolæ uirtutes pendentes ex propria forma,& ex proprijs qualitatibus,quæ ad frigiditatem,& humiditatem inclinant; Vinum uero eſt corpus mixtum ex elementis,inter quæ cum aliqua ſint calida,& ſicca,neceſſario caliditatem,& ſiccitatem participat, & cõſequẽter ſui natura uinum eſt aqua calidius,& ſiccius. Confirmatur amplius ex eodem Gal.lib.8.de ſimpl.med.facul.ſect.cui titulus eſt,Oenos,Vinum,ubi ſic habet.(Vinum ex ſecundo eſt ordine calefaciẽtium,ſed quod admodum uetus eſt ex tertio ſicut muſtum quod uocant ex primo;caliditati eius proportione reſpondet ſiccitas.) Ex quibus patet primo ex Galeni uera ſententia iuxta hanc Concluſionem, uinum in qualibet ætate ſemper eſſe calidum,magis tamen, & minus,pro ut magis,minuſue eſt antiquum,uel nouellum. Patet 2.non bene Valleſium lo.cit.putaſſe muſtum non eſſe uere uinum,in quã ſententiam abijt etiam Mercurialis trac. de uino & aqua c.4.ubi etiam uinum dulce putat non eſſe uere uinum,& illo nititur fundamento, quia tum muſtum, tum uinum dulce non inebriat,quod falſiſſimum eſt, ut ſatis conſtat unicuique.

1. Confirm.

2. Confirm.

Muſtum eſt verè vinum.

Secunda concluſio,reſpectu habito ad naturam noſtram, aliqua vina ſunt calefacientia,aliqua refrigerantia. Probatur experientia,qua conſtat à quibuſdam vinis,puta fuluis, flauis,vetuſtis,nos valide calefieri,à quibuſdam verò,puta aquoſis,acerbis,auſteris,acidis,nos manifeſtò refrigerari,licet vina omnia ſint calidiora quam ſit aqua,vt probatum eſt concluſione præcedenti.Confirmatur ex Galeno, qui hanc doctrinam diſerte docet lib.de ſuccorum bonitate, & vitio c. 11. in fi. vbi docet homini temperatura calidiſſimo vtilius aquam bibi,quam vinum,& ſubdit,(quod ſi quando vino indigeat,dandum quod tenue ſit,& mediocriter auſterum)ob

2.Concluſ.

Probatio.

Confirm.

cam

eam rōnē,quia tenue & auſterum vinū eſt refrigerans naturam calidam,quod amplius explicans Galenus,caput totum concludit his verbis.(At in vinis vetuſtiſſimum,quod Romani Cœcubum vocant,ab albo,& auſtero,& nouello,craſſoq; vino tantum diſtat,vt alterum vehementiſſime calefaciat,alterum ſenſibiliter refrigeret. Eſt igitur in Galeni ſententia, aliquod vinum non ſimpliciter,& abſolutè,ſed reſpectu alicuius temperaturæ ſenſibiliter refrigerans, cum reſpectu aquæ illud idem ſit calidum.Sed contra.

1.Obiectio. Obijcies primo.Vinum omne nutrit, vt ſupra probatum eſt;ſed omne nutrimentum,quatenus nutrimentum eſt, animalis calorem auget,vt hiſcemet verbis docet Galenus 3.de temper.c.2.ante fi.ergo nullum vinum eſt refrigerans.

Reſponſio. Reſpondetur minorem propoſitionem,omne nutrimentū quatenus nutrimentum,animalis calorem auget, dupliciter poſſe conſiderari,vel formaliter,ideſt caloris formā, & qualitas augetur,& intenditur à nutrimento,& hac ratione vniuerſaliter falſa eſt;neque in eo ſenſu à Galeno accipitur, vt liquidò patet; tum quia quamplurima alimenta actu refrigerant,vt lactuca,hordeum,cucumeres,pepones,cucurbita,& ſim.de quibus late Gal.lib.1.& 2.de aliment.facul.tum quia ſi alimenta omnia partium calorem actu,& formaliter augerent,numquam ſeneſceremus,& frigidum temperamentum, ad quod ætatum decurſu deuenimus,numquam nos occuparet;Vel conſiderari poteſt materialiter,ideſt omne nutrimētum vt ſic,præbet materiam & pabulum calori natiuo,quatenus ex alimento reparatur ſubſtantia caloris natiui,cuius vi ſubſtantia noſtrarum partium diſſlat,& perſpirat, vt fuſè diximus noſtra tract.de febribus.Et hac ratione vera eſt propoſitio poſita;quodlibet enim nutrimentum quatenus nutrimentum,auget,& reparat ſubſtantiam,quæ deperditur,licet non omnino ſimilem quo ad quantitatem,& qualitatem.Et ſub hac conſideratione prolata propoſitio eſt à Galeno cit. lo.vt patere poteſt legenti,vnde nil ſequitur contra ſecundam

De ſenſu propoſitionis: Omne nutrimētum quatenus nutrimentum,animalis calorem auget.

q.6 ſect. 1. art.3. & 4.

eundam concluſ.eſto enim vinum nutriat, & reparet, ſiue augeat ſubſtantiam caloris natiui,adhuc poteſt refrigerãdo quoquo pacto,ſubſtantiam reparare,& augere : ſicut etiam à lactuca,hordeo,alijſque frigidis cibis nos refrigerantibus, nutrimentum accipimus.Sed contra.

Dices primo;quia Gal.cit.lo.habet hæc verba (ſic profecto & in animalibus cibi,qui vti prorſus aſſimilentur,& corpus nutriãt,ſpatio egẽt,hi frigus vniuerſi potiùs quã calorẽ afferre in præſenti videntur ; Ceterum calefaciunt hi quoq; tandem non ſecus ac reliqui cibi;ſi ſemel vt corpus nutriãt, ſint conſequuti)quibus patere poteſt per Gal.nutrimẽtum, quod actu nutrit,de quo eſt ſermo,& conſequenter vinum omne actu nutriens,calefacere partem,quæ nutritur, & intendere eius calorem,& refrigerare ſolũ antequam actu nutriat nutrimentum, quod difficilis eſt coctionis, quale non eſt vinum,quod in genere eſt eorum,qui vniuerſim,& celeriter nutriũt. Reſpondetur Galenum his verbis etiam debere intelligi de calefactione materialiter,vt dictum eſt,per pabuli ſcilicet ſubminiſtrationem, & reparationem ſubſtantiæ. quod euidenter oſtenditur, Cum enim cibi difficilis coctionis antequam nutriant,refrigerent,vt dictum eſt, vt ſint idoneum,& actuale nutrimentum,debent calefieri ; non igitur maiorem poſſunt retribuere calorem eo,quem receperunt à partibus,& conſequenter partium calorem non augent formaliter,ſeu gradualiter, ſed materialiter,per ſubſtantiæ partis reparationem,& inſtaurationem,ſeu nutritionem, & accretionem,qua multiplicata,partium calor eſt valentior; Atque hoc idem accidit in vinis refrigerantibus,qui difficilius concoquuntur,ac diutius morantur in vẽtriculo,vt dicetur. 1. Inſtantia. Dilutio.

Dices ſecundo,ex doctrina mox tradita ſequi, nullum vinum eſſe eſiccans; quia cum vinum quodlibet nutriat,& per nutritionem reparetur ſubſtantia humida defluens vi caloris inſiti,ſequitur vinum quodlibet humectare,non eſiccare;quin etiam humectare magis quamaquam, quæ nullate- 2. Inſtantia.

Dilutio. nus nutrit, vt concluſimus ſuperiori tract. de aqua. Reſpondetur negando ſequelam; quæ enim humida ſubſtantia ex nutriente vino reparatur, nunc poteſt eſſe humidior, nunc minus humida, & ſiccior, pro diuerſitate vini aquoſioris, vel minus aquoſi, magiſque vinoſi, ac magis eſiccantis. Et ratione humidæ alimentalis ſubſtantiæ eſſe veriſſimum, vinum eſſe magis humidum aqua, ex qua nullatenus nutriũtur partes. Atque hac ratione intelligendus Galenus in lib. Hypp. de rat. vict. in acut. com. 1. in tex. 22. vbi mulſam, & vinum docet magis humectare quam aquam, ſcilicet humiditate alimentali. Sic pariter intelligendus 1. de ſanit. tuen. c. 11. vbi denegat vinum pueris, quia non eſt vtile pueris ſupra quam par eſt, humidos, calidoſque fieri, humiditate ſcilicet nutriẽte partes. Dici autem debet aqua ſimpliciter vino humidior; quia ab ea ſolum qualitatiue humectantur partes, & excrementitia copioſe tribuitur corpori humiditas, nõ ſic à vino, quod licet ſit aquoſiſſimum, adhuc minus quam aqua excrementa humida generat, & non ſolum qualitatiue, ſed ſubſtãtifice humectat, vt explicatum eſt.

In quo ſenſu vinum dici poſſit magis humidũ quam aqua

2. Obiectio. Obijcies 2. Galenus cit. lo. 3. de temperam. c. 2. ita ſcribit (ſic igitur & vinum vbi plus bibitur, quam vt vinci poſſit, tantum abeſt vt animal calefaciat, vt etiam frigidiora vitia gignat. quippe apoplexiæ, & paraplexiæ, & caros, & comata, & neruorum reſolutio, & comitiales morbi, & cõuulſiones, & tetani immodicũ vini potum comitantur, quorum vnumquodque frigidum eſt vitium) ergo quodlibet vinum eſt frigidum potentia actiua, ideſt quodlibet vinum habet vim refrigerandi. alioqui ſi vinum aliquod haberet vim calefaciendi, ab eo, vbi maior copia biberetur, maior fieret caliditas in corpore, ob phyſicum axioma, Maior virtus eſt in maiori quanto.

Reſponſio. Reſpondetur hoc argumentum videri pluribus facile ſolui. ſi dicatur vinum in magna copia, & quantitate aſſumptũ, ſuffocare calorem natiuum, ſicut & ligna plurima imbecillæ

flam-

flammæ ſuperimpoſita,& oleum confertim eidem flammæ; & multum ſuperinfuſum,flammam ſuffocat,& extinguit,quibus exemplis vtitur idem Gal.lo.cit.Sed ſane ex his exemplis vis obiectionis confirmatur mirificè;ſicut enim ligna, & oleum non habent vim flammam actiuè calefaciendi, ſed ſolam habent potentiam paſſiuam ad recipiendam formam flammæ,qua ratione dicuntur ligna,oleum, & ſimilia ignis, & flammæ materia. Et quia in magna copia non poſſunt à flamma igniri,flammæ vis,& ignis ſopitur,& extinguitur ab ipſorum actuali frigiditate,& humiditate, quæ naturæ ignis aduerſantur.Ita etiam cum à copioſo vino frigidi proueniūt morbi,ſequetur vinum non habere vim actiuam calefaciendi bibentem,ſed paſſiuam,& materialem. Dicendum igitur eſt vinum duplici conſtare calore,alio actuali, alio potentiali,qui calor actualis puſillus admodum eſt,ita vt vinū quodlibet actu videatur ad ſenſum tactus frigidum ſicut aqua,potentialis vero calor in quibuſdam vinis puta vetuſtis,fuluis, & ſimilibus, vt dicetur,vigens eſt admodum, Verum potentialis calor vini facultatem calefaciendi nō habet,niſi prius vinum actualiter calefiat in corpore.Cum igitur vinū quodlibet copioſè admodum bibitur,morbos frigidos inducit,nō quia virtute calefactiua careat; ſed quia illam exercere nequit,quia copioſè aſſumptum,valde refrigerat corpus ratione actualis frigiditatis,quæ in magna quantitate eſt valde actiua, & conſequenter nec vinum poteſt calefieri, nec per vim propriam recalfacere corpus. Atque tota hæc doctrina admodum notanda,eſt expreſſa Galeni 3.de temperam.c.1. vbi fusè docet,aliud eſſe energia,ſiue poteſtate,ſiue virtute calidum,frigidum,humidum,ſiccum,aliud eſſe actu tale, idque in medicamentis præcipuè exemplificat,quæ calida sūt energia,ſeu virtute;& ut nos calefaciant, debent calefieri prius à nobis;quod diſertis his verbis expreſſit ante fi. citati cap.(quippe alio genere calefit is,qui ab igne,vel ſole intepeſcit,alio is,qui à prædictorum quouis medicamentorum,

De duplici vini calore actuali,& potentiali, & calore qu[illegible] calefaciat nos [illegible], & quomodo.

illa namque actu ſunt calida:medicamenta nequaquam,itaque nec calefacere nos valent,priuſquam actu talia fiant, at quod actu talia ſint,id à nobis accipiunt, veluti calami ab igne.)

Quærcs vnde medicamenta habeant,& vina tum actualem caliditatem,frigiditatem,humiditatem,ſiccitatem, tum potentialem,ſeu virtualem, Reſpondetur actualem haberi ex elemẽtorum mixtione,ex quorum qualitatibus varie refractis ad inuicẽ varia vnicuiq; tẽperatura actualis conſurgit,magis,minuſue actu calida,frigida,humida,ſicca;Potentialem vero,ſeu virtualem non ſatis conſtare unde proficiſcatur, de qua re fuſius cum Galeno diſputandum eſt in tractatione de medicamẽtis.Interim recepta phyſica,& uerio-re doctrina,dari formas ſubſtãtiales.ab his tum in medicamentis,tum in uino oriri uim calefaciendi,dicendum eſt.

QVAESTIO QVARTA.

De vinis tenuibus, & craſsis.

TRibus præcedentibus quæſtionibus generalem uinorum doctrinam explicuimus, nunc magis particularẽ aggredimur,de ſingulis uinorum differentijs quæſt.1. not.2.aſſignatis ſpecialiter tractantes,excepta ea,quæ ex coloribus ſumitur.tum quia plerumq; fallaces,& malitioſi ſunt colores uini,ut innuemus.Tum quia Galenus ipſe com 3.de rat.uict.in acut.com.2.habet hæc uerba.(Color ſiquidem ſua ratione nullo pacto uel iuuare,uel lædere poteſt)

Vina aũt tenuia potiſſimũ ſunt aquoſa,qualia in omnibus regionibus gigni,etiam in Aegypto teſtatur Galenus 3.de rat.uict.in tex.8.ubi uina craſſa & fortia in calidis regionibus plurimum oriri refert. Verum dantur uina tenuia, quæ etiam uinoſa ſunt,ut eſt quod græcum apud nos dicitur,un-

de

de patere poteſt tum album,tum flauum,& fuluum,tenue vinum eſſe poſſe, vt conſtat etiam ex Galeno in lib. de fracturis com.3.in tex.21.& alijs in lo.citandis concl.2.Vina etiam craſſa poſſunt eſſe tum ex alborum genere, tum rubeorum,tum nigrorum,vt ſatis patet,Et quidem alba craſſa apud nos ſunt tum id,quod græcum du'ce vocant, tum falãghinum,quod puteolis gignitur,tum ſoruignum dictũ,quod in Inſula Aenariæ oritur, tum quod rouiellum appellant, quæ omnia principio turbida etiam ſunt,ac temporis proceſſu & in ſubflauum colorẽ mutantur,& magis nitentia fiunt, & tenuiora.In hac quæſtione ſolũm tenuitatem,& craſſitiẽ conſideramus,quæ ſcilicet propter tenuitatem, & craſſitudinem facultas vinis ſit tribuenda;quæ enim ijſdem met vinis ratione ſaporum,odoris,& ſimilium qualitatum inſit vis, & poteſtas,ex dicendis apparebit.Sit igitur.

Prima Concluſio.Ceteris paribus,Vina tenuia minus nutriunt vinis craſſis ; Inter vina autem craſſa,alba minus nutriunt vinis rubris,& nigris.Tenuia autem celerius nutriunt vinis craſſis.Eſt ex profeſſo Galeni 3 de alim.fac.c.40. & 2. aph.in aph.11.& 18.Et probat tum experientia, qua conſtat ex craſſioribus uinis maius nos robur accipere, & conſequenter maius nutrimentum;tum etiam ex eo, quod craſſius vinum eſt magis ſimile tum ſanguini,tum partibus nutriendis;quocirca maior copia ſanguinis ex craſſo vino gignitur,& copioſius nutrimẽtum præbetur à vino craſſo quã à tenui. Item cum ſimilius ſit ſanguini vinum rubrum quã album: vina enim rubra quamminima, vt inquit Gal.3.de alim.fac.c.40.cit.egent mutatione,vt ſanguis fiant. copioſius ex rubro vino elicietur nutrimentum, quam ex albo. quocirca in hunc ſenſum bene Schola Salerni videtur inter alimenta multum nutrientia connumerare vina rubra inquiens.

Oua recentia,Vina rubentia,pinguia iura,

Cum autem hæc vina craſſa difficilius immutentur quam

tenuia,

1.Concluſio

Quænam vina magis, & celerius nutriant, tenuia ne,an craſſa.

tenuia,ſequitur quod aſſerit etiam concluſio,celerius nutrire vina tenuia quam craſſa, & mediocriter quo ad copiam nutrimenti,& celeritatem & tarditatem nutritionis ſe habere vina mediocrem craſſitiem,& tenuitatem obtinentia.

Obiectio. Obijcies non valere Galenicam rationem, idcirco nutrire magis vinum rubrum, quia ſimilius eſt ſanguini, quam album; Etenim nutritio non fit per ſolam mutationem in ſanguinem; ſed primo verti debet in chilum in ventriculo, cui cum ſit diſſimile vinum rubeum, Eſt enim chilus candidus ſimilis cremori ptiſſanæ,vt dictum eſt tract. de humoribus;difficilius in chilum vertitur quam vinum album,& conſequenter in chilum verſum rubeum vinum, nullam habet cum ſanguine ſimilitudinem,ac proinde nulla eſt allata ratio;quæ magis concludet de vino albo, quod cum ſit ſimilius chilo,quam vinum rubeum,copioſiorem chilum producet,& conſequenter copioſiorem ſanguinem,& tandem magis nutriet quam rubeum vinum,potiſſimum ſi vinum album ſit etiam craſſum.

Reſponſio. Reſpondetur vinum rubeum,cum vertitur in chilum,non omnino ſpoliari rubedine, ſicut neque cetera cibaria, quæ extremos habent colores,qualia ſunt olera viridia, quę neque ſpoliantur omnino viridi colore,cum in chilum mutantur in uentriculo;atque idcirco excretiones alui quãdoque ingeſtorum colores referunt,ut patet experientia, & dicetur fuſius à nobis Deo dante,tractatione noſtra de excretionibus alui.idcirco etiam,ut diximus ſupra ex Galeno,animalia quædam uiridium herbarum,quibus nutriuntur, colorem referunt. Et ſolummodo chilus ualde albus ſimilis cremori ptiſſanæ fit,cúm ingeruntur cibaria alba,qualis eſt panis optimus, Vnde adhuc firmum remanet, chilum ex uino rubro productum,rubedinem retinere,ob quam ſanguini cũ magis ſit ſimilis, copioſiorem ſanguini gignendo præbebit materiam,& conſequenter copioſius nutriet.quam uinum album;ex quo chilus fit magis candidus,magis diſſimilis ſanguini,

(margin: q. 1. ante fi.)

guini;in quem conſequenter non ita copioſè mutatur, nec conſequenter ceteris paribus,ita copioſam præbet nutrimẽti materiam, ſicut uinum rubrum, ut concluſimus, & ex Galeno probauimus.

Secunda Concluſio. Vina tenuia ſunt magis aperientia, & urinam cientia uinis craſſis,quæ potius aſtringunt,& obſtruunt. Ita docet Galenus ſæpiſſimè,præcipuè 2.aph.11.de ſuccor.bonit.& uit c.11.4.de ſanit.tuen.c.4.ante fi.5.de ſanit.tuen.c.5.de attenuante uictus rat. c. 12. & 7. meth. med.c.6. 2. Concluſ.

Probatur,quia craſſa uina,ſiue alba ſint,ſiue rubea, ſiue ad nigredinem accedentia,craſſos,glutinoſoſque ſuccos pro gignunt,quæ conſequenter tum in uentriculo,tum in hepate,tum in uenis omnibus diutius morantur,& hærent; contra uero uina tenuia tenuem,& minime glutinoſum efficiũt ſuccum,quique uim diſſecandi ob tenuitatem habet glutinoſos humores,ac proinde minus morantur tum in uẽtre, tum in hepate;tum in uijs omnibus, & ut Galenus loquitur omnino legendus lo.cit.7.meth.6.(digeſtionis uias aperiũt, pariter impellunt;ac nutrimentum ſurſum agunt &c.)& paulo poſt (eoque fit ut etiam talia uina præter cetera urinas moueant,quando & ipſa totum corpus celeriter tranſeunt, & impetu curſus ſui excrementa ſecum expellunt.) Confirmatur hæc ratio auctoritate magni Hyppocratis 2. aphor. 8.dum inquit;Eorum,quæ uniuerſim,& uelociter nutriunt, ueloces quoque fiunt excretiones. Sed ut probatum eſt cõcluſione præcedenti,tenuia uina celerius nutriunt, ergo celerius excretiones faciunt,& excrementa propellunt omnia, ne dum urinas, quas celerrime promouent reſpectu uinorum craſſorum, ut cuique licebit propria experientia comprobare.

An vina tenuia ſint aperientia, craſſa vero obſtruentia.

Vini tenuis effectus ex Galeno.

Obijcies,uina tenuia,ſaltem quæ aquoſa ſunt, parum recedunt ab aquæ natura,quæ,ut expreſſis uerbis docet Galenus cit.lo.7.meth.6.moratur in uentriculo,& in præcordijs diu- Obiectio.

Aquæ vitia ex Galeno. diutiſſimè, flatus excitat, fluctuationes efficit, ventriculi robur reſoluit, ac proinde deterius concoquit, nec digerendo per corpus alimento aliquid magnopere conducit; pariter igitur & vina aquoſa, licet tenuia, & conſequenter falſa vniuerſaliter eſt poſita ſecunda Concluſio. Vina .ſ. tenuia eſſe aperientia.

Reſponſio. Reſpondetur ex eodem Galeni loco patere, vina hæc aquoſa, quando non ſunt nouella, & leuiter ſunt auſtera, leuiterque aſtringentia, inter aquam, & vinoſa vina mediam naturam habere, & caloris quandam mediocritatem, quocirca licet frigida ſint reſpectu vinorum acrium, & fortium, non tamen ſunt frigida reſpectu aquæ, ſed calida, vt ſupra probauimus, & conſequenter vitia prædicta, quæ aquæ tribuuntur, non poſſunt aquoſis vinis tribui, ſed virtutes prædictis vitijs omnino aduerſæ, vt Galenus ipſe fatetur, & fusè proſequitur.

Vina aquoſa ſunt media inter aquam, & vinoſa vina.

3. Inſtantia. Inſtabis, Galenus lo. cit. 5. de ſanit. tuen. c. 5. expreſsè docet vrinam cientia vina, eſſe tenuia, flaua, quæ calidiſſima ſunt, ergo non ſola tenuitas facit ad venarum apertionem, & vrinæ facilem, & copioſam excretionem, & conſequenter vina aquoſa non ſunt aperientia, & vrinam cientia, licet ſint tenuia. Reſpondetur nos non negare vina tenuia, fulua, & flaua vrinam prouocare, Verum hoc ipſum hæc vina efficiũt ratione tenuitatis, quod Galenus ipſe hoc eodem loco fatetur. Cum enim à flauis, & tenuibus vinis ſenes adiuuari doceat, quod ab ijs excalfiãt, & per vrinam expurgetur ſerum ſanguinis, & aquoſum excrementum, quo ſenes abundant; huius rei rationem reddens, inquit. (Porro id eſt, quod ſubſtantia quidem tenue eſt; quippe vrinas mouet) quibus clarè oſtendit à tenuitate oriri urinarum expurgationem, & apertionem uenarum, quod aſſerit concluſio.

Dilutio.

4. Inſtantia. Inſtabis amplius, quia Galenus lo. cit. de ſuccor. bonit. & uitio. c. 11. circa princ. inquit (quibus uero craſſus humor in uenis redundat, ijs ſubſtantia tenue ex uſu eſt, acre quidem,

ac vetuſtum) igitur ad venarum apertionem nõ facit vinum tenue aquoſum. Reſpondetur legenti Galeni verba ſequentia, facile patere ſolutionem, ſubdit enim immediatè (ſi frigidus collectus in venis humor fuerit, qui ſi frigidus non ſit, tum cui neutrum horum adeſt, cõuenit) tenue igitur vinum acre, ac vetuſtum requiritur, cum craſſi humores ſunt frigidi, contra craſſitiem enim facit tenuitas, contra frigiditatem qualitas calida vini acris, ac vetuſti. Si vero humores nõ ſint frigidi, ſed craſſi, & calidi, neq; acre, neq; vetuſtum debet eſſe vinum, ſed tenue, & aquoſum, de quo plura in ſeq. quæſt. Dilutio.

Ex his clare colligitur vinum tenue conuenire, & ex vſu eſſe ijs, qui abundant humoribus craſſis, qui humores craſſi ſi ſint calidi, conuenientius erit vinum tenue aquoſum; ſi verò ſint frigidi, ex vſu ſunt vina tenuia acria, qualia ſunt fulua, flaua, vetuſta, vt dicetur. Craſſa autem vina, vbi craſſi abundant ſucci, detrimentum afferunt, vt fusè Gal. docet tum alibi, tum potiſſimum 5. de ſan. tuen. c. 5. vbi idcircò ſenibus inhibet vſum vini craſſi, ſiue dulcis, ſiue auſteri, quod quidem eſt magis noxium, & ab vſu vini craſſi in ſenibus, & in his, quibus humores craſſi ſuperfluunt, docet iecur, lienẽ, & renes obſtrui, & aquam intercutem, ac calculum produci. At contra. Corollariũ. Quibus conueniat vinũ tenue aquoſũ, vel tenue acre.

Inſtabis, q͞a 4. de rat. vict. in acut. tex. 111. habetur hydropicis conuenire calidos panes ex vino nigro; conſtat autem manifeſte vina nigra eſſe admodũ craſſa; ergo falſa mox allata doctrina. Reſpondetur allatam ſententiã à Galeno cit. loc. appellari vulgarem, & ineptam, & cõuenire in hydrope vinum fuluum ſubſtantia tenue, quod vrinas moueat, & virtutem roboret. An hydropicis cõueniat vinũ nigrũ, an flauum.

Inſtabis amplius, quia Gal. 2. aph. in aph. 11. ait vina craſſiora celeriter nutrire, ſed quæ celeriter nutriunt, nõ hærent in vijs, nec obſtruunt, ergo. Reſpondetur Galenum cit. loc. habere vina craſſiora celeriter nutrire reſpectu ciborum ſolidorum, vt liquido patet legenti, quod nos non negamus, & In quo ſenſu vina craſſa dici poſſint celeriter nutrire.

loquimur ſolum de vinis craſſis reſpectu vinorum tenuium, quibus vt dictum eſt, magis nutriunt, ſed tardius, & conſequenter ex hac eadem ratione reſpectu vinorum tenuium ſunt obſtruentia.

QVAESTIO QVINTA.

De Vino aquoſo, & vinoſo.

Quid ſignificet vinum aquoſum.

VIni aquoſi nomine Galenus lib. 1. de antidotis cap. 3. comm. 3. de rat. vict. in tex. 2. & 8. & 7. met. c. 6. intelligit vinum album, tenue, & aquæ ſimile quo ad colorem, perſpicuitatem, tenuitatem, facultatem, ita vt minimam ſuſtineat aquæ mixtionem, quam ob cauſam oligophoron ab Hyppocrate nominatur, & pauciferum, vt Galenus notat 7. met. 6. cit. & comm. 3. de rat. vict. in tex. 20. vbi etiã vinoſum aquoſo contrarium, poliphorum, ſeu multiferum appellari docet, quod vt bene temperetur, multam exigit aquam, & idcircò vinoſum etiam dicitur, ſiue ęnodes, vt habetur 7. met. cit. Cuius generis multa ſunt vina tum acria, tum ſub dulcia, tum amara, tum flaui, tum nigri coloris, vt patebit ex dicendis infra. Aquoſæ vero conſiſtentiæ vina loc. cit. & 12. met. c. 4. (ſunt Adrianum, & Sabinum, & Albanum, & Gaurianum, & Tuſcum, & Neapolitanum aminęum, quod ſcilicet in locis Neapoli vicinis gignitur) noſtris temporibus apud nos ſunt aquoſa vina, quæ maſſaquana dicuntur à Surrentinis, apud quos vina quædam ſunt aquoſa facultate quidem, non autẽ colore, cum ſint ſubrubea; Item aquoſa ſunt verdeſcha vulgo dicta, quædam etiam, quæ latina vocantur, & aſprinia nominata, quæ an ſint aminæa à Galeno dicta, infra videbimus, ſolum hic vini aquoſi virtutes aperiemus, vinoſi enim vini vires, & uſus patebunt infra, ſit igitur.

Quid ſignificet vinum vinoſum.

Varia vina aquoſa Galeni tempore, & hoc tẽpore apud Neapolitanos.

Conclu-

Concluſio. Vina aquoſa parũ calefaciunt, parũ nutriunt, & ſunt ualdè aperiẽtia. Eſt manifeſta; & probatur facillimè. Ex dictis enim conſtat uina dici aquoſa, quia minimã aquę mixtionẽ ſuſtinẽt, & quod, ut ꝑbellè Galenus docet cõm. 3. de rat. uict. in tex. 20. (vinum ſiquidem aquoſum læuiſſimã in ligno vitis habuit tranſmutationem, læuiſſimam quoq, & elementi terręi permixtionem, ita ut aqua ſit, quę tum paulum terræ, calidæq; ſubſtãtiæ aſſumpſerit, particepſue fuerit, tũ leuiſſima in horum coniunctionẽ indiguerit cõfectione) ergo ſunt ualde frigida in uinorum genere, & conſequenter minime omnium nutriunt, tum ob hanc cauſam, tum quia ſunt tenuia, ut conſtat ex dictis quæſt. præced. ob quam tenuitatem ſunt ualde aperientia, ut etiam probauimus de uinis tenuibus. Confirmatur ex Galeno, qui hanc concluſionẽ ex profeſſo docet 12. met. c. 4. circa finẽ, 2. aph. 18. comm. 3. de rat. uict. comm. 2. in princ. ubi uinum aquoſum ne manifeſto quidem calefacere docet, quod idem habet primo de antidotis c. 3. additq, nec uẽtris, uęnarumq; coctionem euidenter adiuuare, nec deniq; bene alendo corpori cõducere. hanc eandem doctrinam repetit de ſuccorũ bonitate, & uitio c. 11, init. & alibi ſępiſſime.

Concluſio.
Probatio.
Pulcher modus generationis vini aquoſi ex Galeno.
Cõfirmatio

Obijcies primo. Galenus de ſuccor. bon. & uit. c. 11. ante fin. teſtatur uina aquoſa bibita ſolere ſanare capitis dolores, quibus corripiuntur homines ex aquæ potu præſertim uitioſæ, corroborato ab hoc uino uentriculi calore, & cõtemperato, qua de cauſa uentriculus à ſe nocumentum deorſum propellit, ergo calefaciendi uim habet uinum aquoſum.

1. Obiectio.

Reſpondetur. Nos non negare, lęuiter calefacere uina aquoſa, ita ut corroborare poſſint uentriculũ eius, qui aquã largius potauerit, quem naturaliter calidiorem habere uentriculum coniectandum eſt, qui ab aquoſo uino facilè reducatur ad naturalem temperaturam ab aquæ potu permutatam, ex quo nil ſequitur, ut patet cõtra concluſionẽ. In hoc caſu enim calefaciendo, atq; ita refrigeratum ab aqua uen-

Reſponſio.

Quomodo vini aquoſi potus ſanet capitis dolores ex aquæ potu.

triculum, uinũ contemperando, & uentriculo robur addendo, in cauſa eſt propulſionis humorũ deorsũ, ut fusè Galenus docet loc. cit. & nos repetemus infra cum de uino exhibendo capite dolentibus, agemus.

2. Obiectio.

Obijcies 2. Galenus vires habentibus imbecillas, exhibet vinum aquoſum, non vinoſum, ſic enim inquit 7. met. med. c. 6. in med. (Verum à vinoſo cauendum eſt, quod imbecillas vires feriat. At quod aquoſum natura eſt; cæterum auſterũ, id per commodum eſt.) ergo ſignum eſt vinũ aquoſum conuenienter nutrire, contra concluſionem, quæ putat parum nutrire. imbecillę enim vires non paruo, ſed conuenienti indigent nutrimento, vt reficiantur.

Reſponſio.

Reſpondetur vinum aquoſum, auſterum, verè leuiter nutrire, quamquã leuius nutrit vinum aquoſum ſine vlla aſtringendi vi languidum, & exolutum, qualia ait eſſe nonnulla ex Sabinis Galenus, qui hanc tradit doctrinã loc. cit. obiect. præced. de ſucco. boni. & vit. c. 11. & apud nos sũt maſſaquana, Surrentina, iiſq; ex vicinis locis nõnulla omnino ſimilia.

Quãdo vina aquoſa conueniant imbecillis vires habentibus.

Sunt autem vina aquoſa auſtera conuenientia habentibus vires imbecillas, in quibus vt Galenus loc. cit. 7. met. 6. paulo ante allata in obiectione uerba fusè docet, cõcoquẽdi facilitas non eſt, in quibus etiã idonea nõ eſſe docet alimẽta plurimi nutrimenti, ſi difficilia ſint cõcoctu. quia igitur facilius concoquũtur vina aquoſa prædicta quam uinoſa in caſu, de quo Galenus agit, idcircò exhibentur aquoſa, non uinoſa non quod aquoſa uina ualenter nutriant.

3. Obiectio.

Obijcies 3. Vina aquoſa ſunt aſtringentia ſaltem leuiter, ut patet ex loc. cit. & com. 3. de rat. uict. com. 2. init. ubi uinum aquoſum docet non omninò ab aſtringendo excidere, & aſtringendi qualitatem languidam habere; ergo non poteſt uinum aquoſum eſſe aperitiuum, & urinæ prouocatiuũ.

Reſponſio.

Reſpondetur, ex Galeno hoc eodem loc. cit. patere, dici uinũ aquoſum aſtringens, non reſpectu effectus, quem producit in uijs, per quas tranſit, quas certè aperit ſua tenuita-

te

te,& modica caliditate,ut dictum eſt ſupra,ſed reſpectu guſtus linguæ, cui aſtringentiam quandam præbet uinũ aquoſum, non aqua, ut diſertis uerbis docet Galenus inquiens (nam ſi ipſum aquę comparaueris percipies manifeſtè ex ea comparatione guſtum huiuſmodi uinorum eorum eſſe, quæ modicam nacta ſunt aſtringentiam.)

Vina aquoſa leuiter ſũt aſtringẽtia reſpectu guſt' linguæ, non uiarum, quas permeant.

Inſtabis, Aqua optima eſt tenuior uino albo quolibet tenui,ut patet ad ſenſum,& probatur apertè; quia uinũ quodlibet in ligno uitis aliquam elementi terrei recipit permixtionem,qualis non eſt in aqua optima,& tamen hæc auctore Hyppocrate de rat.uict.par.3.tex.40. tardè meat, neque aluum deijcit,neq; urinas mouet, lienem auget, iecurq; &c. ergo neq; uina aquoſa aquę ſimilia, debent eſſe aperientia, & urinam cientia.

Inſtantia.

Reſpondetur negando conſequentiam,& ratio diſparitatis eſt, quam loco citato affert Hyppocrates, quia aqua frigida eſt,& incoctilis, at uina aquoſa caliditatem aliquam habent,& nutrimentũ præbent,leue tamen; quam ob cauſam non morãtur,& ab una ad aliam partem tum ui tractrice,tum expultrice facile mouentur,& tranſeunt,& ſuo impetu excrementa propellunt,ut dictum eſt ſupra de uinis tenuibus,& craſſis ex Galeno,qui clarius 3.de natural.facult. c.ult.in fin.Docens modum,quo ui tractrice nutrimentum defertur,de aqua,& uino ſic ſubdit (ita nihil miri eſt uinum aqua propter qualitatis conueniẽtiam citiùs ſurſum aſſumi. ipſorum uero uinorum quod album eſt,& purum,tenuitatis gratia promptè in corpus digeri: ſicut è contrario nigrum, & turbidum craſſitudinis uitio per uiam hærere ac tardare.)

Reſponſio.

Cur aqua nõ ſit aperiens, aperiat autẽ vias vinum aquoſum.

QVAESTIO SEXTA.

De Vinis acerbis, & auſteris.

NOtandum ex Galeno lib.2.de aliment.facult.c.21.&4. de ſimpl.medicam.facult. c.8. auſterum ab acerbo parum

Qui ſint ſapores acerbi auſteri, pôtici, ſtyptici.

rum differre. Eſt enim auſterum acerbũ exolutum, & vt ex Platone docet 4. de ſimpl. med. fac. c. 7. acerbus ſapor eſt, qui valde exaſperat linguam, auſterus vero qui minus id efficit. hos duos ſapores, acerbos, & auſteros, Auctor libri de oculis particula 5. c. 2. vocat ponticos, & ſtypticos, qua ſimili ratione ponticum vinum intellexiſſe Galenum, conſtat ex lib. de attenuante victus ratione c. vlt. circa fin. Huius generis vina acerba, & auſtera, quæ tum alba, tum nigra eſſe poſſunt, plurima gignũtur in hoc Regno; & ſane acerba ſunt, quæ apud nos, quod ſorbi ſaporem referant, ſorbinea, vulgo ſoruigna nominãtur, quorum plurimus eſt prouentus in inſula Aenariæ, auſtera vero ſunt tum quæ rouiella dici ſolent, tum quæ vulgo vocamus aſprinia, quæ aſperitatem linguæ tribuunt non magnam; vnde certe aſprinij, ſcilicet parum aſperi, nomen videtur deriuaſſe; & eius copia circa Neapolim maxima progignitur, nobiliſſimum autem omnium eſt id, quod in vicino Colle Pauſilippo oritur, auſterum, & minime acidum;

An aſpriniũ ſit Neapolitanum aminæum.

Atq; hoc vinum proculdubio eſt, quod Neapolitanum aminæum vocat Galenus 12. meth. med. c. 4. Etenim vinũ aminæum Neapolitanum has debet habere conditiones, prima quidem eſt communis omnibus vinis aminæis, ſcilicet ſapor auſterus, vt cõſtat ex Galeno 4. de ſimpl. med. facult. c. 8. vbi inquit (tantum auſterus vitis amineæ tũ fructus, tum vinũ.) alia conditio eſt, vt ſit aquoſum, tenue ſcilicet, & aquæ ſimile conſiſtentia, colore, & viribus, & idcirco parum aquæ tolerans, quæ conditiones à Galeno tribuuntur Neapolitano aminęo, tum cit. loc. 12. meth. 4. tum 1. de antitodis c. 3. & in vicinis etiam collibus Neapoli oriri teſtatur. tales autẽ cõditiones ſolum obtinet vinum aſprinium è Pauſilippo colle, aquoſum, & auſterum leuiter ratione aquoſitatis, & ſi quid aliud ſimile gignitur circa Neapolim; quæ. n. aſprinia acidũ ſaporem participant, qualia plura sũt, hæc aminæa nullatenus ſunt dicenda. Neq; obſtat Virgilij carmen.

Sunt & aminea vites firmiſſima Vina.

Hoc

Hoc enim non verificatur de Neapolitano aminæo,quod aquoſum eſt,& debile;quocirca omnino falluntur,qui Neapolitanum aminæum putarunt eſſe vinum,quod Grçcum vocant;validiſſimum.ſed de aminæo,quod in Sicilia, & Bithynia naſcitur docēte Galeno loc.cit.1.de antitodis c.3.Quod neq; etiam habet conditiones vini grçci apud nos vocati ex monte Veſeuo,hoc .n. non eſt auſterum,quale cũ ſit Grçcũ vinum ex inſula Aenaria,quod etiã firmum eſt,& validum, de hoc Aenariæ vino Græco valet affirmare,eſſe aminæum, de quo Virgilius cit.carmine, & huic ſimilia eſſe vina aminæa,quæ in Sicilia, & Bythinia oriuntur. Quale vinũ Grçcum poſſit dici aminæum.

Prima Concluſio. Vina acerba, & auſtera reſpectu noſtri sũt in vinorum genere frigida,& refrigerantia. Patet ex locis omnibus citatis.2.de alim.fac.c.21.4.de ſimpl.med. fac. c.7.& 8.3.de compoſ.med.local.c.2.in med.in lib. de fract. com 3.in tex.21.lib.de ſuc.bonit. & vit.c.11. in fin. & alibi ſçpiſſimè, & probatur rationibus, quæ ex eodem colliguntur 4.de ſimpl.med. facult.c.7. 1.Concluſio. An vina acerba,& auſtera ſint frigida.

Prima Ratio eſt. Quia experientia patet arborum omniũ fructus nuper enatos,acerbos,eſſe,& ſiccos,vt clare conſtat in oliuis,vuis immaturis, malis,malis punicis,pyris,moris, & ſimilibus. Item experientia cõſtat hos fructus omnes dulceſcere tempore matureſcentes,quod tum inſito,tum externo Solis calore efficitur, ergo dulcedo à calore; acerbitas, & auſteritas à frigore prouenit;& conſequenter frigidam vim habent acerba,& auſtera vina, & fructus. 1. Probatio.

Secunda Ratio. Ab acerbo, & auſtero ſapore manifeſto lingua contrahitur,aſpera redditur,& eſiccatur; ſed frigidi eſt contrahere,conſtringere,& denſare corpora; plane igitur liquet frigidum eſſe ſaporem acerbum, & auſterum, & talia vina frigidam facultatem habere. 2.Probatio.

Obijcies 1. quia Galenus inter calida vina numerat auſterum 3.de ſimpl. med.fac. c.20. & vinum auſterum calidũ eſſe videtur aſſerere 6.meth.c.4.in med. ergo nõ omnia auſtera ſunt frigida. 1. Obiectio.

Reſpon-

Reſponſio. Reſpondetur Galenum non eſſe intelligendũ de vino auſtero ſimpliciter,ſed de leuiter auſtero,& ſimul etiam dulci, cuius generis vina auſtera ſcilicet,& dulcia,4.de ſimpl.med. fac.c.8.ait eſſe vina Surrentina, quod noſtro tempore minime experimur,& rationem inquiremus infra; atq; ita verum aſſerit, hæc auſtera vina,& ſimul dulcia, eſſe calida, & tale vinum parum auſterum,& ſimul dulce eſt tmolites, de quo Galenus loquitur cit.loc.in obiect.3.de ſimpl.20.quod vinũ tmolites,ſi ſupra modum ſit auſterum,eſt etiam frigidum,vt clare colligitur ex eodem Gal.de ſucc.boni. & uit.c.11. circa princ.ubi duplicis generis eſſe docet uinum tmolites.6.ẽt meth.4.cit.in obiectione Galenus non dicit uinum auſterũ eſſe calidum,ſed eſſe calidius aqua,& actu calidũ applicandum inteſtino inflato, quod per uulnus exciderit.

Vinum auſterum eſt aqua calidius.

2.Obiectio. Obijcies 2.Galenus aduerſus Lycum c.4. uina aſtringentia ait eſſe generoſa: auſtera autem ſunt aſtringentia, ergo & generoſa, & conſequenter calida.

Reſponſio. Reſpondetur Galenum hoc loc.loqui de uinis auſteris albis craſſis,quæ temporis diuturnitate fiunt fulua,& dulcedinem,& acrimoniam acquirunt, & conſequenter fiunt generoſa,ut conſtare poteſt ex eodem 12.meth.c.4.in med.& 4. de ſimpl.fac.c.11.& dicetur infra,quod nõ accidit uinis acidam habentibus qualitatem,cum quibus Galenus loc.cit.in obiect.comparat uina aſtringentia, quod non obſtat noſtræ concluſioni,quæ intelligenda eſt de uino auſtero ut ſic, cũ non adhuc alium ſaporem acquiſierit.

2.Concluſio. Secunda Concluſio.Vina acerba,& auſtera parũ nutriũt: ſequitur ex præcedente concluſione.Cum enim frigida ſint talia uina,ſunt admodum diſſimilia noſtræ naturæ, quæ calido uiuit,& pabulatur; & paucas habet partes calidas, quæ in nutrimentum tranſeant.Confirmatur ex Galeno de ſucc. boni.& uit.c.11.poſt prin.ubi inquit de uinis ſupra modum auſteris. (quod ea neq; alimento diducendo conferant, nec gignẽdo ſanguini,nec ſucci bonitati) & 3.de alim.fac.c.40.

Quomodo nutriant vina acerba, & auſtera.

uinis

uinis aquoſis exceptis,omnium minime docet nutrire uina acerba,etiam ſi craſſa ſint. atq. hanc ob cauſam fugiendā ſunt in ſyncope,vt dicetur infra ex profeſſo.

Obijcies,quia Galenus de attenuante vict.rat.c.vlt.in fin. vinum ponticum corpora bibentium euidenter nutrire docet, & probat experientia iuuenum, qui tali vtebātur vino, & in palęſtra ſe exercebāt; quod idem experiri licet in inſula Aenariæ,vbi robuſti ſunt homines, vtentes ſorbineo vocato vino, quod admodum mihi, & ceteris videtur acerbum, & aſperum. **Obiectio.**

Reſpondetur primo Galenum poſſe intelligi non de vinis abſolutè ponticis;ſed dulcedinem participātibus, quam acquirunt,cum incipiūt veteraſcere vina ſorbinea, & auſtera, quæ craſſa ſunt,quod non obſtat concluſioni,vt patet, quæ loquitur de vino ſimpliciter acerbo, & auſtero. **Reſponſio.**

Reſp.2.Galenū loqui de aſſuetis vti vino pōtico,vt patet legenti,qui certe citra moleſtiam,& melius nutriuntur huiuſmodi vino quam ij,qui non conſueuere, vt patet etiam manifeſta experientia in Aenariæ inſulæ incolis,qui vtpote aſſueti ſorbineo vino in omnī ætate, ipſo optimè nutriūtur. magnam autem vim habere in alimentis conſuetudinem,vt deteriora ſint meliora vtentibus,& docet experientia,& rationem reddit Galenus lib.de conſuetudine c.2.

Tertia Concluſio. Vina acerba,& auſtera ſunt aſtringentia. ſequitur etiam ex concluſ.1. Cum enim hæc vina frigida ſint,& frigidi ſit cōdenſare,& conſtringere; ſequitur neceſſario acerba,& auſtera vina eſſe aſtringentia.Cōfirmatur ex infinitis Galeni locis potiſſimum 2. de alim. facult.c.21. vbi inquit (perſpicuum autem eſt,quod aſtringens, acerbū, & auſterum,tria hæc nomina qualitatem vnam ſignificant) quod idem docet 4.de ſimpl.med.fac.c.7.5.de compoſ.med. per gen.c.7.in fin.inquiens(nam quod auſterum eſt,nec vetus,magis aſtringit) & 3.de rat.vict.com.3. in tex.8. ſic habet(auſterum vinum excretiones omnes cohibet) quod cla- **3 Concluſio. An vina acerba & auſtera ſint aſtringentia.**

rius explicat de ſucc.bonit.& vit.cap.11.inquiens,(quod ſupra modum auſterum ſit, etiam ſi ſtomacho reſoluto robur addit,ventriſq; maxime calida intemperatura laborantibus, hoc enim genere vinis vtimur auſteris,vt citam aluum ſiſtamus,alioqui non vſuri,quod ea neque alimento diducendo cõferant,nec gignẽdo ſanguini,nec ſucci bonitati,nec ciundis vrinis,nec ſudoribus promouendis, neq; vero ſubducendæ aluo) idem docet de attenuante vict.rat. c.vlt.vbi etiam noxium eſſe affectibus thoracis,& nauſeam addit prouocare vinum auſterum, & facile aceſcere in hypochondrijs,& ſolũ debito modo ſumptum ſitim extinguere,quorum omnium rationes patent ex dictis ſupra, quia frigida ſunt talia vina, parum nutrientia,& aſtringentia, qua de cauſa robur addũt ſolum laxo ventriculo,& fluenti, vt dictũ eſt,& ob eandem rationẽ cõferũt dysẽtericis 6.de ſipl.med.fac.c.de gnafalio.

Quibus conueniat vinũ auſterum.

Obiectio.

Obijcies,Vina aſprinia ſunt auſtera,& tamen aperientia, & vrinam cientia, ergo falſum eſt auſterum eſſe aſtringens.

Reſponſio.

Reſpõdetur aſprinia vina eſſe leuiter auſtera, quippe valde ſint aquoſa,& humida; ab humiditate enim acerbitatem exolui docet experientia,& demõſtrat Galenus 4.de ſimpl. med.fac.c.8.eſſe autem valde tenuia, & conſequẽter penetrabilia,& vrinam cientia ratione tenuitatis, ob quam vina quoquo pacto aſtringentia mouere excretiones omnes, dictum eſt ſupra q. 4.& 5.in fin.

QVAESTIO SEPTIMA.

De Vinis acidis.

An dẽtur vina acidi ſaporis naturaliter.

Dari vina acidum ſaporem participantia, tum docet experientia; talia enim ſunt & quædã verdeſca apud nos dicta,& quædam aſprinia nominata,nõ quidem nobilia,ſed vulgaria,& quædam Surrentina,& alia cõplura.Tum docet

ratio.

ratio. Cum enim dentur vuæ quędam acidæ, etiam ſi exactā in vite maturitatem adipiſcantur, vt docet experientia, & Galenus ex profeſſo teſtatur, 2. de alim. fac. c. 9. circa med. neceſſario quod ex his vuis vinum exprimitur, debet eſſe acidum; ſicut ex dulcibus vuis dulce, ex auſteris auſterum vinum colligitur, vt omnibus eſt notiſſimum. Neq; obſtat idē Galenus lib. aduerſus Lycum c. 4. ante fin. inquiens (at in vinis aſtringens qualitas ab acida ſeparata, vt bonitas à vitio eſt, quorum quæ adſtringenti qualitate prædita ſunt, generoſa ſunt; acidum vero ſecundum naturam nullum, quia ſi quid his parum acoris acceſſerit, cōtinuò, vt in acetum mutentur fore ſuſpicamur.) non enim hoc loco negat Galenus dari vina naturaliter acida, ſed ſolum, vult in naturali mutatione, quam vinum recipit per ſua tempora, nullam dari naturalem mutationem in acidam qualitatem; cum enim parū acoris acceſſerit, mutatio fit in acetum; in quod facile etiam mutātur vina naturaliter acida, & aquoſa, vt dicetur infra in quæſt. propria de aceto.

Prima Concluſio. Vina acida sūt fere ſicut acerba, & auſtera, frigida, & refrigerātia. Eſt communis, & probatur tum auctoritate Galeni, qui acidum ſaporem frigidum eſſe docet 4. de ſimpl. med. fac. c. 7. 8. 12. & 13. quo vltimo loco aliquos refert putaſſe à calore prouenire acidum ſaporem. Tum experientia, quam teſtatur Gal. loc. cit. 4. de ſimpl. 7. in fin. ab acidis non ſolum ſimpliciter, & abſolute, ſed etiam admixtis acribus, dulcibus, amaris; nos refrigerari. Tum Ratione, gignuntur enim acida tum poma, tum fructus, cum ijs acerbis adhuc exiſtentibus; & frigidis terreis aduenit humiditas, & modicus imperfectusq; calor, quare frigidus eſt ſapor acidus & frigida ſunt acida vina. Confirmatur ex dicendis infra quæſt. de aceto, vbi frigidum omnino acetum eſſe demonſtrabimus, & à frigiditate ortum habere; pariter igitur acidū vinum frigidum erit cenſendū licet non ita intēſe, ſicuti eſt acetū, cuius aciditatis gradu vini aciditas eſt ſatis inferior.

1. Concluſio An vina acida ſint frigida.

1. Obiectio. Obijcies 1. quia vina aceſcũt tempore æſtiuo propter calorem, ergo calor eſt cauſa aciditatis, & conſequẽter acidus ſapor eſt calidus, & calidum eſt vinum acidum.

Reſponſio. Reſp. à calore æſtiuo vina p accidẽs refrigerari, vt fuſius explicabitur infra cũ de aceto tractabit ex Gal. 4. de ſĩpl. c. 14.

2. Obiectio. Obijcies 2. quia ex concluſionis ratione ſequitur acidum ſaporem eſſe minus frigidum acerbo ſapore, cuius contrariũ experimur, & teſtatur etiam Galenus loc. cit. 4 de ſimpl. 12. in ſucco omphacis, vuę ſcilicet acerbę, à quo minus refrigeramur quã ab aceto, à quo magis refrigeramur, ergo ſapor acidus eſt frigidior auſtero, & acerbo.

Reſponſio. An ſapor acidus ſit frigidior ſapore acerbo. Reſpondetur ex eodẽ Gal. ibid. maiorem refrigerationem, quæ nobis aduenit ab aceto, non eſſe à maiori frigiditate, quę inſit aceto intẽſior, quam in omphacij ſucco, qui tum acerbitatem, tum aciditatem participat Galeno docẽte loc. cit. ſed quia acetum tenuius eſt, & idcirco celerius penetrat partes plurimas, quas idcirco etiam cum mordicatione refrigerat; quocirca ad hypochondria ardẽtia magis Galenus laudet omphacij ſuccũ quam acetum. Quare in forma reſpõdetur, acidum ſaporem gradualiter eſſe minus potius frigidũ ſapore acerbo; virtualiter vero, & effectiuè ratione tenuitatis, eſſe magis frigidum ſapore acerbo, ſeu valde auſtero.

2. Concluſio. Secunda Concluſio. Vinum acidum parum etiam nutrit. Eſt etiam cõmunis; Et probatur 1. auctoritate Galeni 4. de ſimpl. med. fac. c. 15. vbi poſt med. ſic inquit (quæ itaq; ſummè acida ſunt, acerba, aut amara, aut ſimpliciter aliam quãtis qualitatem, præter dulcem ſortita ſunt, ea omnia nutrire nequeunt) ſed vina acida non ſunt ſũme acida, ergo per Galenum nutriunt aliquãtulum.

An vina acida nutriant.

2. Probatio. Probatur 2. Ratione. Vina acida ſunt ex frigidorum genere, ergo nõ poſſunt magnam prębere nutrimenti materiam.

1. Cõfirmat. Confirmatur quia aquoſa ſunt vina acida, quæ parum nutriunt, vt dictum eſt q. 5.

2. Cõfirmat. Confirmatur amplius, qui a vina acida non ſũt omninò inepta, ſed tantiſper apta ad potus vſum, & ad guſtum, & conſequenter

ualent

valēt ad aliqualem nutritionem; hac enim ratione Galenus loc.cit.negat valde amarum nutrire,quia ineptū eſt linguæ guſtui, & eſui, quod his docet verbis (ſic ut ergo quod eſt ſumme dulce,aptum eſui eſt,quod vero ſolum, ac ſincere amarum,eſui ineptum.ſic quæ in medio ſunt eorum,nutriunt quidem etiam,verum minus quam dulce.)

Obijcies.Vina oīa,dū concoquuntur in vētriculo acidam quandā recipiunt naturā, ergo vinū acidū eſt omniū aptiſſimū ad huiuſmodi cōcoctionē,& conſequēter ad nutritionē. 1.Obiectio:

Reſpondetur argumentationis huius maiorē propoſitionem ex profeſſo aſſeri à Petronio lib.2.de victu Roman.c.9. & lib.5.c.13.& probari primo,quia à vino epoto ſani homines ſi vomant,acidum ſaporem experiuntur; Secundò, quia omnia, quæ coquuntur in ventriculo, mutantur in naturam ſibi oppoſitam,& contrariam,Vinum autem,& acetum ſunt ſibi inuicem oppoſita, & contraria, in acidum igitur debet verti ſaporem vinum,& in acidam naturā dum in ventriculo coquitur.Sed hanc aſſertionem eſſe omnino falſam in ſtatu naturali ſanorum,& in coctione perfecta, docet manifeſte tū Galenus loc.cit.4.de ſimpl.15.init. vbi ſemicoctos vocat cibos acidos, eoſq; non perfecte ſuperari à vētriculi calore. Tum Ratio. Quia ex Petronij poſitione ſequeretur contra omnium opinionem, & experientiam,vina dulcia, & dulces cibos minus nutrire quam cetera vina,& ceteros cibos, & difficilius quam vina acida,quibus dulcia ſunt inepta magis adhoc vt tranſmutentur in acidā naturam, vt ſatis patet intelligēti. Amplius omnes ſciunt mel in quibuſdam ſanis naturis in probum ſuccū,in calidioribus in bilem verti in ventriculo, vt fusè docuimus noſtra tract. de humoribus q.10. art.2.concluſ.3.non igitur ſēper aceſcit cibus in ventriculo, ſed tantum cibus is, & potus,qui frigidus eſt ratione qualitatis,vel quantitatis excedentis; vel in frigido ſemicoquitur ventriculo.Neq; quidquam probant Petronij Rationes. Et ad primam dicendum, ſano quidem homine in ceteris, ſed

Reſponſio. An quæ coquuntur in ventriculo, mutentur in acidā naturam. Petronij opinio, & rationes. Vera opinio & eius rationes. Soluuntur Rationes Petronij.

male coquente ventriculo ſiue ob inopiam caloris, ſiue ob copiam epoti vini, vel ingeſti cibi, ab epoto vino acidum vinum vomitu poſſe reijci. Ad ſecundam dicendum, falſum aſſumi; quæ coquuntur in ventre, mutari in naturam oppoſitã, & contrariam, quale eſt acetum vino. ſic .n. acetum aſſumptum verteretur in ventriculo in naturam vinoſam, contra experiẽtiam, & veritatem; Vertitur igitur id, quod coquitur, in chilum diuerſæ quidem naturę, ſed quãdoq; dulcis, quandoq; acidæ, quandoq; amaræ, pro diuerſitate eius, quod coquitur, & ventriculi temperaturæ, ob quam, ſi calidior ſit, in amaram bilem mel conuertitur, vt dictum eſt.

2. Obiectio. Obijcies 2. Galenus 2. de aliment. fac. c. 9. de vuis acidis, & auſteris ſic inquit (acidæ, auſteræque non huic modo rei, verũ etiam coctioni in ventriculo, diſtributioni, ac nutritioni ſunt noxiæ, &c.) & paulo poſt ita ſubdit (acerbæ vero, vt acidæ, etiam ſi ſuſpenſæ fuerint diutius, mutationem in dulcius numquam poterunt aſſequi: quocirca ipſarum eſus perpetuo eſt cauendus) ex quibus patet has vuas acidas non nutrire in Galeni ſententia, cum ſint nutritioni noxiæ, & cauendus ſit eſus ipſarum. quod idem pariter dicendum de vinis acidis ob eandem omnino rationem.

Reſponſio. De vuarum nutritione. Reſp. ex his confirmari concluſ., non .n. hoc loco negat Galenus ſimpliciter vuas acerbas, & acidas nutrire, ſed non æque bene ſicut dulces vuas, quarũ vſum ait eſſe tutiſſimũ, cum moderate ſumuntur; quia calidę ſunt, illæ verò frigidæ, & idcirco illarum reſpectu ſunt noxiæ, & vitandæ; quia parũ admodum nutriunt; qua ratione ſunt noxiæ bonæ nutritioni; quod idem de vinis acidis vltro concedimus.

Tertia Concl. Vina acida sũt attenuãtia, & conſequẽter vrinã ciẽtia. Eſt expreſſa Galeni oĩnò legẽdi 2. de alim. fac. c. 21. ubi ſapori acido fusè docet, cõpetere, qđ incidat, & refrigeret humores craſſos, quia tenuẽ habet ſubſtãtiã, & frigidã, qđ idẽ docet Gal. 4. de ſimpl. c. 8. & patebit ex dicẽdis infra in propria quæſt. de aceto in fin. potiſſimum.

QVAE-

QVAESTIO OCTAVA.

De Vinis dulcibus.

DVlcedo,ſicut & qualitates ceterę amplam habent latitudinem. dulciſſima autem vina non niſi craſſa,nigraq; eſſe poſſe contendit Galenus de attenuante vict.rat.c.12.init.com.3.de rat.vict.in acut. in tex.2.& 7.& de ſuccor.bonit.& vit.c.11.quo loco illud probat hoc argumento,& his verbis,(certè ſi muſtum ex omnium maximè vino albo decoquas vſq; eo,vt ſapa inde exiſtat,colorem nigrum acquiret ad therei inſtar) pariter igitur quæ naturę concoctione ſine vllo artificio addito vina gignuntur admodum dulcia ſicut ſapa,erunt craſſa,& nigra. Huius generis vina exemplum ponit Galenus ſuo tempore dictũ Theręũ, & Scybellites, hoc vero tempore, quæ prope Neapolim gignuntur admodum dulcia vina quædam nigra,& craſſa ſunt vulgo dicta Mangiaguerra, & lagrimę Galitti.His alia dantur vina eiuſdem generis minus dulcia,minuſq; pariter craſſa,& magis rubentia,magiſq; nitentia.Dulcia etiam dantur uina alba,& craſſa admodum,quale eſt græcum dulce uocatum apud nos. & ex pallidorum genere plurima sũt ſubdulcia,quæ amabilia ſolent appellari,& ſunt ſubſtantiæ tenuis; qualia Galenus 12.meth.med.c.4.plura numerat,præcipue Falernum Fauſtianum,& talia ſunt plura apud nos quædam vina græca humida, vt loquuntur,quibus omnibus excellit iucunditate,& ſuauitate ſaporis gręcum,quod in Pauſilippo colle circa Neapolim oritur. his accedit Chiarellum vulgo dictum,Item ſimilia ſunt alia, vt Codacauallo vulgo dicta prædictis paulo inferioris roboris,& virtutis, & ad flauũ colorem vergunt,& nitorem,& conſiſtentiam,quę inter aquoſa,& craſſa vina ſit media,obtinent,vt Galenus etiam docet loc.cit.12.meth.4.& repetit com.3.de rat.vict.in tex.2. inquiens (neq, tenue exquiſite, neq; album vidiſti aliquando

Vina admodum dulcia ſunt nigra.

Dantur vina dulcia ex alborum genere.

Ad flauũ colorẽ inclinãt ſubdulcia vina, & conſiſtentiam habent mediocrem.

uinum

uinum dulce) quo loco manifeſte patet Galenum loqui de uino admodum dulci, qualia non ſunt falerna, græca, & ſimilia allata, quod eſt admodum notandum pro tollenda contradictione locorum Galeni in hac re. Cum uini dulcedine ſolent alij ſapores connecti potiſſimum auſterus ſapor, ut in pluribus exemplificat Galenus tum in Falerno non tamen Fauſtiano, tum in Surrentino, id quod de Surrẽtino noſtro tempore neutiquam uerificatur, neq; enim ibi aut dulcia, aut uinoſa uina gignuntur hoc tempore, ſed penitus aquoſa, & aciditatem participantia.

1. Cõcluſio. An vina dulcia ſint calida.

Prima Concluſio. Vina dulcia, quatenus dulcia, ſunt moderatè calida; Eſt Galeni, qui hanc doctrinam de omnibus edulijs dulcibus docet, non ſolum de dulcibus uinis 4. de ſimpl.med.facult.c.9.10.11.& perbellè ſatis cit.c.9.comparat dulce edulium aquæ calidæ, quæ nobis uoluptati eſt, cõcretas in nobis propter frigus particulas fundens, qua pari ratione omne edulium dulce calidum ſane eſt, & iucundum, nec calore excedit, aut eſt moleſtum.

Probatio.

Probatur Concluſio. quia experientia patet, quam Galenus etiam cit.c.11.teſtatur auctoritate Ariſtotelis, & Theophraſti, fructus omnes, & uuas ad maturitatem perduci, & ad dulcedinem, tum proprio calore, & inſito, tum plurima caliditate aſcititia, quæ ijs impertitur à Solis ardore. quare quæ dulcia ſunt, ſimpliciter ſunt calida. Rurſus calida ſunt non caliditate excedente, ſed mediocri, nobiſq; congrua; ſunt enim ut dictum eſt dulcia nobis iucunda, & amica, ac oblectationem inferentia, ut dictum mox eſt, & patet experientia manifeſta; quare non poſſunt habere caliditatem excedentem noſtris corporibus noxiam, & moleſtam. Confirmatur, quia experientia patet uina decoctione fieri magis dulcia; ut patet in ſapa. Item uina auſtera, ſi dum muſta ſunt, origanum natura calidum injciatur, fiunt dulciora, teſte Ariſt. ſect. 20. probl.35. eſt igitur dulcedo caliditatis effectus, & uina dulcia ſunt calida.

Obij-

Obijcies 1. Vinum dulce ſitim infert, ut Hyppocrates docet de victus rat. par. 3. tex. 2. & 5. ergo non habet moderatam caliditatem, ſed naturali intenſiorem, propterquam ſiticuloſa moleſtia afficit. 1 Obiectio.

Reſpondetur ex cit. loc. patere vinum dulce inferre ſitim ſolum corporibus picrocholis, i. calidis ſiccis, & amara bile abundantibus, in quibus ſicut mel, ita dulce vinum amareſcit, & in flauam bilem vertitur, ab ipſorũ temperie calida, & ſicca, vt docet fusè Gal. cit. loc. in tex. 2. vbi ob eandem cauſam docet febrientibus vinum dulce non eſſe idoneum, potiſſimum ſi bilioſi ſint, quibus etiam iniucũda ſunt dulcia vina, nec ſatis familiaria, vt colligere etiam licet ex Galeno legendo 4. de ſimpl. med. fac. c. 10. vnde nil contra cõcluſionem, quæ loquitur de dulci vino reſpectu corporis mediocris temperaturæ. Reſponſio. Vinũ dulce inutile picrocholis, febrientibus, & his, quibus ſitim infert.

Obijcies 2. Multa vina dulcia ſunt, & ſimul etiam auſtera, vt Galen. teſtatur 12. meth. 4. vbi inter cetera falerni quoddam genus tale eſſe aſſerit, item Surrentinum vinum tũ hoc loc. tũ 4. de ſimpl. med. fac. c. 8. vbi ſic inquit (auſterus vnaq; dulcis fructus palmæ, & inter vina Surrentinum, Sabinum, Abbates, &c.) id quod de Surrentino vino noſtro tempore minime verificatur, ſed de vino, quod Guarnaciã vulgo vocant, cuius generis vinum & ex alborũ genere, & etiam nigrorum guſtare non raro contingit guſtui tum dulce, tũ auſterũ, ſiue adſtringens quoquo pacto, & ventriculo accommodum, ventriculumq; roborans, & calefaciens, ac proinde guſtui ſuaue, & iucundum, quas conditiones vino Surrentino tribuit Galenus loc. cit. 12. meth. 4. ſed auſterum vinum eſt frigidum, vt probatum eſt ſup. q. 6. concluſ. 1. ergo dulce vinum cum poſſit ſimul eſſe auſterum, non poteſt eſſe naturæ calidæ; alioqui idem eſſe poſſet calidum, & frigidum, quod repugnat. 2. Obiectio. De vino, qd vocat guarnaccia.

Reſpondetur non repugnare idem ſecundũ diuerſas particulas eſſe calidum, & frigidum, & conſequenter vinum Reſponſio.

Quæ ſit cauſa variorum ſaporum in codẽ vino. ſecundum diuerſas partes eſſe auſterũ, & dulce; quæ doctrina pluribus in locis à Galeno aſſeueratur potiſſimum 4. de ſimpl.med.fac.c.vlt.vbi etiam exemplũ affert roſæ, quæ ratione partium frigidarum,& terrearum guſtantibus apparet acerba;ratione calidarum,& tenuium,ſimul etiam guſtum refert amarum;vterq; autem ſapor,acerbus, & amarus, non eſt ſumme talis in roſa ratione aquei admixti ſucci. quod pariter dicendũ à nobis eſt de vino prædicto auſtero,& dulci,& ſi qui alij mixtorum ſaporum modi in vino,vel naturaliter,vel artificioſè experiuntur. varias ſcilicet in eo particulas exiſtere,pro varietate ſaporum,vel naturaliter, vel ex arte commixtas.

3. Obiectio. Obijcies 3. Vina dulcia cõſeruantur dulcia maximè hyemali,& frigido tempore,quod ſi calidum aduenint,mutatur vini dulcedo potiſſimum in acorem. Amplius ad conſeruandum vinum dulce,in quibuſdam prouincijs mos eſt aquam adijcere certa,& nota apud incolas menſura,vt teſtatur Coſtæus lib. 2.de potu in morbis c. 14. ſed tempus frigidum, & aqua ſiue calida,ſiue frigida adiecta,habent vim refrigerandi,ergo vini dulcedo eſt frigiditatis effectus, & conſequenter vina dulcia ſunt frigida,non calida.

Reſponſio. Reſpondetur vina dulcia conſeruari tẽpore frigido,quouſque non diſſoluitur proprius,& natiuus calor vini dulcis, quod ſi debile ſit,& diſſoluatur eius calor,potiſſimum adueniente calore,accidit ei mutatio in acorem; ſi uero ſit ualidum, acris ſapor ſuperuenit,ut fusè dicetur infra. ob quam etiam cauſam aqua dulce conſeruat uinum: dum prohibet propria refrigerãdi ui ne acris ſapor calidiſſimæ naturæ ſuperueniat.Vnde cõſtare poterit tempus frigidum, & aquam non tribuere dulcedinem vino,ſed dulce uinum conſeruare, ſi illud ſit ualidæ,& generoſæ naturæ; alioqui ſi fuerit debile uinũ,aqua admixta aceſcet, ut ex dicendis conſtabit manifeſte, ex quo nil ſequitur contra concluſionem, ut patet intelligenti.

Cur tẽpore frigido vina ſeruẽtur dulcia.

In quib. vinis admixta aqua ſeruet dulcedinem.

Secunda Concluſio. Vina dulcia quatenus dulcia ualde nutriunt. Eſt Galeni loc. cit. conclſ. præcedenti, & 4. de ſimplic. cap. 15. ex quibus locis hæc deſumitur demonſtratio. Nutritio fit ad deperditæ ſubſtantiæ reparationem; ſed ſubſtantia, quæ deperditur, erat familiaris, ergo quæ reparatur, debet eſſe pariter familiaris; ſed maxime familiare, amicum, iucũdumq; eſt dulce, ergo maxime nutriens & reparans id, quod è nobis euacuatur, & diffluit, eſt dulce alimentũ, ſiue is ſit cibus, ſiue potus. Confirmatur quia ſanguis humorum omnium dulciſſimus, eſt maxime nutriens, quin etiam ſolus eſt nutriens in plurimorum ſententia, de qua re nos latè diximus noſtra tract. de humoribus quæſt. 9. ergo pariter maximè nutriens erit vinũ dulce; & conſequenter etiã eſt maximè temperatum, & mediocriter calidum reſpectu noſtræ naturæ. quæ enim sũt ualde diſſimilis tẽperaturæ, longè abſunt à natura noſtra, & conſequẽter difficilius, ac minus poſſunt aſſimilari, & in nutriẽdi corporis ſubſtantiã permutari. 2. Concluſio. An vina dulcia ſint nutrientia. Confirmatio primę concluſionis.

Obijcies, quia ex hac cõcluſione ſequitur falsũ eſſe quod ſupra conclusũ eſt. q. 4. nempè craſſum uinũ maxime nutrire; maxime enim nutrit quod dulce eſt uinũ, utpote maximè iucundũ, maxime amicum, & familiare. quamobrẽ rectè uidetur in hanc ſententiam Schola Salerni ceciniſſe. Obiectio.

Nutritius magis ſunt dulcia candida vina.

Reſpondetur quæ ibi dicta ſunt, huic Concluſioni nõ eſſe contraria, inſpeximus .n. ſolam ibi uini craſſitiem, quæ magis nutrit quam tenuitas. hic uero inſpicitur uini ſapor dulcis, qui ſaporum omnium eſt maximè nutriens, & inter uina candida, quæ dulcia ſunt, ſunt etiam maxime nutrientia, ut etiam uoluit Schola Salerni; quæ ſi putet dulcia vina & cãdida eſſe nigris, & dulcibus vinis magis nutrientia, non eſt recipiẽda, iuxta ea, quæ ibidem sũt determinata: rubra enim & ad nigra accedentia vina ſunt ſanguini magis ſimilia. Verum vt diximus, Salerni Schola dulcia vina inter ea, quæ ſunt ex alborum genere, quæ nigris opponuntur, plus eſſe Reſponſio.

nutritiua putat. Vel certè citius, & celerius nutrientia ceteris nigris vinis dulcibus, quod omninò eſt concedendũ, alba .n. dulcia nigris dulcibus ſunt tenuiora, & cõcoctu faciliora.

2. Obiectio. Obijcies 2. quibuſdam magis familiare, & iucundũ eſt uinũ acerbum, alijs magis ſuaue eſt auſterum, nonnullis acidũ vinum maxime conducit, ut docet quotidiana experientia, ergo falſum eſt, uinum dulce eſſe maxime familiare; & idcirco eſſe maxime nutriens.

Reſponſio. Reſpondetur has naturas, quibus familiaria ſunt uina acerba, auſtera, acida, & ſimilia, à mediocri temperie ſatis recedere, uel naturaliter, uel ab extrinſeca cauſa, potiſſimum à conſuetudine talia bibendi uina; ut fusè dicetur infra, id qđ non eſt contra concluſionem poſitam, quæ intelligenda eſt de naturis moderata tẽperie præditis, quibus neceſſario uinum dulce, ſuaue, & familiare exiſtit, quod eſt mediocriter calidum, & conſequenter has naturas moderatas eſt maximè nutriens.

3. Concluſio. Tertia Concluſio. Vina dulcia, quæ craſſa ſunt, & nigra, ſunt obſtruentia: quæ vero tenuia sũt, & ad albedinem uergentia, sũt aperientia. Duas partes habet cõcluſio, & utraq; probatur ex dictis ſupra q. 4. de uinis tenuibus, & craſſis.

Quæ vina dulcia obſtruant, inflent, & ſimilia efficiant. Cõfirmatur prima pars ex Hyppocrate de rat. uict. in acut. par. 3. tex. 2. ubi à uino dulci lienem, & iecur tumefieri, ſuperius inteſtinum inflari, flatus excitari, & diutius circa hypochondria morari docet, & tex. 3. ſubdit, minus urinas mouere quam uinoſum album; quæ omnia ſolũ de dulci uino, & craſſo uerificantur Galeno teſte, qui etiam ſicut & Hyppocrates, ut initio huius quæſtionis monuimus, dulcis vini nomine ſolum dulciſſimũ, qđ & craſsũ eſt, & nigrũ intelligunt.

Quæ vina dulcia aperiant, vrinas cieant, &c. Confirmatur 2. pars ex Gal. qui loc. ſepius cit. 12. meth. 4. falernum dulce fauſtianum, & ſimilia vina valenter, & velociter ꝑ corpus digeri aſſerit, & idcircò vtiliter valde in ſyncope exhiberi potiſſimum ex crudis humoribus, quia & valdè nutriũt, & velociter deferũtur per corpus, & conſequenter

ter

ter non obſtruunt,ſed aperiunt,& vrinas cient. quod etiam longo ſermone explicat 5.de ſanit.tuen.c.5. fusè docens vinũ tenue,& ex pallidorum genere, ſeu flauorũ. potiſſimũ falernum ſenibus competere,vel aliud ſimile,immo vinũ melle conditũ,vt per vrinas expurgetur aquosũ, quo ſenes abũdant,excrementum,concluditq; longũ illud caput, id quod noſtra poſuit concluſio,his verbis.(at quæ craſſa, dulcia, & nigra vina ſunt,ea omnia, propterea quod obſtruunt viſcera, ſunt fugienda.)

Obijcies 1.vina dulcia iuuant eductionem per ſputa,teſte Hyppocrate de rat.vict.par. 3. tex.4. vbi ſic inquit (ſputum autem alio efficacius educit quod dulce eſt) ergo vinũ dulce nõ obſtruit. Neq; eſt quod quis dicat iuuari eductionem per ſputa à vinis dulcibus tenuibus,nõ craſſis,Galenus enim in cit. loc. ſic inquit (ſputũ maximè omniũ vinorum dulce educit, vbi non ſupra modum craſſum fuerit) quibus patet per Galenum à craſſis etiam, & dulcibus vinis iuuari eductionem per ſputa. 1. Obiectio.

Reſpondetur huius difficultatis ſolutionẽ ex profeſſo tradi ab eodem Galeno in Hyppocr.loc.cit.in tex.2. vbi à craſſis, & dulcibus vinis lienẽ, & hepar obſtrui aſſerit, & tumefieri, non autem pulmonem, cum bronchia craſſum habent humorem; quinimmò horũ humorũ facilior reddatur ſpuitio per vini dulcis potũ. Quia in hepate,& liene admodum exiles venæ continentur, per quæ tranſiens craſſum vinum, ſeu ex vino productus humor vini naturã referens craſſam, neceſſario moratur,& inflat;at ab his partibus vinũ iam elaboratum, attenuatum, & confectum in amplam bronchiorũ irruit capacitatem,& quia ampla sũt ſpatia,non obſtruit vinũ dulce craſſum;legendus Galenus loc.cit. & de attenuan. vict.rat. c.vlt.& de ſuccor.bonit. & vit. c.11. quibus in locis admonet Galenus ad ſputa educẽda competere vinum dulce,craſſum quidem,non craſſiſſimũ, vbi non adſit inflammatio,vbi cõcoctio adſit peripneumoniæ,& pleuritidis,vbi non Reſponſio. Cur vina dulcia craſſa nõ obſtruãt pulmonem, & bronchia,& adiuuẽt ſpuitionem.

fuerit

fuerit vitiũ iecoris, lienis, & renum; Itemq; ratio aſſignatur, Cur à dulci vino facilior reddatur ſputitio ex pectore; quia nimirum mediocriter attenuat, & craſſefacit, prout ad eductionem ex pectore requiritur, ex quo difficulter tum aquoſi ſatis, tum ſatis è contra viſcoſi eijciuntur humores tuſſis vi, & expuitione per tuſſim. Atq; hinc eſt in picrocholis, & in his, quibus ſitim facit vinũ dulce, ſputa nõ educere, vt Hyppocrates docet tex. 5. quia in his ſputa redduntur viſcoſa ſatis, nec idonea ad eductionem.

2 Obiectio. Obijcies 2. Vinũ dulce etiam craſsũ, eſt cauſa deiectionis alui, vt oſtendit Hippocr. loc. cit. de rat. vict. par. 3. tex. 2. dũ inquit (atque quouis alio facilius per inteſtina deſcendit) qđ idẽ patet ex Gal. 6. de ſanit. tuen. c. 7. circa princ. & 2. de alim. fac. c. 22. quibus in locis dulcia vina inter ea cõnumerat, quæ aluum deijciunt, & ventrem molliũt, qđ apertiſſime aſſerit de ſucc. bonit. & vit. c. 11. in med. ita inquiens. (dulcia autem vina, craſſaq; qđ aluũ ſubducant, nullus fere eſt, qui ignoret) ergo vinũ dulce licet craſſum non eſt de genere obſtruentium, ſed laxantium, & aperientium.

Reſponſio. Reſpondetur negãdo conſequentiã, ipſe .n. Hyppocrates loc. cit. paulo poſt ſubdit (ſuperius inteſtinum inflat, nõ tamẽ inferiori pro flatus ratione eſt inimicum) quare ſaltem ſuperius inteſtinum obſtruit copia flatus craſſi, quem efficit; quã ob cauſam non eſt inimicum inferiori inteſtino, vt Galenus in hunc locum explicat, quia cum ad inferius inteſtinum venit, perfecte iã coctum eſt, & tenuatum, ſicut pariter dictum eſt de vino dulci craſſo cum ad pulmones peruenit. Cur autem vinum dulce aluum deijciat, vt ſciatur, legendus Gal. 1. de alim. fac. c. 1. ante med. vbi rationem aſſignat, ſic inquiens (eodem in genere quis poſſit ponere mora, dulcia ceraſia, & ex vinis, quæ dulcia ſimul ſunt, ac craſſa, pepones quoq; , & quos melopepones vocant; quod humidi ſunt, ac lenti, ventri ſubducendo ſunt idonei, facultatemq; mediocriter abſtergendi habent.)

Cur vinum dulce craſsũ ſuperius inteſtinum inflet. Et Cur aluum deijciat.

QVAE-

QVAESTIO NONA.

De Vinis nouis, & vetuſtis; De Vinis acribus, amaris, ſalſis.

PRæter vina acerbi ſaporis, vel auſteri, vel acidi, vel dulcis, de quibus dictum eſt, dãtur vina naturaliter acria, & amara; quæ ſaporum qualitates quia vetuſtate vinis adueniunt, vt dicetur, idcirco acrium, & amarorum vinorum doctrinã in quæſtione hac, in qua de vinis nouis, & vetuſtis agitur, exponimus. In qua etiã de vinis ſalſis aliqua ſubnectimus, quia amaris vinis ſunt ualde proxima, quæ natura, & facultate ſunt ſalſa uina; Neq; .n. artificio ſolum ſalſa fieri uina putandum eſt, ut putauit Ioannes Coſtæus lib. 2. de potu in morbis c. 7. ubi nullum etiam uuæ genus ſalſum naturaliter eſſe affirmat. Etenim naturaliter etiam gigni tum ſalſas uuas, tum alios generis omnis fructus, tum ex his uuis ſalſum uinum exprimi, ſeruari, & bibi, manifeſta conſtat experientia in Ciuitate quadam huius Regni Neapolis, quę Mãfredonia dicitur, olim à Rege Neapolitanorum Manfredo condita, & in Adriatico Mari ſita. Cuius tum agri, tum horti, tum uineæ plurimę ad litus maris poſitę ſunt, ita ut increſcens tantiſper mare, ſeu fluctuãs aliquantulum, tum hortos, tum uineas alluat, in quibus idcirco tum fructus omnes, tum uuæ, & conſequenter uina progignantur ſalſa. Id qđ fide digniſſimi, & eius Ciuitatis nobiles incolæ mihi teſtati ſunt; &, Ratio hoc idem manifeſte concludit. Si enim iuxta terrę varietatem varia gignuntur vina, & varias habent virtutes, & eas admirandas quidem, ratione diuerſi alimẽti, quod vites attrahũt, vt fusè demonſtratum eſt quæſt. 1. omninò concedendum erit à ſalſis locis ſalſum alimẽtum vites attrahere, ſalſaſq; vuas, & ſalſa vina ferre, ſaliſq; virtutes habentia, vt dicetur.

An detur vina naturaliter ſalſa, ſine artificio.

ARTI-

ARTICVLVS PRIMVS.

De Vinorum temporibus, & mutationibus:

c. Notabile. NOtandum primo, ſicut cetera omnia per ætates mutationem magnam accipiunt, & varietatem, ita & vina per ſua tempora quo ad conſiſtentiam, perſpicuitatem, colores, ſapores, odores permutantur naturaliter mirum in modum. Tria autem tempora vinis tribuuntur cõmuniter, & à Galeno 4. de compoſ. med. per genera c. 5. circa med. Alterum eſt, in quo nouũ vinum dicitur. aliud, in quo vetuſtum; & tertium, quod inter hæc duo tẽpora exiſtit medium. Sane tum nouorum, tum veterum vinorum, tũ mediorum magna eſt ſecundum magis, & minus differentia. maxime autem noua ſunt, quę muſta dicuntur, & adhuc feruent, & ebulliunt: quibus quæ proxima ſunt, dicuntur à Galeno recentia loc. cit. & nouella de ſucc. bonit. & vit. c. 11. quę ad potus vſum non ſunt adhuc vtilia. Cum enim vina ſunt ad potus vſum vtilia, & accommoda, ſunt in ætate media. valde vetera ſunt, ſiue antiqua, quæ tùm acria ſunt, tum amara, vt conſtat loc. cit. & 1. de antitodis c. 3. cir. princ. Amarus autẽ ſapor ab omnibus facillime guſtu dignoſcitur; Acris vero ſaporis nomine non intelligitur is, qui acidus eſt, & frigidus, ſeu auſterus, & aſtringens, vt quidam non ſolum noſtro ſeculo, ſed etiam Galeni tempore cum errore intellexerunt, quos falſos in vocabulis viros Galenus appellat 11. de ſimplic. med. fac. ſect. de pinguedine, & adipe ante fin. ſed per acre ſiue vinum, ſiue edulium Galenus tum loc. cit. tũ fuſius 4. de ſimpl. med. fac. c. 16. definit intelligendum ex communi omnium conceptu his verbis (quod fortiter dum guſtatur, excalfacit, veluti piper, pirethrum, naſturtium, cępa, allium, & id genus omnia.)

Quæ ſint vina noua.

Quę ſint vina medij temporis.

Quæ ſint vina ualde vetera.

Definitio ſaporis acris ex Galeno.

b. Notabile. Notandum 2. Vina omnia, quo magis ſunt noua, magis eſſe craſſa, & turbida; quo vero ſunt vetuſtiora, eo magis eſſe

tenuiora,

tenuiora,& magis perſpicua;vt patet experiētia, & teſtatur Gal.loc.cit.11.de ſimpl.med.fac.ſect.de pinguedine,& adipe,& fuſius de ſucc.bonit.& vit.c.11.his verbis , quibus vinorum etiam mutationes quo ad colores explicantur (vinis omnibus,quæ quidem nec craſſa valde,nec dulcia nimium ſunt,vt Therçum eſt,& Scybellites,commune id eſt,vt temporis tractu colorem flauū acquirant,& ſplendeſcentis nonnihil habeant, ignis inſtar . Nam nigra quoq; cuiuſmodi eſt apud nos,quod perperine prouenit,veteraſcentia in rubram prius, aut fuluam qualitatem, deinde in flauū quoq; colorē abeunt. Sic album quoq; quale eſt bithynum aminæum. inueteratū ita vinum cęcubum Romani vocant.)Amplius quo ad ſapores maxime tēporis tractu permutātur uina, vt conſtat experientia,& Galenus docet ſæpiſſime,potiſſimū 4. de ſimpl.med.fac.c.11. in fin.his verbis. (auſtera vero primum quidem tempore dulcedinem quandam,atque acrimoniam, depoſita adſtrictione,acquirere,ac deinde increſcente acrimonia,ſenſim dulcedinem deponere,ac ſubinde rurſum maiori tempore acria admodū euadere , aſſiduèq; amareſcere.) Atq; hæc omnia vera eſſe,experientia comprobat . Quamquam noſtro tempore tale eſt mangonum artificium tum in vinis,cū adhuc muſta ſunt, & feruent,vnà cū vinaceis ſtatuto quodam & ipſis comperto tempore retinendis;tum in vinis adhuc nouellis,& craſſis vel oui albumine, vel alumine, vel ſulphure,vel crebra trāſuaſatione, vel percolatione clarefaciendis,tū in nouellis cū acribus, & amaris vinis permiſcendis,vt nouella vina quo ad colorem,tenuitatem, perſpicuitatem,ſaporem,non amplius, ſed vetuſta appareant .

[Margin: De vinorum mutatione quo ad ſplēdorē , & colores.]

[Margin: Nigra vina quā{d}oq; flaueſcunt.]

[Margin: De vinorum mutatione quo ad ſapores.]

[Margin: Mangonum malitiæ , vt vina nouella videātur vetuſta.]

Notandū 3. has mutationes in vinis contingere non eodē tempore,in quibuſdam enim citius,in alijs tardius eueniūt. quæ .n. aquoſa ſunt vina,celerrime inueterantur,& quāprimū bibi poſſunt Galeno teſte 1.de antitodis c 3. & de ſuc. bonit.& vit.c.11.quibus in locis talia exēplificat eſſe Neapolitanū aminæum,albanū,quædam quæ in Thuſcis naſcuntur,

[Margin: 3. Notabile.]

[Margin: Quę vina cito inueterantur.]

Digitized by Google

tur, in Sabinis,in monte Gauro,& alia ſimilia,quæ in Aſia fiunt,vt Tibenum, Arſyinum,& Titacazenum,quibus omnibus profecto antecellit hac in re noſtro tempore Surrentinum,quod mazzacanum vocant vulgo, quod paucis diebus ſeptem circiter,aut decem feruet,debili amplius feruore,& poſt triginta circiter dies eſt ad potum idoneum. Quæ vero corpulentiora ſunt vina,non ita cito veteraſcunt,ac tardius etiam,ſi fuerint auſtera,vel acerba,adeo vt Galeno teſte 4. de compoſ.medic.per gener. c.5.poſt med. de auſtero vino, & corpulento ſic loquatur (ergo ætate medium potius eſt, quod plurimùm intra quinque & decem annos conſiſtat) & 1. de antitodis cap. 3. ſępius cit. de vino Surrentino ſic inquit (de Surrentino autem quid me dicere opus eſt,quod omnes iam ſciunt, ante annum ferme vigeſimum crudum adhuc eſſe,vigeſimo enim tandem anno viget,potuique aptum diu perſeuerat, nec facile amareſcit, præſtantiaque cum falerno contendit, contrariaſq; ijs diſpoſitiones aquoſum vinum ſubit,&c.)Cuius rei oppoſitum hoc noſtro tempore experimur,& multo antea experti pariter ſunt. Sunt enim noſtris etiam olim elapſis temporibus Surrentina vina contrarias ſubeuntia diſpoſitiones ijs,quas Galenus retulit; Etenim aquoſiſſima ſunt, acida tantiſper, & vix per annum permanent, quibus fere ſimilia ſunt quæ in proximis locis, Vico,Maſſa,oriũtur. Quinimo talia, de quibus Galenus meminit,vina,neque in hoc Regno Neapolitano,neque in alia Italiæ prouincia reperiri audio, & ſolum accepi à pluribus, in Hyſpanijs naſcentibus pueris, & puellis, vina eodem anno orientia ſeruari à parentibus vſque ad filiorum ſacerdotium, vſque ad puellarum nuptias. Plinius etiam lib.14. cap.4. vinorum meminit perdurantium vſque ad annos ducentum. Sed quidquid ſit de vinorum ætate, Certe admirationem affert, & inquirendæ tantæ mutationis cauſam tribuit,

Quæ vina tardò ueteraſcunt.

Cur

Cur vina Surrentina Galeni tēpore corpulenta, potentia, quæ diuturnũ requirebāt tēpus, vt potui eſſent apta. nunc contra eodē in loco Surrentino orientia, ſint tenuia, debilia, aquoſa, & minimo ad maturitatem, & vſum, indigeant tempore?

An fortè dicendum eſt, hoc proprium eſſe tēporis, vt longiori ſucceſſiui motus duratione, ſicuti depictæ delētur imagines, marmoreæ obſcurātur figuræ, turres, mœnia, ceteraq; ædificia diſſoluuntur, plantæ oēs, ne dum vites, exareſcunt, & tabeſcunt, pariterq; homines, & animalia oīa ſeneſcunt, ideoq; vim prolificam paulatim amittunt. ita etiā diuturno temporis ſpatio terra tum in germinando; tum in fructibus producendis debilis reddatur, & imbecilla. atq; idcirco Surrentinus ager Galeni tempore vina craſſa, & fortia producens, nunc noſtris temporibus aquoſa ferat, & debilia. *Cur Surrentinũ vinũ tēpore Galeni validiſsimũ, hodie debiliſsimum oriatur. 1. Reſpōſio.*

Sed contra eſt, quia ex hac ratione ſequeretur vbiq; locorum nunc vina debere gigni debilia, ob debilem redditā longo temporis curſu terræ vim productiuam. Neq; enim eſt ratio, cur ſolus Surrētinus ager ex longo temporis interuallo debilem ſortitus ſit vim productricem, non autem id pariter ceteris locis contigerit. Item ſequeretur vina Galeni tēpore aquoſa, & debilia, nunc omnino debere eſſe exoluta, contra experientiam; plurima .n. loca vina tulerunt Galeni tempore, & Hyppocratis, & nunc etiam ferunt generoſa; ut patet de vino cretico, quod uinoſum eſſe, & conſeqaenter generoſum teſtatur Hyppocrates de rat. uict. in acut. par. 4. tex. 43. quod idem noſtro tempore experimur; Et uini falerni generoſiſſimi ſœpiſſime Galenus meminit, potiſſimum 1. de antitodis c. 3. & 4. quod etiam noſtro tempore obſeruatur; Et uina aquoſa talia, qualia Galenus retulit, in Neapoli uicinis collibus oriuntur; non igitur temporis diuturnitas Surrentinum permutauit agrum, & uites, ut primùm, & anti- *Primę reſpōſionis impugnatio.*

quitus potentia, nunc debilia progignant vina. Quod etiam Ratio manifeſta demonſtrat. Etenim quæcumq; longo tēporis tractu diſſoluuntur, id ab extrinſecis, & intrinſecis patiuntur cauſis, potiſſimum elementis, ex quorum mutua actione corpora ſeneſcunt, & mixta reſoluuntur, ut fusè docuimus noſtra tract. de febribus q. 6. ſect. 1. art. 3. & 4. mutua autem elementorum actio, terræ, aeris, aquæ, ignis, ad mixtorum generationem eſt neceſſaria. quocirca cum eadem ratione & olim, & hodie miſcibilia elementa ſe inuicem alterent, & uniant, eadem perfectione fructus nunc à terra debent produci, nec ad ipſorum generationē terra debilis facta eſt, nec fiet ullo tempore, debita adhibita cultura, & diligentia, qua utebantur antiquitus. Quod mirificè cōfirmat Galenus omninò legendus lib. ſi quis optimus medicus eſt, eundem eſſe philoſophum; demonſtrans homines hodie fieri poſſe, ſi uelint operam nauare, quales olim naſcebantur, & euadebant inſignes, ut Phidias, Apelles, Hyppocrates, hac utens ratione his uerbis. (Nunc igitur naſci neminem, qui artis capax tā humanæ ſit, alienum à ratione mihi uidetur, Cum mundus idem ſit, qui olim fuit, anni tempora eundem ordinē ſeruēt, Sol circuitus ſuos nulla ex parte mutatos percurrat, deniq; quæq; ſtella ſiue fixa, ſiue errans eādem omninò ſtatus rationem retineat) alia igitur aſſignanda eſt ratio mutationis traditæ uinorum Surrentinorum.

2. Reſponſio Quam ne quis dicat eſſe, quod olim Surrentini nautæ ex partibus tum Calabriæ, tum ex ipſis proxima prouincia, quā Celentum hodie uulgo dicunt, Romam uehebant, ſicut hodie faciunt, fortiſſima uina, qualia ſunt, quæ uulgo Chiarellum, Centola, Vernacia, ſeu Guarnacia, & ſimilia. Et hæc à Galeno uocata fuiſſe uina Surrentina, non autem ea, quæ in Surrentinis locis, in quibus olim naſcebantur, ſicut hodie gignuntur aquoſiſſima.

Etenim Galenum legenti locis omnibus à nobis citatis, & citandis toto hoc opere, patere poterit uina denominari

ex

ex locis, in quibus oriuntur;quocirca Surrentina uina nuncupauit Galenus,quæ in Surrentino agro oriebantur, non quę à Surrentinis nautis aliunde inueherentur. Et hæc ipſa vina potētia,quę tum à Celento,tum à Calabria aduehuntur,eam naturam, quæ de Surrentino uino Galenus attulit, vt uigeſimo anno adhuc cruda eſſent,nullatenus habēt,immo poſt tertium,quartum,uel ad ſummum poſt ſextum mēſem commode ebibuntur,à nouellorum natura diſcedentia, & ad quatuor,uel quinque annos uix ſeruantur. Amplius ſi Surrētina uina,ſicut hodie,ita Galeni tēpore fuiſſent aquoſiſſima,ſicut hodie Romæ eorum habetur notitia, ita & Galeni tempore cognita eſſent,in Surrentinis autem agris uina aquoſa oriri nunquàm Galenus retulit.

Secundę reſpōſionis impugnatio.

Vera igitur huius rei ratio eſt hęc,Huius mutationis cauſam exiſtere,& extitiſſe hominum malitiam,& auaritiam. Cum enim talia uina fortia,& auſtera,& craſſa, nō niſi poſt longum tempus uendi poſſint,& ipſorum nō magna enaſcatur copia, propter auaritiam,& lucri cupiditatē factum eſt, ut ad uites inſerendas, & conſerendas animum,& operam tranſtulerint,quæ uinum ferant, quod cito bibi poſſit, & copioſius ab uuis exprimatur,tale eſt aquoſum uinum. Atque hanc rationē mihi caupones, & mangones uinorum confirmarunt, qui etiam teſtati ſunt,hanc ob cauſam maximam uinorum aſpriniorum in Campania,& prope Neapolim eſſe prouentum,quia tales vuæ, quod acidæ ſint, latronum non ita ſubijciuntur inſidijs, & copioſius ferunt vinum. contra uero accidat de vitibus, & uuis græcis noſtro tempore uocatis, quibus idcirco ab agro Atellarum fere eſtirpatis, & aſprinijs inſertis uitibus, non amplius in hoc agro uinum græcum, ſed aſprinium progignitur.

Vera reſpōſio, & ratio quæſiti.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De Vinorum nouorum, & vetuſtorum Viribus, & vſu.

1. Concluſio. An vina noua calefaciāt nutriant, vrinas cieant.

PRima Concluſio. Vina quo magis fuerint noua, ſi cum antiquis vinis comparentur eiuſdem generis, eo minus calefaciēt, minuſq; nutrient, & minus vrinam ciebunt. Eſt recepta ab omnibus, & expreſſa Galeni in lib. Hyppocr. de natura humana com. 1. in tex. 36. vbi docens Hyppocrates pituitam humorem frigidum, & humidum hyeme augeri tum à copia pluuiarum, tum à noctis longitudine, quæ frigidi & humidi ſucci ſunt cauſa, Galenus in fine commenti ſic ſubdit (immo etiam quam multi ſunt, qui nouum vinū bibūt opportunum & ipſum ad propagationem pituitæ.) & de ſucc. bonit. & vit. c. 11. ſic inquit (iſta neutiquā excalfaciūt donec nouella ſint: ſiquidem tantum abeſt vt ad ciborum; concoctionem conducant, vt vel ipſa ægrè concoquantur; præterea nec aluum ſubeunt, nec facile diſtribuuntur, neq; vrinas mouent, nec ſanguificationi, nec nutricationi conferunt. tum in ventre diutius morā trahunt ſuſpenſa vt aqua: ſique de his paululum quis biberit, prompte id aceſcit) quibus omnibus tum quæ ponit Concluſio, tum alij longè plures vini noui effectus à Galeno docētur ex quibus ſumitur.

Varij & plures effectus vini noui ex Galeno.

Probatio cōcluſionis.

Ratio demonſtratiua Concluſionis. Cum enim noua vina facile aceſcant in ventriculo, vt Galenus docet, & veriſſima experientia comprobatur, ſequitur manifeſte ea eſſe potius naturæ frigidæ, & minus calefacere quam vina antiqua, eſt enim ſapor acidus frigidus, vt dictum eſt ſupra q. 7. Itē cum ægrè concoquātur, frigidam oſtendunt naturam vina noua. frigida enim difficulter concoquūtur, vt ſatis patet. Fit enim coctio vi caloris. Amplius muſtum eſt turbidum, fęculentum, quia multas habet portiones terreas, & conſequenter frigidas admixtas, ergo potius eſt frigidū reſpectu vini antiqui.

Tandem

Tandem vinum nouum,multoq; magis muſtum flatuoſum eſt,adeo vt dolia inflata rumpantur,manifeſta teſtãte experientia,& Galeno lib.de multitud.c.8.vbi ita inquit (ſed ſæpe dolia quoq; à muſto inflata tentionis violentia rumpi videmus) & in 1.Epidem.Hyppocr.par.1.com.9.in fin.vbi pariter narium venas rumpi à ſanguine docet,ac dolia rũpuntur à muſto;ita loquitur (Atqui nil habet admirationis ſi recludantur huius regionis venæ à ſanguine, qui ſurſum incitatus calore effertur, à quo neceſſe eſt ipſam inflari, ac tum reſerari venas,ac rumpi,ob ſpiritus copiam,qui dirumpit vel vtres,ac dolia,cum in muſto efferueſcẽte ac cumulatur) ſed flatus cauſa eſt calor debilis,reſpectu vigentis caloris fere frigidus, vt fusè ex Galeno docebimus, & demonſtrabimus noſtra tractatione de deiectionibus alui,quæſtione de generatione ſpiritus flatuoſi. ergo vina noua reſpectu vini antiqui,quod mox calidiſſimum eſſe probabimus,ſunt minime calefacientia,& fere frigida.Vnde ſequitur vt ad ſanguificationem, & conſequenter ad nutritionem minimum faciant, & vrinas non moueãt,vt clare patet,quin potius diutius moram trahant,& ſuſpenſa maneant in ventre, vt inquit Galenus,qui etiam 8.de ſimpl.med.fac.ſect.cui titulus eſt(œnos, vinum)muſtum ponit in primo ordine calefaciẽtium,vinum in ſecundo,vinum admodum vetus in tertio.

Quomodo dolia repleta muſto rũpãtur,& pariter venæ ſanguine repletæ.

Secunda Concluſio.Vina vetuſta, potiſſimum acria, & amara sũt calidiſſima,& maxime eſiccãtia.Probatur cõcluſio

2.Cõclusio.

Primo Galeni auctoritatibus,qui non ſolum de acri, & amaro vino,ſed de omni edulio acri,& amaro ſic loquitur 4. de ſimpl.med.fac.c.18.poſt med.(ſcire autem oportet acres ſapores omnes,nam de iſtis agebatur,ſumme eſſe calidos,ac deinceps poſt illos eſſe amaros,deinde vero dulces)& c.15. poſt med.inquit (quin etiam amara quidem calida ſunt, ſed acria his etiam calidiora) & de ſucc.bonit.& vit.c.11. poſt med. ita inquit (ergo vetuſtorum adeo potus fugiẽdus,ſicut nouellorum nimium,hęc enim plus iuſto,iſta neutiquam excalfaciunt)

1. Probatio. An vina vetera, acria, amara, sint valde calida,& sicca.

calfaciunt) & in fine c.ſcripſit (at in vinis vetuſtiſſimum,qđ Romani,ſicuti diximus,cęcubum vocant,ab albo,auſtero,& nouello.craſſoq; vino tantum diſtat,vt alterum vehementiſſime calefaciat,alterū ſenſibiliter refrigeret,& 7.meth. c.4. habet hæc verba (calfeci autem omni ratione, vinum vetus ex eorum genere,quæ facultate valde calefaciunt, exhibēs, cuius maxime generis ſunt falernum,& Surrentinū) & 9. de ſimpl.med.fac.c.11.inquit (confeſſum eſt enim omnia vetuſtate fieri calidiora) quod idem habet 3.de ſimpl. med. fac. c.19.vini veteris meracioris potione vtens,quale eſt leſbiū, falernum,Surrentinum,contra venena frigida.& tādem 11. de ſimpl.med.fac.ſect.de adipe, & pinguedine, communem doctrinam ſtatuit tum vini,tum mellis, aceti,butyri, frumēti,olei cuiuſcumq; generis,adipis,& ſimilium,quæ omnia ſi inueteraſcant,non autem putreſcere anticipent,fiunt ſeipſis calidiora, & tenuiorum partium, & guſtantibus apparent magis acria.

Vina vetera valida valēt cōtra venena frigida.

4.Probatio.

Probatur Concluſio 2. Acris ſapor,ut ſuperiori art.notauimus ex Galeno,eſt,quod fortiter dum guſtatur excalfacit; Item amarus ſapor,vt experientia docet,cuius etiam meminit Galenus 4.de ſimpl.med.fac.c.17.contingit rebus natura dulcibus,& calidis,vt melli,cū pluſculum in igne morantur,& calefiunt;quod idem licet cernere in pane, carnibus, & ſimilibus ſupramodum aſſatis,ergo ſignum eſt euidens à calore immodico amarum ſaporem proficiſci,& conſequenter uim ualde calefaciendi obtinere.Atq; hac de cauſa bilis flaua,quia calidiſſima,amara eſt.

5.Probatio.

Varij effect' vini acris,& amari.

Probatur Concluſio 3. ex effectibus uini acris, & amari, amara enim ſiccāt immodice Galeno teſte 7. meth.c.7. circa fin. quod certe ui calefactiua præſtat,ut ſatis patet; pariter uina acria,& uetera ſitim faciunt,ut docet experientia, & Galenus in ſe ipſo ſe expertum eſſe teſtatur in Hyppocr. de rat.uict.in acut.comm.4. in tex.2. quinimmo inexplebili cruciatos ſiti perijſſe refert eos, qui uetus uinum uſque ad ebrie-

ebrietatem hauxerunt, 1.de ſympt.cauſ.c.7. Amplius uinum uetus eſt cauſa febris, ut conſtat ex lib.de cauſ morb.cap.2. quamobrem hæc uina non concedit laborantibus febre tertiana Galenus 1.ad Glauc.c.9. ergo vina vetuſta, acria, amara, calefacientia ſunt admodum, & etiã eſiccantia, vini enim caliditati proportione reſpondet ſiccitas, vt docet Gal.8.de ſimpl.med.fac. ſect.de vino, vbi diſertis verbis hanc docet concluſionem.

Probatur concluſio 4. Experientia conſtat, cuius teſtimo- 1. Probatio.
nium fusè præbet Galenus lib.1.de antitodis c.3. Vina omnia non ſolum firma, ſed etiam debilia celerrime fieri vetera, ſi in cellas calidiſſimas deferantur, & vaſa, ſiue langænæ ſint, ſiue alterius rationis, herba fruticoſa calida, & acri valde contegantur, quod qua ratione comparari debeat, Galenus fusè docet, & ſimilem morem fuiſſe in multis Italiæ locis, potiſſimum in agro Neapolitano, & Neapoli vicino colle, quem Trifolinum appellant, cuius nominis Trifolini, & allatæ vtilis conſuetudinis non extat memoria apud nos. ſolũ in agris ad Veſeuum montem poſitis, mos eſt in cellis vinarijs, in quibus quod Græcum dicitur vinum, eſt repoſitum, vbi valde riget hyemalis aer, ignes accendere, cuius rei nullam ſciunt reddere rationem. quæ certe alia nõ eſt, niſi quia vi caloris adiuuatur vinum ad concoctionem eius, qđ crudũ eſt, quod calore citius, ac melius conficitur; ideoq; citius ita vinum redditur vetus, & acre; vnde palam eſt multo potiori iure hanc diligẽtiam vinis aquoſis, & debilibus deberi, qua tamen non vtuntur noſtri ab antiquis, & bonis regulis minima cum laude, maxima cum pernicie recedentes. Cum igitur, vt concludamus hanc quartam probationem, vi extrinſeci caloris vinũ celerrime reddatur vetus: neceſſario ſequitur vinum vetus eſſe admodum calorificum.

Qua ratione vina reddi poſſint cito vetuſta.

Cur in cellis vinarijs hyeme ignes accendãtur

Vnde infertur huiuſmodi vinum vetus frigidiſſimis corporibus competere, vt Galenus etiam docet 5. de ſanit. tuen. c.vlt.ante fin. vbi ita inquit (frigidis intemperantijs calidio-

Corollariũ. Quibus nam coueniat vinum vetus, & acre.

ra vina præbemus, at quod calidiſſimum quidem vinum eſt, id frigidiſſimis intẽperatijs eſt vtile, reliquis vero, quod portione reſpondet.) Item competere frigido ventriculo, vt cõſtat ex Gal. cit. probatione 1.7. meth. c. 4. & 7. meth. c. 7. ante fin. Item vbi craſſi & frigidi humores in venis abundant, ob eandẽ rationem, & Galeno auctore de ſucc. bonit. & vit. c. 11. vt fusè diximus q. 4. ante fin. quod etiam expreſsè docet 2. de alim. facult. c. 21. vbi ita inquit (quandoquidẽ ſuccus frigidus nõ acida, ſed acria poſtulat. vtraq; certe, & acida, & acria ſuccos craſſos incidunt, in eo tamen differunt, quod hęc quidem cum calefactione; illa autem cum refrigeratione id præſtent.) Hoc idẽ docet Auctor libelli de vinis.

3. Concluſio An vina amara nutriãt. & quomõ nutriant.

Tertia Concluſio. Vina amara parũ nutriunt, eoq; minus, quo magis fuerint amara. Hęc Concluſio clare colligitur ex Galeno 4. de ſimpl. med. fac. c. 9. & 10. quibus in locis docetur id, quod experientia manifeſta comprobat, eduliũ quodlibet, & nutrimentum debere eſſe dulce, amicum, & iucundũ naturæ, quale non eſt quodcumque amarum eſt; vt diximus etiam ſuperiori q. de vino dulci. & c. 20. ex profeſſo probat quæ amara ſunt, æſculenta non eſſe; quia amara ſicca ſunt, haud aliter quam cinis, puluis, calx. Sicut igitur puluis, cinis, calx, fauilla, quia ſicca ſunt, corpus animalis non valent nutrire, ideoq; ab animalibus non eſitantur; ita nec quæ prorſus amara ſunt, idonea ſunt ad nutriendum, nec ęſculenta ſunt, & conſequenter vina quo magis erunt amara, eò minus nutrient.

1. Cõfirmat. Cur amara corpora nõ putreſcãt, & putrida enecẽt animalia

Confirmatur 1. quia idcirco amara corpora minime putreſcunt violenta putredine, & minime apta ſunt ad vermiũ generationem, & ſimilium animalium, quæ ex putri materia procreantur; quin etiam à putredine vindicant, & vermes, & ſimilia animalcula enecant; quia ſicca ſunt. ad putredinem enim, & ad generationem ex putri, apta ſunt mixta humida, vt fusè docuimus noſtra tract. de febribus q. 6. ſect. 2. art. 4. & ſect. 3. art. 2. prob. 4. & ad 1. obiect. pariter igitur cum ſimilis

milis ſit generationis,& nutritionis materia: amara nō ſunt ad nutriendum commoda ſubſtantia, & conſequenter vinū, quo magis fuerit amarum, eo minus nutriet.

Confirmatur 2. experientia Lacus Palęſtinæ in caua Syria,quā Galenus loc.cit.4.de ſimpl.med.fac.c.20. tradit his verbis (nullum in eo neq; animal, neq; planta ineſſe conſpicitur,immo cum duo in eum fluuij confluant longe maximi, piſciumq; copia ſcatentes, maxime qui prope Ierichontem fluit,quem Iordanem nominant, nullus omnino piſcium fluuiorum oſtia excedit;at ſi captas quis in Lacum inijciat, celeriter mori cōſpicit, adeo eſt omnibus tum hominibus tum plantis inimicum quod exactè amarum eſt,& quod ſqualli-dum pariter & ſiccū eſt, atq; natura velut fuliginē ab exaſſatione referens; quamquàm ne illius quidem ſtagni aqua exactè amara ſit)quibus clare patet vinum amarum pariter eſſe inimicum,eoq; magis,quo magis fuerit amarum,& conſequenter minime nutrire. — 2. Cōfirmat. Cur in lacu Palęſtinę nō detur aliqđ piſcium genus.

Atq; hinc colligitur 1. vinum amarum non competere corpori ſiccæ temperaturæ,etiam ſi frigiditas ſit adiuncta, vt de frigido, & ſicco ventriculo expreſſe docet Galenus 7. meth.med.c.7.vbi frigido,& ſicco ventriculo concedit omne vinum vetus præter amarum, quia amarum vinum immodicè eſiccat. — Quibus cōueniat vinū amarum.

Colligitur 2. amarum vinum vtpote minime nutriens,nō competere in ſyncope,in qua opus eſt valida nutritione, vt fuſius dicetur infra in propria quæſt.

Colligitur 3.inconſultum eſſe adagium illud,quod Neapoli ſœpe audiuimus,Vinum amarum habeas tibi charum. — 1. Obiectio.

Obijcies 1. contra primam concluſionem ad probandum muſtum eſſe calidius vino medij temporis,& vetuſto. Muſtū habet plurimos vini ſpiritus admixtos,quos non habet vinū medij tēporis,nec quod vetus eſt,ergo eſt calidius, magiſq; calefaciens muſtum. Antecedens ex eo clare liquet; feruet enim,& ebullit muſtū ob vini ſpiritus calidiſſimos, à quibus

Cur muſta ebulliant, & alia magis alia minus ferueant.

concoquuntur, & conficiuntur aquoſa, & cruda recrementa, quæ in vino ſunt admixta, quibus etiam ſpiritibus euaneſcentibus, muſtum feruere deſinit, eſt igitur ſpirituum vinoſorum copia maior in muſto. Cõfirmatur antecedens primo quia hæc eſt ratio, cur quædam muſta, vt Mazzacana Surrẽtina noſtri temporis paucis diebus ebulliant, decem circiter; alia vero contrà, vt Græca montis Veſeui, duobus fere menſibus, quia illa aquoſa ſunt, ac minus ſpiritibus affluentia; hæc contra vinoſa, ac plena ſpiritibus. Cõfirmatur 2. expreſſa Galeni auctoritate 4. de ſimpl. med. fac. c. 11. vbi ſic inquit (Nam ex quibuſcumq; pomis ſi ſuccum exprimas, eum protinus non ſecus atq; muſtum feruere deprehendes, tanto tamen feruoris diſcrimine, quanta erit vnius fructus ab alio in calore diuerſitas. Sed vbi iam quod aquoſum, ac ſemicoctũ erat, tranſmutatum fuerit, atque confectum, & is, qui feruorem concitabat calor euanuerit, iam tũ deniq; quæ propriæ ſunt ſuccorum proprietates, ſinceræ conſpiciuntur.) Confirmatur 3. experientia, quam accepi à viris fide dignis, quique empiricam plurimam habent vinorũ obſeruationẽ, Hi igitur teſtati ſunt in falernis campis, & locis proximis, falerno vino efferuẽte, vel alio ſimili & loco, & natura proximo vino, per pileum vitreum dolij foramini ſuperimpoſitum ſubſtantiam fuiſſe collectam non abſimilem ei, quam aquam ardentem vocamus, & colligitur vino per deſtillationem chymicam in ſublime elato, & in meteoron redacto; quod artificiũ & cõmune, & notum eſt noſtro tempore. qua etiam ſubſtantia ſeruata, eidemq; vino denuo admixta, vbi non ſolũ efferbuerit, ſed etiam à fœcibus fuerit expurgatum, & permutatum, vinum euaſiſſe valentius, & quod ad longiſſimũ tempus fuerit ſeruatum. Cum igitur in uino medij temporis, & uetuſto talis non adſit uinoſus ſpiritus talis ebullitionis cauſa, ſequitur muſtum eſſe calidius.

Quæ ſubſtãtia poſſit colligi feruẽte muſto, & ad quæ valeat.

Reſponſio.

Reſpondetur optime probari in muſto eſſe plurimos uini ſpiritus; illi tamen, nec firmiter hærent, & euolant, & pluri-

ma

ma etiam ſimul in uino muſto exiſtit copia partium crudarum, ut ex ipſo Galeno cit. patet, ut non mirum ſit, ſi idcirco calidum non ſit muſtum, ut concluſum eſt, ſed frigidũ reſpectu uini ueteris, qđ quo uetuſtius eſt, eo minores habet portiones crudas, & ſemicoctas, & conſequenter eſt calidius.

Obijcies 2. Muſtum lubricat aluum, ut patet experientia, & Galenus teſtatur de ſucc. bonit. & uit. c. 11. inquiẽs (ſicuti muſtum quoq; quod ſcilicet flatuoſum ſit, & concoctu difficile, & craſſi ſucci, id unum in ſe boni continẽs, quod aluum emolliat) ergo eſt muſtum de genere laxantium, & urinam cientium, contra concluſionem primam. Item eſt magis nutriens muſtum quam uinum uetus, quod eſt tenuius; ad nutritionem enim facit craſſities, nõ tenuitas, ut ſæpius docuimus ex Galeno præcipuè q. 4. 2. Obiectio

Reſpondetur muſtũ cũ craſſi ſit ſucci, ut conſtat ex dictis, & ex Gal. de attenuante uict. rat. c. 12. per ſe eſſe concoctu difficile, frigidum, & flatulentum; & conſequenter per ſe non lubricat aluum, quin potius aſtringit, potiſſimũ ſi auſterũ ſit, ut patet ex medicamẽtis ſtomaticis ex muſto, quæ fusè Galenus deſcribit 6. de ſimpl. med. fac. c. 1. ubi etiã muſti aminæi mentionem habens, docet magis aſtringere ultimum. quod enim primò fluit, eſt aquoſius, & liquidius. per accidẽs igitur aluum lubricat muſtum; Vel quia quod ineptum ſit ad nutritionẽ, expellitur deorſum; vel quia idcirco quod ineptũ ſit, qualitate noxia irritat ad infernam deiectionem; vel quia vim habet detergentem, qua ratione diximus ſupra ex Gal. vina dulcia aluũ ſubducere, & idem dicendũ de muſto dulci, vt patet ex Gal. cit. in obiectione, & clarius 2. de alim. fac. c. 9. vbi inquit (quidam autem ad eundẽ vſum muſtũ quoq; idq; dulciſſimum bibunt, id enim maxime ſubducit) peculiare igitur eſt muſto dulci, ſicuti vino dulci, citare aluum, licet craſſum ſit muſtum, ſeu vinum, vnde non ſequitur eſſe muſtũ dulce aperitiuum, & calidum; neq; etiam bene nutriens, licet ſit craſſæ ſubſtantiæ. craſſities enim ceteris paribus, valens Reſponſio. Muſtũ præcipuè auſterum eſt adſtringens. Quomodo muſtũ lubricet aluum.

eſt

eſt ad nutritionis effectum, in ſubſtantia vero frigida nutritioni obeſt; quo enim alimentum frigidum eſt craſſius, eo magis reſiſtit alendo corpori, vt clare patet ex phyſicis.

3. Obiectio. Obijcies 3. omnia, quæ ſeneſcunt, per ſenectutem fiunt frigida, vt patet experientia in hominibus, & animalibus omnibus, & ex Galeno docuimus noſtra tract. de temperamentis q. 7. art. 2. & 3. ergo vina ſi veteraſcunt vere, per vetuſtatem fiũt frigidiora, & cõſequẽter falſa prima, & ſecũda cõcluſio.

Reſponſio. Reſpondetur ſenectutẽ dupliciter accipi poſſe, primo proprie, pro ut eſt ætas vltima hominis frigida, & ſicca, vt Galenus expreſse docet 5. de ſan. tuen. c. 9. inquiens in fin. c. (eſt enim id, quod omnes homines proprie ſenectutem appellãt, non aliud, quam frigidum, & ſiccum corporis temperamentum annorum multitudinis ratione proueniens) & ſub hac acceptione vina non vocantur à nobis, neq; à Galeno vetera, hæc enim vt probauimus, non ſunt frigida ſed calida valde, quin etiam primo de antitodis c. 3. prope fin. hæc habet verba (ab omnibus dici ſolet ſeneſcere cetera temporis diuturnitate præter vina.) Secũdo accipitur ſenectus improprie pro vini peculiari ætate, & vini temporis diuturnitate quadam, quæ certe vino denegari non debet, & concedenda eſt, ſicuti etiam melli antiquo, oleo, & ſimilibus ſolet tribui ſenectus; & ex hac ſenectute impropria nihil contra cõcluſiones colligi poteſt, quæ enim improprie dicuntur vetera, ſolẽt eſſe calida, vt mel vetus, oleũ vetus, vinũ vetus, & ſimilia.

Quomodo vina dicãtur vetera.

4. Obiectio. Obijcies 4. coctio fit vi, & ope caloris, ſed calor idem apparet, quo ad ſenſu percipi poteſt, in muſto, & in vino veteri; non igitur vinum vetuſtum eſt magis concoctum, & magis calidũ vino muſto contra primã, & ſecundã cõcluſionẽ.

Reſponſio. Reſpondetur obiectionem optimè concludere de calore actuali, qui quo ad ſenſum idẽ fere videtur eſſe in vino nouo, & veteri; de quo nos non loquimur; nihil autem probare de vini calore virtuali, & inſito, de quo à nobis eſt ſermo, & à quo vinũ concoquitur, & perficitur, non ſecus ac à vi propria,

Vinis nouis vina vetera ſunt calidiora calore virtuali, non actuali.

pria,& forma propria cetera habent, vt ſe perficiant;& animalia vt ſe nutriant,augeant, &c. Cum igitur intrinſeci caloris vi vinum vetus tenuius ſit redditum, magiſq, expurgatũ à fœcibus, & terreſtribus partibus frigidis naturà, ſequitur intenſius ab eo nos poſſe calefieri,quam à vino nouo,& hac ratione nouis uinis eſſe calidiora quæ vetuſta ſunt; quod eſt ueriſſimum,& Galenicum,ut conſtat ex dictis ſupra quæſt.3. ad 2. obiect.

Obijcies 5.Galenus 4. de ſimpl. med.fac.c.7.ante ſin.teſtatur ſe expertum eſſe quædã dulcia,acria,& amara aperte refrigerantia,ergo acris,& amarus ſapor non ſunt excedenter calidi. Reſpondetur ex eodem Galeno patere ſolutionẽ, talia enim refrigerant ratione aliorum admixtorum ſaporũ, qui natura ſunt frigidi,ut eſt ſapor acidus,auſterus,acerbus, qui ſuperant acrem, & amarum ſaporem, ut conſtat exẽplis à Gal. adductis. huiuſmodi.n sũt mala punica,mala,pruna, uuę,mora,ficus,ceraſia,& ſimilia,in quibus ſi ſit amaritudo, ea leuis eſt, quæ ab acida, uel acerba qualitate obſcuratur. 5. Obiectio. Reſponſio.

Obijcies 6. contra tertiã concluſionẽ.Aqua maris amara eſt,in mari tamen & piſcium,aliorumq; fructuum, & herbarum plurimarum ingẽs copia,quæ gignitur,omnibus eſt notiſſima; non igitur amarities & uiuentiũ generationi, & nutritioni obeſt, ut uidemur uoluiſſe concluſ.3.Adde plurimas eſſe herbas,plurimaq; ſimplicia, quæ ex uiuentium ſunt genere,amara,quæ numerat Gal.4.de ſimpl.c.7.in fin. & omnibus innoteſcit aloe,abſinthium,quo amariora ſunt ariſtolochia,gentiana,centaurea,& alia multa,ut teſtatur Auctor libelli de cura icteri. 6. Obiectio.

Reſpõdetur nolle nos omnia amara eſſe aduerſa generationi,& nutritioni; ſed quæ prorſus amara ſunt,& exacte: & ea minus nutrire,quę magis ſunt amara.(aqua uero marina, ut inquit Gal. loc.cit.4.de ſimpl.c.20.ſalſa potius eſt quam amara, plurimũ in ſe habens aquæ potabilis, id quod etiam ab Ariſtotele olim eſt demonſtratum) quocirca non mirum Reſponſio. Cur in mari gignãtur piſces.

eſt

eſt ſi in ea piſces gignantur, & nutriantur, & augeantur. Simplicia etiam enumerata cum ſint ex uiuentium genere, neceſſario ſunt humida, nec exactè amara; quod neceſſario eſt ualde ſiccum. Verum nos non de omni uiuente, ſed de animali loquuti ſumus, cui minime ſunt idonea nutrimenta hæc,& ſimilia amara ſimplicia,& amarum uinum.

Corollariũ.

De vini ſalſi viribus, & effectibus.

Ex his colligere licet, quæ ſint ſalſi uini uires, ſiue illud naturà ſit ſalſum, quale diximus initio huius quæſtionis gigni in huius Regni Ciuitate Manfredonia;ſiue ex arte paratum ſit,uel ſale,uel marina aqua admixta. Eſt enim nutriens uinum ſalſum magis quam amarum; ſicut & nutrientes ſunt cibi ſale conditi 3.de alim.fac.c.41.item maris fructus ſalſi. Item calida & eſiccantia ſunt ſalſa uina.talis enim eſt uis ſalis experientia docente,& Galeno teſte 4.de ſimpl.med.fac. c.21.&loc.cit.3.de alim.fac.c.41.ubi ita inquit(ſalis namq; facultas, ut in opere de ſimplicibus medicamentis demonſtrauimus eſt compoſita,nam corporum,quibus admouetur, humores ſuperfluos tenuat,& digerit,& præterea corpora ipſa cogit in ſeſe,ac condenſat) & idem docet de attenuante uictus rat.c.3.ubi attenuandi,& incidendi uim tribuit nõ ſolum acribus,& amaris,ſed ſali, eoq; magis ſi cũ attenuantibus miſceatur,quale eſt acetum,mel,non ſic ſi cum oleo, oleribus alijſq; cibis humidis; quorum natura eſt imminuere incidentium robur. Vnde fit ualere mixtum uinum marina aqua,ad induratas ſplenis affectiones,& ad hydropicos, ſi ijs à balneo exhibeatur cum ſalſamento ſine pane, ut Galenus docet ex Gortyniate,& Aſclepiade,lib.9.de compoſ. pharm.ſecũ.loc.c.2.in med.quia attenuat, & digerit humores.Ex quo poſſunt intelligere tum medici noſtrates,tũ hypochondriacis,ſpleniticis,& ſimilibus affectibus laborãtes, quam male,& quanto cum detrimẽto à balneorum uſu naturalium,quæ tum Puteolis, tum in Inſula Aenariæ habentur contra has,& ſimiles paſſiones;aquæ frigidæ potu utantur. Hac etiam de cauſa ad uulnera ualent, & ulcera uina

De vini ſalſi potu à balneo, in ſpleniticis, & hydropicis.

ſalſa,

ſalſa, ſi inflammatio non adſit, ſi ea lauētur huiuſmodi uino, vel certe madens ſpongia ſuperimponatur, Galeno docente 2. ad Glauc. c. 1. ante med. quia abſtergendi vim habet, & conſtringendi vulneratam particulam Sal, & eſiccandi etiã. Qua de cauſa noxium eſt ſitiētibus ſalſum vinum, à quo incenduntur bibentes, vt Gal. fusè docet de rat. vict. comm. 4. in tex. 1. Tandem ſalſa vina pruritum excitant, & ſalſos humores generant, ac melancholicos; talis enim eſt ſalſorum natura, vt Galenus docet 2. de ſympt. cauſ. c. 6. init. 1. de aliment. fac. c. 18. circa med. & 3. de loc. aff. cap. 7. ante med. & comprobatur experientia. Scabie enim pruritu, & ſimilibus corripiuntur affectibus, qui in Ciuitate Mãfredoniæ vina bibunt naturaliter ſalſa, quorum Galenus etiam non meminit.

Vini ſalſi vſus ad vulnera, & vlcera.

Vinũ ſalſum noxiũ ſitientibus & melancholicis.

QVAESTIO DECIMA.

De vino odoro, & inodoro.

EXplicatis differentijs vinorum deſumptis à tenuitate, & craſſitie; à ſaporibus; à facultate; & à vini ætate; vnde horum omnium, colorumq; potiſſimum fit in vinis mutatio: quæ ab odoribus vina diuerſitatem recipiunt, remanēt explicanda: de quibus nonnulla ſcitu ſunt digna; vt an vina ratione odorum nos per ſe iuuent, & lædant. An ſint odorata vina calida. Quomodo nos nutriant. An caput lædant; quæ, nobis conſueta, & peculiari in rebus medicis pertractandis, methodo, vt exponamus, ſit.

Prima concluſio. Vina ratione odorum, ſeu potius odores vini non per ſe, & proprie, ſed per accidens iuuant, vel lædunt noſtra corpora. Eſt expreſſa Galeni 3. de ratione victus in tex. 2. circa fin. vbi ſic inquit. (ceterum inter proprias vinorum differētias, quædam iuuant, lęduntq; propria ratione; aliæ non per ſe, proprieq; ſed per accidens; dulcedo quidem & auſteritas propria ratione, ſic tum potentia, tum im-

1. Cõcluſio. An odores vini per ſe lædant, vel iuuēt, an per accidens.

becillitas, tum tenuitas, tum craſſities; ſed differentiæ, quæ tum colore, tum odore deſumuntur, non primum, ſed per accidens.) Hæc Galeni opinio nõ placuit Ioanni Coſtęo lib. 2. de potu in morbis c. 8 & c. 29. vbi de vino inquit illud agere tum ſubſtantia, tum qualitatibus, qualitatibus quidem primum omnium odore, quem non bibendo tantum, ſed antequam etiam hauriatur, naribus attrahimus.

Probatio. Probatur concluſio. Effectus quilibet, qui à vino odoro prouenire dici poteſt, is non à vino vt odoro, ſed vel vt calido vel frigido, vel tenui, vel acri, vel valido, vel huius, illiuſue facultatis, & ſubſtantiæ; vel ob aliam ſimilem cauſam, proficiſcitur; ergo vini odor ſecundum ſe, & proprie nil valet ad noſtri corporis immutationem, ſed tantũ per accidẽs, prout ſcilicet odorum vinũ eſt vel aquoſum, vel potens, vel tenue, aliaſue ſimiles qualitates obtinẽs, quæ per ſe nos immutãt.

1. Cõfirmat. Confirmatur. quia ſecũdum Coſtęum vinis odoris per ſe tribuitur virium refectio, & animalis ſpiritus inſtauratio in ſyncope, qua in re præcipuum locum odoratum vinũ tenere putat: contra vero male odorata vina ratione praui odoris quaſi venena ſpiritus oblędere. Item vina odora caput maximè lędunt. Sed hæc, & ſimilia non ratione odoris, nec per ſe fiunt ab odoris vinis, ſed ob aliam rationẽ, ergo odor per ſe nihil efficit. Cum enim odor ſit qualitas ſecunda, vt vera, communis, & peripatetica eſt opinio, vt conſtat ex Ariſt. c. 5. de ſen. & ſenſil. per ſe non præſtabit virium refectionem, & ſpirituum; quorum generatio fit ex ſubſtantia, qualis non eſt odor per ſe, ac formaliter; Item nec valebit odor per ſe ad capitis repletionem, quæ etiam effectus eſt ſubſtantiæ quãtitate affectæ, cui per ſe cõpetit loci occupatio, & repletio, vt patet intelligenti.

2. Cõfirmat. Confirmatur amplius. quia odori ſecundũ ſe nõ conuenit calefacere, nec refrigerare, cum odora vina ſint quandoque frigida, quandoq; calida, vt ſequenti cõcluſione probabitur, Item ob hanc rationem vinis odoris per ſe non cõuenit nec ape-

aperire, nec aſtringere, nec nutrire, quod eſt proprium ſubſtantiæ, ergo nil vinis odoris primo, & per ſe conuenit, ſed tantum per accidens.

Obijcies auctoritatē eiuſdē Gal.4.de ſimpl.med.c.22.init. vbi ſic inquit de odoribus (ſanè pleriq; ſimiliter ſaporibus nos afficiunt) ſed ſapores in Galeni doctrina per ſe nos lędunt, & iuuāt; ergo etiam pleriq; odores in Galeni ſentētia. Obiectio.

Reſpondetur Galenum hoc loco non eſſe intelligendum, vt putat obiectio, ſimilem ſcilicet eſſe vim, & facultatē nos immutandi per ſe in ſaporibus, & odoribus, quibus ſolum per ſe conuenit immutare odoratus ſenſum, cuius eſt ſenſibile proprium. ſed voluiſſe Galenum odores, & ſapores, ſibi inuicem conſentire, in denotādis edulijs, ita ut quæ bene olēt edulia, iudicentur boni ſaporis, & eſui idonea, & quæ male olent, guſtare non aggrediamur. quę reſpōſio manifeſtè patet legenti Galenū, vnde nil ſequitur contra concluſionem. Reſponſio.

Secunda concluſio. Vina odora, vt odora, non ſunt intēsè calida, ſed quandoq; ſatis calida, quandoq; remiſsè. Eſt contra loquendi modum quorundam medicorū, qui indiſtinctè aſſerunt vina odora eſſe calida, & ſicca. 2 Concluſio An vina odora ſit calida.

Probatur concluſio. Primo, auctoritate Galeni, qui 4.de ſimpl.med. fac.c.23. idcirco docet, neq; ex odore, neque ex colore certo quid definiri de medicaminum temperie poſſe, quia vt init.cap.inquit his verbis (at quę odorata sūt, tenuia vtriq; ſunt, quadantenus & calida; verum eius tenuitatis, caliditatiſq; quantitas haud etiam indicatur) cum igitur per Galenū ex odore intēſio, vel remiſſio caloris in medicamento non denotetur: pariter nec in vino odor ſignificabit caliditatem intenſam, vel remiſſam certò, & conſequenter poteſt odor eſſe in vino ſatis calido, & remiſſam vim habente calefaciendi. 1. Probatio.

Probatur 2. experientia, Conſtat enim fere omnia vina Surrentina, debilia illa quidem noſtro tempore, plurimum eſſe odora, non ſic odoris ſenſum afficere, quæ ad Veſeuum 2. Probatio.

montem oriuntur vina potentia,& ualida; non igitur odor eſt calidi vini nota per ſe,& conſequẽter odorum uinũ non eſt per ſe ſatis calidum,ſed quandoq; remiſſe, & potius in uinorum genere frigidum. Confirmatur, quia acetum, roſa,ſandalum,violæ,odorem mittunt ſuauiſſimum, cum tamen tum ſubſtantiæ,tum odoris interuentu nos refrigerẽt. quin etiã de Licoperſio dicta herba quadam Galenus ſcribit 4.de ſimpl.med.fac.c.18. quam ex barbarica gẽte, & regione circa Aegyptum comportauerat Centurio quidam, ualdeq, grauis,& inamœni erat odoris, & refrigerare videbatur affectos urgentiſſimis articulorum doloribus.Item grauiſſimi odoris eſt cicuta Galeno teſte hoc eodem loco; quæ hominẽ refrigerat,ut habetur 3.de ſimpl. c.18. ergo ex odoribus vlla non poteſt fides odorabilibus tribui quo ad caliditatem, uel frigiditatem.

Cõfirmatio.

3. Probatio. Probatur 3. odoris natura eſt uaporoſa,ut Galenus aſſerit 4.de ſimpl.c.22.& aſſeruere antiqui quidam apud Ariſt. de ſen.& ſenſil.c.5.quos impugnat Ariſt.tum quia odor formaliter eſt qualitas ſecunda,non ſubſtantia,ſicut eſt uapor, & exhalatio.Tũ quia odor eſt ſẽſibile per ſe olfactus,exhalatio uero,& uapor cum ſint ſubſtantiæ, ſunt ſenſibilia per accidens. quæ argumenta,ut patet,optime probant formaliter odorem non eſſe uaporoſam ſubſtantiam;quod concedendum eſt,non autem arguunt,vaporem non eſſe materiã, & ſubiectum odorum, ſeu odores eſſe materialiter uapores, ſeu exhalationem,in quo ſenſu certum eſſe debet,loqui Galenum.loc.cit.ubi uapores cadere ſub odoratus ſenſum aſſeuerat,inquiẽs (reliquum fuerit de uaporibus differere:quippe cum huius ſenſibilium generis gratia odoris ſẽſum natura crearit.) Sed ad generationem, & eleuationem uaporũ, ſolum requiritur calor remiſſus,& debilis, non intenſus, ut fusè probabimus annuente Deo, tract.de excretionibus per aluũ,quæſt.de generatione flatuoſi ſpiritus, & manifeſta eſt doctrina eiuſdẽ Galeni 3.de ſympt.cauſ.c.2.& 2. ad Glauc.

An odor ſit vapor,&qua ſatione.

c.6.

c.6. ubi docet curationem flatuoſi, & uaporoſi ſpiritus, fieri per admodum calida reſoluentia. Ergo ad odorũ generationem non neceſſario requiritur calor intenſus, ſed ſufficit remiſſus, & conſequenter odor ſecundum ſe ſiue in uino, ſiue in alio mixto corpore, non neceſſario arguit intenſam caliditatem, ſed quandoq; remiſſam, & debilem. An calor remiſſus ſufficiat ad generationem vaporum, & odorum.

Obijcies 1. Galeni expreſsã auctoritatẽ 4. de ſimpl. c. 21. ubi ita inquit (recta ergo ratione quæcumq; odorata, eadẽ & calida ſunt, quippe cũ uaporũ copia à calore ꝓueniat) ergo. 1. Obiectio.

Reſpondetur hunc locum non obſtare, concedimus enim eſſe calida, caliditate illa, quæ ſufficit ad euaporandnm, quæ ut dictum eſt, remiſſa eſt, & debilis, non intenſa, quod contendit concluſio. Reſponſio.

Obijcies 2. eundem Galenum 3. de rat. uict. in tex. 20. ubi ſic habet (atqui quæ in uino hoc eſt carentia odoris, ea imbecillitatis, frigiditatiſq; efficaciſſima exiſtit nota, quippe in hoc aquæ eſt aſſimilis, non ſecus quam fortis odor efficaciſſimum roboris ſignum) quibus patet in Galeni ſententia odore vini caliditatem denotari, imbecillitas enim eſt à frigiditate, à caliditate robur. 2. Obiectio.

Reſpondetur ex hoc Galeni loco concluſionem omnino confirmari. patet enim legenti, hic loqui Galenum de vini odore, quod roboris ſit ſignum, non ſimpliciter, ſed reſpectiue ad vinum inodorum tenue, & pauciferũ, quod concedendum eſt. vinum enim inodorũ, tenue pauciferum, de quo loquitur Hyppocrates loc. cit. vt cõſtat legenti, eſt omninò frigidum, & imbecillum, vt Galenus ait, & conſequenter quod odorũ eſt, eſt vino hoc calidius, & robuſtius, & hac de cauſa Galenus inquit illa verba (atqui quæ in vino hoc eſt carentia odoris) ideſt in vino hoc paucifero, tenui aquoſo, carentia odoris omnem denotat imbecillitatem, quo conſequẽter calidius eſt vinum tenue pauciferum odorum, vnde nil cõtra concluſionẽ, quæ amplius confirmatur ex Gal. de attenuante vict. rat. c. 12. vbi ſic habet de vino odoro (at quæ odora ſunt, Reſponſio.

ſunt,& alijs calidiora,ea merito caput tẽtant) putauit igitur Galenus vina odora non eſſe ſatis calida,ſed quæ ſunt alijs calidiora,hæc caput tẽtare.ratione igitur odoris ſignificantur vina calidiora inodoris vinis, quæ ſunt ſimul tenuia, & paucifera; Atq; ex his colligitur cauſa altera carentiæ odoris in vinis,nempe frigiditas,& imbecillitas, vnde prouenit, vt vapores,qui ſunt odorũ materia,non excitentur, nec eleuentur,id quod accidit quibuſdam vinis pauciferis, vt dictũ eſt.Alia vero cauſa carentiæ odoris,eſt vini craſſitudo, quæ ſicuti & denſitas,euaporationem impedit, & conſequenter odorum emiſſionem;& hæc eſt ratio,Cur vina quædam fortia parum oleant. atquæ doctrina hæc veriſſima, eſt etiam expreſsa Galeni 4.de ſimpl.med.fac.c.22.in fin. vbi ſic inqt (ſi quidem craſſa vtriſq; eſſentia eſt, & adhoc acerborũ etiã frigida,quare veriſimile eſt,quod ab ijs defluit,paucum eſſe, & craſſum,& mole ſua terreum,ac proinde per inſpirationẽ in cerebrum nõ incidere) putauit enim Galenus in cerebro eſſe ſenſum odoratus, ad quem parum peruenit euaporatio materiæ craſſæ,ob rationes ex eodẽ allatas;Colligitur etiã, cur vina dum veteraſcunt,fiant magis odora;quia ſcilicet tũ calidiora,tum quod magis facit ad odoris generationem, tenuiora fiunt vina per vetuſtatem, ac ad euaporandum aptiora,euaporatione non craſſa, ſed tenui, quæ facile odoratus ſenſum permeet,& alteret.

Ratio carẽtiæ odoris in vinis pauciferis.

Ratio carẽtiæ odoris in vinis validis.

Cur vina vetera fiant magis odora.

3. Obiectio.

Obijcies 3. dantur odores acres,vt habet Galenus 4.de ſimpl.c.22. & 3.de rat.vict. habet quædam vina odorare inſtar aromatum,vnguẽtique, quędam ferientem habere qualitatem,ergo ſequitur primo contra primam concluſionem, dari odores vini per ſe nos lędentes,& iuuantes;ſicuti ratione acrimoniæ ſapores per ſe agunt in nos.& ſequitur ſecundo contra ſecundam concluſionem,odores ſaltem,qui acres ſunt,ferientes,vel inſtar aromatum,eſſe calidos.

Reſponſio.

Reſpondetur acrimoniam odoribus non per ſe cõpetere, ſed per accidens:per ſe enim, & proprie odoribus conuenit,

ſi boni ſint,bene olere,ſi praui ſint,graue olere; id quod ſe-cundum magis,& minus etiam præſtant. acrimonia vero & mordicatio odoribus conuenit per accidẽs,rationẽ qualitatis,& virtutis,quæ ineſt ſubſtãtiæ vaporoſæ,in qua eſt odor, quæ ſi poteſtate ſit ſatis calida,& attenuans, vt ſunt cœpæ, allia,& ſimilia,odoratus ſenſum mouet per ſecundam qualitatem,quæ eſt odor proprius cœparum, alliorũ, & ſimil. & mordicat per vim aliam ſatis calefacientem,& attenuantẽ; ſi ſit autem hæc vaporoſa ſubſtantia virtute ſatis frigida, & tenuis,qualis ex aceto acerrimo excitatur, per odoris aceti qualitatem olfaciendi ſenſorium mouet; & illud idem mordicat,& ferit per vim aliam,quam habet permeandi ſenſorij ſubſtantiam cũ ſenſu aſpero,qui non eſt ſenſus olfactus, ſed tactus,qui communis eſt omnibus ſenſibus.ita igitur diſtincto obiectionis antecedente, patet negandam eſſe primam conſequentiam: ſunt enim odores per accidẽs acres,aliqui vero ſapores per ſe sũt acres,& mordicãtes,vt acidus, acerbus,qui exaſperat linguam,& ſimiles. Ad ſecundam autem ſequelam dicendum, illam veram eſſe, aliquos ſcilicet odores,qui acres dicuntur,ſed improprie,& per accidens, vt dictum eſt,eſſe calidos. Concedimus enim in ſecunda concluſione aliquos odores poſſe eſſe intensè calidos, non effectiue,& per ſe iuxta primam concluſionem,ſed materialiter,& per accidens,ratione ſubiecti, & materiæ vaporoſæ, calidæ ſatis,non quidem actu,ſed virtute,in qua inſunt.

An acrimonia, & mordicatio per ſe competat odoribus.

Quomodo odores ſint intẽſe calidi

Tertia concluſio. Vina odora,quatenus odora, non ſunt copioſi nutrimenti. Sequitur ex dictis; ſi enim ſunt vina aliqua odora tenuia,& paucifera,hæc copioſum nutrimentum nequeunt præbere,vt ſatis patet ex ſæpius dictis,potiſſimum de vinis tenuibus,& craſſis,q.4.quamquam copioſius paulo nutriũt vina odora,tenuia,paucifera,quam inodora; tenuia, aquoſa; neque hac de re aliqua poteſt eſſe difficultas.

3 Cõcluſio.

An vina odora ſint copioſi nutrimenti.

Quarta concluſio. Vina odora ſunt boni nutrimẽti ratione qualitatis nutrimenti. Probatur primo, auctoritate expreſſa

4. Cõcluſio.

An vina odorata ſint boni nutrimenti.

preſſa Galeni de ſucc.bonit.& vit.c.11. circa princ.vbi ita inquit (at odorum quidem ad ſucci bonitatem præſtat) vbi eſt notandum, non dicere, ad ſucci copiam, ob rationem allatam præcedenti concluſione. Item aduertendũ eſt loqui de vino bene olente, quod ſimpliciter vocat odorum, ſicuti & nos etiam loquimur in concluſione.

2. Probatio.

Probatur 2. Ratione, odoratus, & guſtus, quo ad bonitatem, & malitiam, mutuo ſibi conſentiunt, vt patet tum in edulijs, quæ guſtui ſuauia, & ſimul bene olentia, ſi putrilagine corrumpantur, & male olere incipiant, quod odore offendant, protinus abijciuntur, nec guſtantur, tum in allijs, cępis, & ſimilibus, quæ ſicut ſunt guſtui acria, pariter & odorem acrem, & mordicantem emittunt, tum in acidis, & aceto ipſo, quod ſimiliter & guſtum, & odoratum mouet, vt fusè Galenus docet loco ſępius citato 4. de ſimpl.22. ergo ſicut à vino, quod ſuauis eſt ſaporis, optimum natura ſuccum elicit, pariter eliciet à vino ſuauis odoris; quia, vt dictũ eſt, quo ad bonitatem, & malitiam, odor, & ſapor ſibi conſentiunt, non quidem in omnibus guſtabilibus, & odorabilibus. ſunt enim roſa, thus, muſchus, & ſimilia olfactui ſuauia, guſtui amara, ſed in odorabilibus, & guſtabilibus edulijs, & quę ad nutriẽda corpora natura producit, quæ vocãtur odorabilia per accidens, ſcilicet ratione ſapidorum eduliorum, quorum ſunt nota, an bona ſint, & commoda corpori nutriendo, & omnibus animalibus competunt. illa vero vocantur odorabilia per ſe, muſchus enim, roſæ, & ſimilia odorantur ſolum ad delectationem olfactus, & ideo cũ ſolus homo appetat odores gratia voluptatis, odorabilia per ſe ſolius hominis eſſe propria, docuit Ariſtoteles de ſen.& ſenſil.c.5. Ex his cõſtat praui odoris vina prauos ſuccos gignere, & contrarios eſſe vinis bene olentibus. Eſt autem odorum diuerſitas, quæ in vinis cernitur, potiſſimum à terra, in qua aluntur vites; quæ, vt ſupra dictum eſt q.1. ſicut ob varietatem alimenti, ſapores varios obtinẽt, ita etiã varios obtinere poſſunt odores,

Quæ ſint odorabilia p accidens.

Quæ ſint odorabilia p ſe, & cur ſit hominis ꝑpria.

quos

quos pariter varios emittent vina,quæ ex vitium vuis exprimuntur. Variantur etiam odores vini; tum per ſua tempora; tum ex mutationibus extraneis; alium enim odorem habet vinum,ſi aceſcat;alium,ſi muceſcat;alium,ſi in vappã abeat, ſeu alia ratione mutetur; Tandẽ ex artificio;quo vario vtuntur mangones; tum in varijs odoribus; tum etiam ſaporibus vino tribuendis,magna cum fallacia, nobis ſane ignota ; & omnino damnanda,quod rebus,vt audio, pernicioſis vtãtur noſtris corporibus,in vinis ad corruptelam vergentibus,permutãdis,vt ſapores,odoreſue bonos præferant;huiuſcemodi ſunt,alumen,ſulphur,gypſum,pix,ſal,& ſimilia tum mineralia:tum ex plantarum genere,ex quibus vtilior; tum quo ad odorem;tum quo ad ſaporem,cum ea aromatica sũt, qualia ſunt cinnamomum,garyophilli,& ſimilia,poteſt vino gratia comparari,vt cõparari ſolet de induſtria ; qua ratione varijs modis vina condiuntur,ad varios morbos curandos, magna cũ vtilitate,vt videre eſt apud nõ paucos,præcipuè apud Arnaldum de Villanoua libello de vino. Illud certè non omittam teſtari,quod ſępe uidi, & obſeruaui. Vaſa quædam conflãtur artificioſè ex lignis cuiuſdam arboris, cuius copia eſt in ſiluis prope ciuitatẽ in hoc Regno dictam Altamuram , quæ plurimis iam annis elapſis ſub Sereniſſimæ domus Farneſiæ Principum gauiſa eſt dominio , ſub Sereniſſimis inquã Octauio,Alexandro verè magno, Ranucio , & hodie fruitur ſub Sereniſſimo Domino D.Odoardo Farneſio Parmæ, Placẽriæ,& Caſtri Duce Quinto,& Altamuræ Principe, & ſub eius Tutore,& Patruo Illuſtriſſimo , ac Reuerendiſſimo Domino D.Odoardo Farneſio Cardinale Ampliſſimo. Hæc inquam vaſa lignea ex arbore,(quam ibi vulgo,Nero,vocant) vino,quod per horam continuerint,odorem,ſaporemq; gratum tribuunt,qualẽ habent vina amarena nũcupata, multis ante annis inuenta; & fiunt, vino cuilibet ceraſiorum amarenorum,vulgo dictorum,ſed potius re vera acidi ſaporis ſimulq; auſteri,vel ſola carne manibus preſſa, & contuſa, ad-

De vaſe ligneo ex arbore quadã, quod cuilibet vino, qđ continet , odorem,& ſaporẽ tribuit vini , qđ fit ex ceraſijs amarenis admixtis.

K mixta,

De viribus vini, qđ vocãt, de amarena. mixta, vel etiam oſſibus confractis, admixtis, & grata ſunt bibenti, fluentemq; aluum, debilemq; iuuant ventriculum, magis, minuſue, pro varietate vini, cui talia immiſcentur cèraſia amarena; quorum mater, ſeu arbor non fert ligna, ex quibus conflata vaſa, vim habeant prædictum odorem, & ſaporem attribuendi, quod certe mirum eſt, & abdita naturæ ratio.

5. Cõclusio. An vina odora caput lædant. Quinta coucluſio. Vina odora maxime omnium caput lędunt. Ita Gal. de ſucc. bonit. & vit. c. 11. vbi cum dixerit de vino odoro, quod ad ſucci bonitatem præſtat, ſubdit (ceterũ caput ferit) & fuſius de attenuante victus ratione c. 12. ſic habet (at quæ odora ſunt, & alijs vinis calidiora, ea merito caput tentant, quocirca vitanda eiuſmodi ijs erunt, qui cephalæa, aut hemicrania, aut cephalalgia laborant, vt epilepticis, & maniacis, & vt in ſumma dicam omnibus, quibus caput infeſtatur, ſunt fugienda) & 12. meth. c. 4. inquit (porro vina, quæ odora fuluaq; ſunt, quantum ex ipſorum eſt natura, omnia caput grauant) & Hyppocrates de rat. vict. in acut. par. 3. tex. 41. his conſentanea docuit, inquiens. (Cum vero in huiuſcemodi morbis fortem capitis grauitatem, vel mẽtis lęſionẽ fueris ſuſpicatus, à vino penitus eſt abſtinẽdũ; aquãq; tũc dare oportet, vel vinũ aquoſũ, vel prorſus inodorũ, &c.) quibus patet ꝑ Hyppocr. à vino odorato caput lędi.

Probatur concluſio manifeſte. Quia vina odora ſunt vaporoſa, vt cõſtat ex dictis, & cõſequenter ob vaporũ copiam sũt capiti infeſta, replẽdo, tendendo, grauitatẽ tribuẽdo, &c. qđ multo magis efficiunt, ſi vina odora ſint etiã calida, quã ob cauſam amplius caput calore moleſtant, quo ſpectãt Galeni verba ſupra allata; (at quæ odora ſunt, & alijs vinis calidiora) nõ qđ puter vina odora, & calida ſatis, ſolũ caput tẽtare, ſed hæc multo magis caput tẽtare, quã odora minus, & remiſſe calida, quæ dari ſup. ꝓbauimus concl. 2. à quibus experiẽtia ego cõprobaui in me ipſo, caput magis tẽtari, quã à minus odoriferis, magiſq; calidis, ob allatã rationẽ, q̃a minus odorata vina sũt minus vaporoſa, minuſq; replentia caput.

QVAE-

QVAESTIO VNDECIMA.
De Vino diluto, & de Vino Raſpato vulgo dicto.

VIna fere omnia, de quibus in ſuperioribus dictum eſt, ſolẽt plerique aqua admixta, bibere; quamobrẽ prædictis quæſtionibus pręſentẽ annectimus quęſtionem de vino diluto, quod, vt patet, idem eſt, ac vinum cum aqua cõmixtum; quod diuerſis temporibus, & modis fieri ſolet; Primò quidem vindemię tempore; cũ preſſis vuis aquam adijciunt, quem morem mihi teſtati ſunt nobiles tum Parmenſes, tũ Bononienſes ſeruari Parmæ, & Bononijs; Vnde certiſſimum indicium debet ſumi, his in locis uuas, & uina ſecundum ſe eſſe generoſa; alioqui non tolerarent aquæ mixtionęm, & facile aceſcerent, ut conſtabit ex dicendis quæſt. ſeq. Et muſti hac ratione aqua mixti nõ meminit Galenus; nec uinum dilutum ſolet appellari. Secundo hoc eodem uindemiæ tempore uinum aqua mixtũ fit, quod latini loram, uulgo aquatam dicunt Galenus etiã uinaceorũ uocat dilutum 2. de alim. fac. c. 9. prope fin. quod fiat, ut ipſe inquit (cõiectis in parua dolia uinaceis, tantũ aquæ ſuperaffundunt, quo ad omnia permadeant, quod ubi ſatisfactũ fuerit, in dolij fundo foramen aperiunt, ut dilutum effluat, idque pro uino bibunt) & paulo poſt inquit (deinde rurſus aliam aquam parciorem tamen priori, uinaceis affundunt, ita ut id quoque in potu ſit tolerabile (quibus clare meminit tum primæ, tũ ſecundæ loræ, ſeu aquatę, ut uulgo loquuntur. Tertio Vindemiæ tempore ſolent moderniores aquam uino admiſcere in hunc modum. dolium bene munitum uuarum ſelectarum acinis è racemis detractis fere implent, & uel aquæ ebullientis tantum ſuperaffundunt, quod planè repleat, uel aquæ feruentis in minori quãtitate, in maiori uero uini, uel uetuſti, qui nos eſt nobilior, uel noui, & muſti; doliumque occludunt, quod uel prorſus non expiret, uel certe parum, per

De vinorum dilutorum varietate.

De lora, ſeu aquata, ſeu vinaceorum diluto.

De raſpato vulgo dicto.

longam,& cauam fiſtulam. atq; hac ratione, & artificio uinum aqua dilutum, raſpatum uulgo nominant, nec uidetur Galeno cognitum, & guſtui peculiares quaſdam, & ſapidas præbet qualitates, cum & dulce ſit,& linguam ſuauiter exaſperet,& mordicet,in ciathis etiam ſcintillãs eſt,& uibrans, & linguam etiam penetrat ea ratione,ut pungere uideatur, quod uulgariter,piccare,dicunt.Quarto,extra uindemiarum tempora,cũm uina iam facta ſunt apta ad potus uſum, eoq; magis cũ ueterauerint,ſi uel antequàm bibãtur per aliquot horas,uel protinus cum bibuntur,aqua miſceantur, uere diluta uina,& propriè tum ab Hyppocrate, tum à Galeno, tũ ab alijs omnibus dicuntur. Qua autẽ menſura aqua uino debeat immiſceri,quidquid alij dixerint,nihil certi determinari poteſt,cum non eãdem habeant uina facultatem,ſed alia, ut dictum eſt,ſint aquoſa, debilia, & quę parum aquæ tolerant; alia ſint potentia,& meraciora,quæ multã aquæ mixtionem ſuſtinent. Solum Hyppocrates de ſalubri dięta præcipue tex.3.& 4. uini meminit diluti, dilutioris, & dilutiſſimi. atq; hoc quidem nõ aliud eſſe uidetur,niſi cum uini minimum aquæ inſtillatur,quod cum fit, uinũ potius cernitur, quam bibatur,ut & cum riſu,& ſimul cum inſcitia dixit quidam ex medicis Galeno ſic uinum diluenti pro quodã ſene, ut ipſemet refert 3.de rat.uict.in tex.40.in med.ex quo loco etiam colligitur uinum dilutum dici, cum non aqua guſtatu euincit,ſed uinum. unde patet quid nam ſit uinum dilutius, quod ſcilicet eſt inter hæc medium.Atque de uino hac ultima ratione diluto,à nobis potiſſimum eſt ſermo in hac quęſtione, An uim habeat calefaciendi,nutriendi, aperiẽdi,&c. ſicut de ceteris dictum eſt uinis, unde colligetur quid ſit de alijs uinis dilutis ſentiendum.

Quæ ſint proprie vina diluta.

Quodnã ſit vinũ dilutiſſimum.

1 Cõcluſio. An vina diluta calefaciant, an refrigerent.

Prima cõcluſio. Vina quo magis ſunt diluta, eo minus calefaciunt,magiſq; refrigerant, & humectant; adeo ut uinum dilutiſſimum magis refrigeret quam aqua. Duas partes habet concluſio. Et prima eſt omnino manifeſta, cum enim

aqua

aqua refrigeret, & humectet, & uinum reſpectu aquæ calefaciat, ut cõſtat ex dictis ſupra q. 3. neceſſario quo maior eſt aquę mixtio, minus calefaciet uinum, magiſque refrigerabit ob admixtam aquam.

Secũda pars probatur primo. Expreſse ex Galeno, qui 1. de ſimpl. med. fac. c. 29. fusè docet, & experiẽtia comprobat, pauculum oxicrati, ſeu aceti copioſæ aquę mixto, & non calido, ſed quam fieri poteſt maximè frigido epoto, pariterq; ſimili modo uino aquæ admixto, & epoto, magis refrigerari, magiſq; à ſiti liberari homines, quã à ſolius frigidæ potu. Atq; hinc patet cur Hyppocrates lib. de ſalubri dieta tex. 31. inquit. (quos ſitis infeſtat, cibos hi & labores minuãt, ac uinum dilutum bibant, idque quam frigidiſſimum) quia ex tali potu, magis quam ab aqua ſola ſitis ſedatur. Id quod nõ obſtat dictis à nobis ſuperiori tract. de aqua q. 6. art. 2. ubi uoluimus tempore ſitis bibendam aquam; his enim, quibus magis cordi eſt uini potus, ex uſu maxime eſt potus uini dilutiſſimi, de hoc enim intelligendus Hyppocrates, cum magis refrigeret quam aqua. — 1. An vinũ dilutiſſimum magis refrigeret quam ſola aqua.

Probatur 2. Ratione, quæ ex Gal. cit. 1. de ſimpl. 29. clare colligitur. Vini pauculum admixtum aquæ copioſæ hanc ad penetrandum facillimam reddit, & ut ipſe loquitur, adminiculo eſt, ac veluti alas aquæ præbet ad omnes corporis partes permeandas, & conſequenter vino pauco addito, aqua citius, & plures partes refrigerat quã ſola; quapropter corpus maiorem ſaltem extenſiue recipit refrigerationem à vino valde diluto, quam à ſola aqua; Et hanc ob cauſſam idem Gal. in Hyppocr. cit. de ſal. diet. in tex. 31. in fin. inquit, ideo potionem dilutam, & frigidiſſimam competere ſitientibus. quia quod frigida refrigeret; & vini obtineat cõmoditates, ideſt penetret, & non immoretur in hypochondrijs.

Atq; hinc clare colligitur primo dilutum vinum eſſe aperitiuum, & penetratiuum, quia nõ immoratur ratione aquæ, cui alas prębet vini admixtio ad omnes corporis partes permeandas. — j Corollariũ An vinũ dilutũ ſit apęritiuum.

meandas. vnde clare etiam ſequitur dilutiſſimum vinum eſſe minus aperitiuum, magis vero quod dilutum eſt, quod paulo magis vini habeat, vnde penetratio prouenit. vnde etiam infertur hanc doctrinam non eſſe intelligendã de vinis admodum craſſis, admodum auſteris, acerbis, dilutis; horum enim vinorum quo maior eſt admixtio, eo maior aquæ additur aſtrictio. ſed de tenuibus, & natura aperientibus vinis.

2. Corollar. An vina diluta nutriãt. Colligitur 2. Vinum dilutum parum nutrire, eoq; minus, quo magis fuerit dilutum; Conſtat enim ex dictis ſuperiori tract. de aqua q. 5. concluſ. 3. aquam non nutrire. & ex dictis hac tract. q. 5. parum nutrientia eſſe aquoſa vina, de quibus quæ dicta ſunt, vinis dilutis valde conueniunt. Confirmatur ex Hyppocrate de rat. vict. in acut. par. 2. tex. 28. vbi docet pro reficiendis viribus, non eſſe vtendum vino diluto; & in hunc locum Galenus docet dilutum vinum ventris tonũ, ſeu robur exoluere. quod confirmat Hyppocrates ſeq. tex. 34. vbi inquit (dilutum enim cum infirmitate humentem reddit ventrem ſuperiorem, flatuoſumq; inferiorem.)

Vinũ dilutũ noxiũ vẽtriculo.

2. Cõclusio. Secunda concluſio. Vina, quo magis fuerint diluta, eo minus caput tentant. Eſt communis, & probatur primo, 1. Probatio. auctoritate Hyppocr. 3. de rat. vict. tex. 41. vbi cũ capitis affectus adeſt ſuſpicio, vinum prohibet, & ſolum cõcedit inodorum, & aquoſum, multoq; magis ſi à potione ipſorum aquæ exiguum ſuper bibatur, nã hoc modo potentia vini caput, mentemq; minus tentabit, ergo per Hyppocr. minus tentabit caput etiam vinum, quod ſit dilutum antequam bibatur, potiſſimum ſi fuerit aquoſum, & inodorum, quæ vina vt cit. loc. habetur, & 12. meth. med. c. 4. in fin. caput non feriunt, nec contriſtant. quo etiam loco idem habetur de vino auſtero, eo ſcilicet, quod non eſt ſimul dulce, flauum, & calidum, & vetuſtum, ſed frigidius, hoc enim caput non lędit, illud autem offendit, vt conſtat legenti Galenum in Hyppocr. de rat. vict. com. 3. in tex. 7.

Quę vina nõ feriãt caput.

2. Probatio. Probatur 2. dilutum vinũ opponitur meraco, qđ ſcilicet non

non eſt debile,ſed vinoſum,& potens,& aquam non habet mixtam,cui etiam opponitur vinum aquoſum, cuius naturã ſortitur vinum dilutum;ſed Hyppocrate docẽte de rat. vict. par. 2.tex.34 vinum meracum venatum palpitationem,ideſt temporum pulſationem efficit,capitiſq; grauitatem, & ſitim infert,propter caliditatem,vt Gal.docet in commento,ergo dilutum vinum contraria operabitur,quod ſit frigidũ,& humidum,vt ipſe etiam docet Gal.qui etiam 12. meth.4. vina omnia calida debile caput implere ſtatuit. Atq; huc ſpectat, quod idẽ Hyppocr. docet de rat.vict.par.3.tex.8. inquiens, (quod autem ſuperiora quidem omnia, veſicamq; minus offendet,ſi dilutius fuerit,inteſtina vero iuuabit magis,ſi meracius, neminem latere debet) eſt enim ſermo de meraciori auſtero,vt Galenus notat, à quo & caput læditur , & excretiones cohibentur,ac proinde nocet veſicæ etiam,& thoraci,vrinæ excretionem,& ſputum prohibens; & ſola inteſtina poſſunt iuuari ratione aſtrictionis,ne laxentur;ſi autem fuerit dilutum,minus offendet caput,thoracem, & veſicam,qđ ſit frigidius aquoſius,& magis aperitiuum.Hinc etiam intelligitur; Cur ab vſu lactis colluendum ſit os vino diluto,non meraco, vt Galenus docet 3.de alim.fac.c.15.in fine ; quia caput non tentat vinum dilutum, quo circa, & ſunt Galeni verba (ſi tã robuſtum ſit caput,vt vini meri collutione non offendatur,melius gingiuis,& dentibus,is conſuluerit.)

Quænã vina caput offendant.

Quo vino ſic os colluẽdũ.

Probatur concluſio 3. In affectibus capitis aquam dare oportet,ex Hyppocr. de rat.vict.par.3. tex.41. eo qđ propter frigiditatem vaporum copiam,qua caput repleatur,ex ſe paucam habet,& præbeat ; Contra vero efficiat vinum,qđ, vt Galenus habet in hunc locum,propter caliditatem celerrime ad caput feratur, feruenteſq; in corpore ſecũ ferat humores . ergo quo aquoſiora ſunt vina,& dilutiora,& conſequẽter frigidiora,eo minorem euaporationem infenſam capiti excitabunt, & conſequenter ſecundum ſe vina quo dilutiora,eo minus caput lædent .

3.Probatio.

Atque

Digitized by Google

De vini aquati, & raſpativinibus.

Atque hęc eadem, quæ dicta ſunt de vino diluto in communi omnium acceptione, dicenda pariter ſunt de alijs vinis dilutis ſiue aquatis, ſiue raſpatis vulgo dictis; pro maiori ſcilicet aquæ admixtione minus calefacere, minus nutrire, minuſq; caput tentare, ob eandem omnino rationem, vt ſatis patet. ſed contra.

1. Obiectio.

Obijcies 1. vinum raſpatum eſt dulce, linguã pungit, ſcintillat, ſeu vibrat, quæ omnia ſunt à calore, ergo calidum eſt abſolute, contra primam concluſionem, & conſequenter caput contriſtat, contra ſecundam concluſionem.

Reſponſio.

Reſpondetur negando cõſequentiam, eſto enim calidum ſit raſpatũ, & caput lędat, certe minus caput lędet, minuſq; calefaciet, quo maiorem habebit aquæ copiam admixtam, quod in concluſionibus intẽdimus. Eſt autem re vera raſpatum caliditatis particeps, & frigiditatis, huius quidem tum ratione admixtæ aquæ, tum auſteri ſaporis, quem ab acinorum corticibus, & denſiori interiori carne ipſorum, ſeu craſſiori, & fęculentiori, ac terrea ſubſtantia recipit. qui ſapor auſterus frigidus, & terreus eſt, & idcirco linguã ſuperficie tenus mordicans, & exaſperans, vt patet ex dictis ſupra q. 6.

Qua ratione raſpatum ſit frigidũ, & de cauſa auſteri ſaporis, qd eſt in raſpato.

Caliditatem vero participat ob rationes in obiectione allatas. dulcedo enim, vt conſtat ex dictis q. 8. eſt caloris ſaltem moderati effectus, & ex maturis ac dulcibus vuis raſpato tribuitur. Linguæ punctura, quod piccare dicunt, fit à ſpiritibus vini occluſo dolio retentis, qui vt pote tenuiſſimi, & calidiſſimi, vt cõſtat ex dictis q. 9. art. 2. obiect. 1. linguã permeant, & pungunt vna cum dulcedine ex dulcibus vuis, & auſteritate ex vuarum corticibus, vt dictum eſt. Hinc etiam fit vt cũ ſpiritus hi tenuiſſimi multi ſint, perſpirationẽq. deſiderent ſuapte natura, veluti feruentes, vibrent, & ſcintillent, potiſſimum cum vel ex dolio in vrceum; vel ex vrceo in poculum repente vinum effunditur; quo motu ſpiritus vini magis violento proſiliunt. Atq; hinc fit raſpata dicta uina, ſi ex uuis fiant debilibus, uel acidis, uel auſteris, & minime generoſis, uel

Qua ratione ſit raſpatum calidũ & cur ſit dulce, pũgẽs, ſeu piccãs, & ſcintillans, ſeu vibrans.

uel ſatis reſpirauerint;minimè ſcintillare, nec eſſe dulcia, nec linguam pungere,aut ut uulgo loquuntur,piccare; quia parum affluũt ſpiritibus, qui copioſi ſunt ex uuis generoſis, & quæ minimum expirauerint in dolijs.

Ex his colligitur primo plurimorum,immo communis error putantium eundem eſſe auſterum, ſeu mordicantem ſaporem,& pungentem,ſeu piccantem,ut loquuntur;Ille enim à frigido,& terreo fit,hic à calido tenui ;ille ſolam externã linguæ partem mordicat,aſtringendo, quam ob cauſam auſtera uina optima ſunt ad madefaciendas partes confractas, & uulneratas,ut Hyppocrates fuſè docet de fracturis par.3. tex.21. ibidemq; Galenus; pungens uero ſeu piccans interiorem linguæ ſubſtantiam,& profundam penetrat. ille uetuſtate amittitur,& abolctur,pungẽs uero uetuſtate creſcit; Vnde uina greca noſtro tempore dicta,& ſimilia uina fortia tenuia,ſunt linguam pungentia.& piccantia,non mordicantia,ſeu auſtera,& aſtringentia. Quapropter non bene Petronius lib.2. de uictu Roman. c.12. prope fin. negat ſaporem pungentem,eſſe acrem ſaporem.pungens enim ſapor tenuis eſt neceſſario,ut ipſe etiam concedit; ergo uel cũ frigiditate,uel cum caliditate,non cum frigiditate;hic enim ſolus eſt ſapor acidus,qui tum eſt frigidus,tum tenuis, vt conſtat ex dictis q.7. & non datur in raſpato,niſi certe ex vuis fiat acidis. ergo cum caliditate, qui eſt ſapor acris, natura tenuis, & calidus,alius enim non datur ſapor calidus in ſubſtantia tenui; amarus enim ſapor calidus eſt,& craſſior reſpectu acris ſaporis, & ſolũ eſt tenuis reſpectu habito ad aſtringentia,vt fusè Galenus docet 4.de ſimpl.med.facult.c.19. Amplius quæcũq; ſunt linguã pungentia verè,ac propriè, acria ſunt,vt piper, cinnamomum, garyophilli, & ſimilia aromata;& ex ſimplicibus,cœpæ, allia, porri, & ſimilia. pungens igitur ſapor in raſpato acris eſt,& calidus,& tenuis. Neque eſt quod obijciat Petronius, in raſpato non eſſe quid acre, ſcilicet admodum calefaciens,ſtatim ac guſtatur, vt conſtat

[Margin: 1. Corollariũ. Error putãtiũ eundẽ eſſe ſaporem auſterum,& pũgentẽ,ſeu piccantem.]

[Margin: Error Petronij putantis ſaporẽ pungente.n non eſſe ſaporem acrem.]

[Margin: Cur nõ percipiat ſapor acris ſeu calidus in raſpato.]

ex dictis q.9. art.1.not.1.in fin.Ratione enim ſpirituum calidorum,& tenuium, adeſt ſapor acris in raſpato, verum is nõ percipitur,quia caliditas obtũditur ab auſtero ſapore frigido.

2. Corollar. Error putãtiũ vina auſtera eſſe fortia.

Colligitur 2.alter error, qui ex prædicto prouenit; quod plures falſo auſtera vina iudicant eſſe fortia,cum tamen ſint frigida. quod facile dignoſci poteſt;auſtera enim ſimpliciter vina,quæ quod linguam exaſperent, & mordicent,videntur cum errore imperitorum,qui plures ſunt in hac re,eſſe valida,& piccãtia,ſi mane mittãtur ex dolio,veſperi euaneſcũt; non ſic vina vere fortia,& pungentia. præterea vina auſtera ſunt craſſæ ſubſtantiæ,pungentia verò,ſeu piccãtia propriè, vt plurimum ſunt tenuia.

3. Corollar. Error putãtiũ vinũ reddi validius, quo magis ferbuerit cũ vinaceis.

Colligitur 3. tertius error eorum, quorũ magnus eſt numerus,qui putant vinum reddi fortius magis,& validius,quo magis vna cum vinaceis ebullierit;Eſto .n. verum ſit,vinum quo magis ferbuerit,eo eſſe validius,vt dictum eſt q.9.art.2. obiect.1.tamen quo magis cum vinaceis ferbuerit,eo minorẽ vim acquirit.quia craſſioris ſubſtantiæ,& frigidioris vuæ, & magis auſteræ maiorem recipit vim,& admixtionem, vnde vino frigiditas,nõ caliditas,& validitas tribuitur. Quamobrem etiam vina certo tempore mutantur,vt aiũt,ſeu percolantur,& à fęcibus expurgantur,vt validiora fiant,& calidiora,quod impeditur à fęcibus vini terreſtribus naturà, & frigidis; vnde fit etiam, vt quouſq; cum fęcibus conſeruantur vina,magis auſtera conſeruentur,& magis mordicantia, ſeu linguam exaſperantia.Re vera igitur ex feruore cum vinaceis,vina recipiunt tum ſaporem auſterũ,& mordicãtem, qui frigiditatis eſt nota ſecundum ſe,non validitatis,& caliditatis,qua in re imperiti decipiuntur,vt mox diximus; tum intenſiorem colorẽ, ſiue flauum, ſiue nigrum, pro varietate vuarum,ſiue ex albarum genere,ſiue nigrarum;quocirca flauus,& fuluus color proprius calidiſſimorum vinorum Galeni tempore,vt conſtare poteſt ex 12.meth.c.4.& in Hyppocrat.de rat.vict.com.3.in tex.6. nũc communis ſit in hac ciuitate

Cur vina permutentur,& à fęcibus ſeparentur.

uitate

uitate Neapolis,ex prędicto artificio feruoris vini cum vinaceis,vinis debilibus,& aquoſis,qualia ſunt aſprinia, & ſimilia , ſed contra .

Dices, vuarum ſuccus, qui ſponte ab vuis effunditur ſine compreſſione pedum, vel manuum, ſed ſolo vuarum pondere,quam lachrymam puram , ſeu virginem vocant, quod ab vuis excurrat more lachrymarum ab oculis . Eſt debilioris facultatis quam reliquum vinum, quod è calcatis , & preſſis vuis effluit,& cum vinaceis ferbuit;ergo ſignum eſt à feruore cum vinaceis,vina vigorem,& calorem recipere. Reſpondetur huius argumenti,quod aliqui mihi obiecerunt, antecedens falſum omnino eſſe,plures mihi teſtati ſunt, qui etiã affirmarunt uini lachrymam reliquo uino eſſe duplo ualentiorem,& calidiorem . Et ſane ita demonſtrat ratio allata . à uinaceis enim neq; uim,neq; calorem recipit vinũ;ſed colorem,& ſaporem auſterum,& aſperum, quæ ſunt falſæ notę ualiditatis,& potentiæ uini, ut dictum eſt corollario ſecundo,quamobrem uini lachryma,ſi ex uuis ſit nigris , nitidum ac ualde remiſſum habet colorem rubeum;ſi ex uuis ſit flauis,omnino album præfert colorem. Verum eſto cõcedatur antecedens obiectionis,adhuc facilis eſt reſponſio . ſi enim lachryma uini ſit imbecillior reliquo uino,huius rei non eſt cauſa feruor unà cũ uinaceis;ſed quia qui primò fluit liquor ab uuis, eſt aquoſior, qui remanet uero eſt craſſior , uinum autem quo aquoſius , eo eſt debilius , ut dictum eſt ſæpius .

Obiectio. | Solutio. | An vini lachryma ſit rel quo vino potentior,& calidior.

Colligitur 4.prædicto affinis quartus error eorum,qui ad conſeruanda uina,& reddenda ualida,uuarum calcatarum , & poſtea prælo ſubiectarum ſuccum pro certa quantitate uino muſto adijciunt ; Cum enim ui præli preſſus ſuccus ſit maxime fœculentus,terreus,& auſterus,pariter etiam & frigidus eſt,qui nec uino uim,nec calorem poteſt tribuere,ſed potius frigiditatem , quam ob cauſam facile hæc uina in acorem permutantur .

4. Corollar. Error miſcẽtiũ vino vuarũ liquorem prelo expreſſum.

Obijcies 2.cõtra 2.concluſ.auctoritatẽ tum Galeni qui 2. 2.Obiectio.

de alim.fac.c.9.in fin.ſic inquit (utraq, lora capiti dolorem affert,niſi quis dilutiores ipſas bibat, ſed prior magis caput ferit) tum Ariſtotelis qui ſect.3.problem.3. aſſerit temulentiam celerius induci à uino diluto,quã à meraco.ergo male concluſimus uina diluta caput non tentare.

Reſponſio. Reſpondetur hanc Galeni auctoritatem non obſtare, ſed fauere;neq, enim ſimpliciter negamus in concluſione, uina diluta caput tẽtare,ſed eo minus caput moleſtare,quo magis fuerint diluta,quod expreſse Galenus docet,dũ inquit, niſi quis dilutiores ipſas bibat; Illud etiam aduertẽdum eſt, diluta de quibus Galenus loquitur,utpote de uuis græcis,& atticis,eſſe admodum ualentia,& uinoſa,ut ex ipſomet licet colligere,cum teſtatur ad Ver uſq; & Aeſtatẽ aſſeruari, quo tempore magis caput feriunt,hyeme uero minus. legendus Galenus loc.cit.ubi notat uarietatẽ in loris, ſeu aquatis pro uarietate uuarum. Ad Ariſtotelem dicendum abſolute falsã eſſe hanc propoſitionem,& explicandã,pro ut ipſe explicat, hoc accidere non ratione diluti ſecũdum ſe, ſed quia huius maior copia quam meraci bibatur,ob quam fit ut copioſam efficiat euaporationem ad cerebrum uinum dilutum,unde temulentia,& ebrietas,quam non infert meracum, quod in parua quantitate ebibitur.

Hæc ſatis ſint de uini diluti materia,cui illud omnino addendum eſt,inanes eſſe illorum quæſtiones, dum uolunt dilutum uinum non debere ſtatim bibi,ſed debere ad menſam ferri per aliquod tempus antea dilutum; ita putauit Arnaldus à Villanoua libello de uino,ſect. de uino aquatico, ubi arguit Dominos,& Prælatos,quod aquam uino,cum bibere uoluerint,imponant;eò quòd ita conturbatio, indigeſtio, & uentoſitas ſtomacho accidat ob imperfectam mixtionem, quę oculis cernitur,partibus alijs aſcendẽtibus,alijs deſcendentibus,in cyathis cryſtallinis;quam eandem opinionem ſectatur Coſtæus lib.2.de potu in morbis cap.20. in fin.Arnald. addit calici, aliquos contendere,prius aquam, deinde

An vinũ,ſtatim ac diluitur, bibi debeat.

uinum

uinum debere infundi, contra ipſe ſentit Coſtæus, primo uinum poſtea aquam debere imponi, quæ cum grauior ſit vino, facilius deſcendat ad ima, faciliuſq. ita permiſceatur. Etenim quamquam verum eſt, aquæ & vini mixtionem melius temporis ſpatio, quam repente compleri, illa tamen nullatenus neceſſaria eſt ad ventriculi digeſtionem, & concoctionem, in quo quantumuis imbecillo cum vniantur res diuerſi generis, puta caro, vinum, panis, & ſimilia, multo facilius vnietur aqua, & vinum ſimul bibita. Et cum vinum diluatur ad remittendam vim vini, parum refert, an cum bibatur, diluatur, an multo ante; vnde Hyppocrates 3. de ratione victus tex.41. à vini potu iubet parum aquæ eſſe ſuperbibendum, vt vini potentia caput minus lædat; non igitur neceſſaria eſt hæc moroſa mixtio, & dilutio antequam bibatur. Et quod vinum dilutum flatum efficiat, cruditatem, & cetera; non eſt cauſa mixtio imperfecta; ſed quod dilutum vinum non congruat in his ventriculis debilibus, quibus ex vſu eſt vinum meracius.

An aqua ſit vino grauior vel contra.

Illud etiam, quod addit Coſtæus, eſſe grauiorem aquam vino, mihi videtur omnino falſum, tum experientia, in cyathis enim citius deſcendit vinum aquæ ſuperinfuſum, præſertim ſi vinum ſit craſſæ ſubſtantiæ, quam contra; ſi eadem vi, & diligentia alterum alteri affundatur; Tum ratione; vinum enim vtpote mixtum perfectum, habet portionem terræ admixtam ſaltem in maiori copia, quam habeat aqua; quocirca ratione terrei elementi grauius omnino debet eſſe vinum quodlibet, licet tenue, quam aqua.

Soluitur tacita obiectio.

Eſt autem aqua magis grauans ventriculum, quam vinum, quia hoc eſt congruentius ad nutritionem tum ventriculi, tum totius corporis, quam ſit aqua; & ab his, quæ ſunt qualitate infeſta, maxime grauatur ventriculus, talis eſt aqua ſui frigiditate.

QVAE-

QVAESTIO DVODECIMA.

De Aceto.

PRæter eas, quas ſupra expoſuimus vini mutationes, & alterationes naturales, quibus vinum perficitur proceſſu temporis. aliæ ſunt, quibus vinum contra in deterius mutatur, & ſibi naturam aduerſam recipit. talis eſt mutatio in acetum, quod ſicuti ſenſu ab omnibus dignoſcitur. nemo enim eſt, qui cum vinum nouerit, vbi illud in acorem aperte tranſierit, aceti naturam recepiſſe non ſentiat. Ita contra, cuius naturæ acetum ſit, frigidæ ne, an calidæ, an mixtæ, plane eſt in obſcuro, adeo vt Gal. 1. de ſimpl. med. fac. c. 17. in med. ſic loquatur. (maxima controuerſia eſt de aceto, alijs frigidum, alijs contra calidum aſtruentibus; nonnullis calorem quidem illi concedentibus, ſed quendam etiam auferentibus, velut qui acetum eſſe vinum mortuum aſſerũt, nam hi propriam vini caliditatem perdidiſſe quidem; verum ex putredine aſſumpſiſſe aliam quandam contendunt. Atq; ego ſane non multum abeſt, quin illorum laudem ſententiã, in eamq; prompte accedam, proq; hac aſſertione, atque opinione pericula omnia ſubeam, ſi quam machinam, aut artẽ inuenire queam, ſicut in lacte contrariarum partium ſeparationis, ita hic quoq.) Ex quibus patet antiqua de aceti natura, & temperie controuerſia, & Galeni ſententia putantis acetum eſſe ſecundum partes plurimas frigidum, ſcilicet ſecundum partes vinoſas, quarum ratione eſt acidum, ſecundũ alias vero minores, calidum, ſcilicet ſecundũ partes aqueas, & ſecundum aqueum recrementum; ſecundum quod putre quid eſſe acetum exiſtimat, & acre. quam opinionem ſępius repetit potiſſimum 4. de ſimpl. med. fac. cap. 3. & 12. vbi hanc opinionem tribuit Ariſtoteli, & Theophraſto. Vt hac de re noſtram aperiamus ſententiam, ſit noſtro de more.

Variæ opiniones de aceti tẽperie.

Galeni opinio.

Prima

1. Cōcluſio.

Prima concluſio. Acetum eſt frigidæ naturæ, ſeu virtutis, & facultatis frigidæ. Demonſtratur primo manifeſta experientia, quam fusè tradit Galenus 1. de ſimpl med. fac. c. 19. oēs enim ex aceto madente lana ſuperimpoſita alicui corporis parti, principio manifeſtū frigus percipiunt. Immo etiā Galenus in ſe ipſo ſe expertum eſſe teſtatur, vt aceti potentiam experiretur, ab illita thapſia in pluribus tibiarū locis, vbi hæc poſt quatuor, vel quinq; horas inflammari cepiſſent, & accēdi, acetum inſperſum fuiſſe efficacius remedium quā aquam, vel roſaceum, vel aliud ſimile medicamentū. Eſt igitur virtute frigidum acetum; non enim aliter à Thapſia excitatas phlegmonas valet acetum ſanare, niſi refrigerando. Si quis enim diceret, acetum calidas has paſſiones curare, acrimoniam obtundendo, ſicuti efficit oleum, & roſaceum, aperte fallitur: ineſt enim aceto moleſta facultas irritans, & mordicatiua, vt ſatis conſtat, & infra explicabitur.

1. Probatio. — Quomodo oleū, & roſaceū valeat ad calidas paſſiones.

2. Probatio.

Probatur 2. experientia patet medicis omnibus, quam teſtatur Gal. 1. de ſimpl. med. fac. c. 18. aceto ſāguinis eruptiones, quas hemorragias vocāt, cohiberi, & ſupprimi, ergo frigidum eſt acetum, qui refrigerādi vi aſtringit, & contrahit; frigidum enim eſt, quod congregat omnia, & homogenea, & eterogenea. Neque poſſit quis dicere, vi candentis ferri etiā ſupprimi ſanguinis fluorem. & caloris ratione, non frigoris, acetum ſiſtere fluentem ſanguinem. Etenim vt Gal. loc. cit. optime arguit. quæ vi caliditatis ſummæ, vt cauteria plane candentia ſanguinem ſiſtunt, vſtione id efficiunt, per quam quod ex vſtione remanet, operculum fit ſubiectis partibus, idq; cruſta vocatur à latinis, à græcis eſcara. at neq; caliditas ab aceto percipitur, ſicut à candente ferro, neque cruſta ab aceto relinquitur, vt ſatis patet, non igitur vi ſummæ caliditatis, quam aceto tamquam igni antiqui tribuebant, ſed frigiditatis, acetum fluxiones ſanguineas conſtringit.

Qua ratione acetum ſiſtit fluxiones ſāguinis.

3. Probatio.

Probatur 3. acidus ſapor frigidus eſt, vt ex Galeno probauimus ſupra q. 7. ergo acetum, in quo viget ſapor acidus, natura

tura eſt frigidum; Confirmatur. quia omphacis ſuccus frigidus eſt, ergo & acetum ab omphacio ſola tenuitate differens, erit frigidum.

4. Probatio.

Cur aceſcăt vina debili à facile.

Galeni experientia ne vinum aceſcat.

Probatur 4. In acetum facile tranſeũt vina, quæ frigidiora ſunt, qualia ſunt aquoſa, acerba, valde auſtera, & quæ acidum ſaporem participant, vt docet experientia, & Galenus teſtatur 1. de antitodis c. 3. init. & 4 de ſimpl. med. fac. c. 13. contra vero difficulter aceſcunt vina calidiora. immo vero Galenus teſtatur loc. cit. 1. de antitodis 3. patrem ſuum vina debiliſſima in calidiſſimam cellã detuliſſe, & ſtępe tum multa, tum calida plenas lagęnas contexiſſe experiendi gratia, & voti compotem factum eſſe, & numquam deinceps acidũ vinum habuiſſe. ex quibus clare patet acetum à frigiditate oriri, non à caliditate, & conſequenter eſſe frigidum.

1. Cõfirmat.

Cur vinũ facilius aceſcat in dolijs apertis, vacuis, & habentibus rara tegumenta, quam cõtra.

Confirmatur 1. Alijs experiẽtijs, quarum etiam eſt teſtis Galenus in 6. de morb. vulg. com. 4. in tex. 10. prope finem. Conſtat .n. in vaſis vinarijs recluſis, ſeu apertis vinum contentum facile aceſcere, non ſic in vaſe bene operculato; Itẽ facilius aceſcere vina in vaſis vacuis, quã plenis, ita ut operculum vinum attingat: amplius diutius conſeruari vina in dolijs gipſatis, picatiſue, quam contra. Quia vaſa recluſa, vacua, & rara habentia tegumenta facilius refrigerantur, quã quæ clauſa, obſtructa, plena ſunt, & tegumenta habẽt pice, & gipſo, vel ſimiliter oblinita; Namq; in vaſis apertis, vacuiſque, & in raræ texturæ dolijs facilius perſpirat, & tranſpirat vinum; & facilius externus aer permeat, quibus de cauſis facilius vinum refrigeratur.

2. Cõfirmat.

Cur vindemia tẽpore pluuio ferat vinum facile aceſcens.

Confirmatur 2. Quia hac de cauſa vindemia collecta tẽpore pluuio, vina fert facile aceſcentia. Et quæ decoquuntur vina, minimè aceſcunt, vt docet experientia, quam teſtatur Gal. 4. de ſimpl. med fac. c. 12. his verbis. (Itemq; quod in fructuum collectione, vindemiaq; per aſſiduuam pluuiam aliena humiditate impletum fuerit, quodq; alio quouis modo humiditatem accepit, leui occaſione ea omnia prompte

aceſcunt,

aceſcunt,contra euenit iis,quæ igni admouentur.)quia pluuio cœlo collectæ vuæ ſuccum habent refrigeratum, qui facile coctionis diminutionem recipiens,in aciditatem trāſit; Non ſic vina decocta,quæ vi decoquētis ignis à frigidis excrementis expurgata,melius adhuc vi propria concoquuntur,& integra diutiſſime permanent; *Cur vina decocta non aceſcant.* qua in re notādum eſt, quod à viris fide dignis accepi, qui Aprutium incolunt, potiſſimum prouinciam Aquilæ, apud quos in vſu eſt vinū decoqui. apud hos aceti eſſe penuriam, atq; in acetum verti id,quod à vinis,dum decoquuntur,in ſpumam abit,& artificio ſecernitur,& deſpumatur. Cuius rei ratio ex dictis apparet, *Cur vini decocti ſpuma aceſcat.* eſt enim ſpumoſa hæc ſubſtantia frigida, ideoq; apta ad aceſcendum per vlteriorem refrigerationem,vinum vero decoctum, abiecta ſpuma, calidum,ad acorem recipiendum minime idoneum. Confirmatur tandem. *3. Cōfirmat.* quia ideo aqua vino immixta, vinum in acetum permutat, quod quotidiana docet experientia;quia vinum refrigerat,hæc enim eſt aquę *Cur aqua vinum in acetū permutet.* natura,& proprietas,ſcilicet refrigerare;Vnde conſtare poterit vina debilia facilius áquæ mixtione refrigerari, & in acorem duci,difficilius vero vina fortia; obſeruatū eſt enim quandoq; vina græca magna ſuperinfuſa aquæ copia, debilia quidem eſſe reddita, verum acorem non recepiſſe, quod aquæ refrigerationi innata vi calefaciente obſtiterint. eſt igitur acetum tum generatione, tum natura frigidum.

Secunda concluſio. *2. Cōcluſio.* Acetum ita eſt frigidū,vt nullas prorſus in ſe habeat particulas præternaturaliter calidas, ſiue putridas. Iam audaciæ crimine nos pleriq; increpabunt, qđ diſcedamus à Galeno vocante Ariſtotelem,& Theophraſtū pro ſua ſentētia. Sane diſplicet diuerſa opinari à ſummis viris, & parentibus tum philoſophiæ,tum medicinæ; Atq, hāc ob cauſam annis pluribus elapſis cū typis darem tractationem de febribus,vbi ſermo incideret de aceto in q.6.ſect.2. art.1.ad 2. Galenicam hanc ſuppoſui opinionem, difficilem illam exiſtimans,& aliqua ratione explicabilem.Sed cum re

vera inexplicabilis ea videatur,ob rationes afferendas; merito quis temeritatis nos non arguet; præcipue cum,vt Galenus ipſe 1.de ſimpl.med.fac.c.19.de aceto loquens, habet (illorum incorruptum ſit iudicium,qui nulli dogmati ſeruiliter ſunt addicti.)Et noſtra hæc concluſio omnino eſt Hyppocratis loc. infra cit.

1.Probatio. Probatur igitur concluſio 1.Vino aceſcente, nulla datur cauſa præternaturaliter calida,& putrefaciens; ergo nequit in aceto dari putris aliqua particula,& calida præternaturã. Antecedens ſatis patet ex dictis cõcluſione præcedenti præcipue probatione 4. vbi à frigiditate vinũ aceſcere demonſtratum eſt, quod Galenus etiam fatetur 4. de ſimpl. med. fac.c.12.init. dum de vino inquit (quod rigorem perpeſſum eſt,acidius protinus redditur, ac ſi prorſum refrigeretur, penitus aceſcit.) Conſequentia etiam patet,Eſt enim putrefactio corruptio natiui caloris à caliditate aliena; ſeu quod idem eſt alteratio calorifica præternaturam, quæ neceſſario debet fieri à caliditate extrinſeca, & excedente naturalem caliditatẽ,vt fusè explicuimus noſtra tract. de febribus q.6. ſect.2.Cum autẽ acetum fit vel vi aeris in dolijs vacuis, vel apertum habentibus foramen, vel vi aquæ ſuperinfuſæ, ſolæ adſunt cauſæ refrigerantes vinũ,vt palam eſt,non igitur poſſunt eſſe in aceto partes vllæ calidę præternaturã,& putres.

2. Probatio. Probatur concluſio 2.ad generationem ſaporis acris,non requiritur caliditas præternaturalis,& putrida;vt ſatis patet ex dictis ſupra q.9.art.2.Vinum enim antiquatur,& perficitur,dum fit acre. quod autem putreſcit, corrumpitur; acris igitur ſapor, qui in aceto videtur percipi, ſi is à calore prouenit,non oritur à calore extrinſeco, præternaturali, & putrido,ſed alio,qui naturalis potius erit,& pfectiuus. An autem illud,qđ acre videtur in aceto percipi, ſit re vera acre, & an à calore, paullo infra dicetur.

3.Probatio. Probatur 3. quia non poteſt aſſignari, quæ nam ſit hæc pars in aceto,quæ acris dicitur, & calida caliditate aliena, & pu-

& putrida à Galeno; Eſto .n. vt Galenus docet 1.de ſimpl. med.fac.c.17. in liquoribus omnibus, dũ fructus exprimuntur, adſit pars altera ſeroſa, & alia craſſa, & fœculenta: quæ nã ex his ſit pars acris, & putris in aceto, nõ poteſt explicari. quod agnoſcens Galenus cit. loc. oſtendit his verbis. (qđ veluti fex eſt in illis, & fortaſſe & in aceto eſt eiuſmodi quippiam, & forſan ipſum eſt, quod caloris eſt particeps: qđ vero frigoris, quod tenue eſt. fortaſſis vero & in ipſo tenui exiguum quoddam defertur in multa quantitate diſperſum alterius naturæ quam ipſum totum nam quod maiori parte frigidius ſit quam calidius, liquido ijs apparere arbitror, qui verè facultatem eius expenderint.) Ex quibus cõſtat Galenum ipſum dubitare, tũ an in aceto, quod ſimilare quid apparet, adſit id, quod fęculentum dicitur. Tum an fęx ſit pars putris, & calida, an vero alia cum parte tenui diſperſa. Et neutrum horum dici poteſt. pars enim fęci reſpondens, eſt terreſtrior, & conſequenter frigidior, vt patet ex dictis ſupra de vinis acerbis, & auſteris; pars vero alia, quæcumq; ea dicatur diſperſa, & delata cum portione tenui aceti, cum ea etiã tenuis ſit, & omninò ſimilis ſeroſitati aceti, eandẽq; paſſa alterationem, & refrigerationem, vt patet ex dictis, & ab eadem indiſtinguiblis ſit; eandem omninò debet naturã retinere frigidam, Et non niſi gratis, ac ſine vlla ratione aſſeritur diuerſæ naturæ. quod plane demonſtrat Galeni allatus loquendi modus dubitatiuus, & cũ reuerentia (fortaſſis) non igitur in aceto datur portio vlla diſtincta à frigida, & acida, quæ acris ſit, & calida calore putredinali, & alieno. Præterea ſi dicatur pars terreſtris eſſe calida, & acris, & eius ratione eſſe acre acetum, ſequetur procedente tempore, in quo pars terreſtrior ſemper magis ſecedit, magiſq; ſubſidet, fieri acetum minus acre, quod eſt contra experientiam, acetum enim tempore procedente fit ſemper acidius, acrius, ac tenuius. Amplius vt patet ex dictis q.9. Cum vinum ſit acre, ſit magis calidũ, igneum, & tenue, igitur tenuibus partibus,

In omnibus liquoribus datur pars ſeroſa, & fęculenta.

An pars aceti fœculenta ſit calida, & acris, an vero ſeroſa, & tenuis.

Digitized by Google

& ſubſtantijs acris ſapor competit,non terreſtribus,& fœculentis,tenuibus autem partibus aceti tribuitur aciditas iuxta Galenicam,& veriſſimam opinionem de hac re, nō igitur aſſignari poteſt, quænam ſit hæc pars acris calida in aceto diſtincta à partibus eiuſdem aceti frigidis, & acidis.

4.Probatio. Probatur concluſio 4. Experientia conſtat, acetum quo fit magis acidum,eo etiā fieri magis acre;ſed quo fit acidius, fit frigidius;ergo non poteſt ſimul etiam fieri calidius,& putre ſecundum partes aqueas,vt putauit Galenus. Etenim partes vinoſæ ſunt ita admixtæ partibus aqueis re vera, & in Galeni doctrina,vt ſi vinoſæ refrigerentur,non poſſint aqueæ intenſius calefieri,& putrefieri,& altera alterius intēſionem remitteret, vt patet conſideranti, & perpendenti. Adde etiam,ſi acetum fieret per caliditatem alienam contingentē partibus aliquibus vini,quæ fiunt acres in doctrina Galeni,debere partes vinoſas potius vtpote natura calidiores, & magis aptas ad calefactionem recipiendam, vlterius calefieri,& putrefieri,quam partes aqueas, ſeu aqueū recrementum natura frigidum.

5. Probatio. Probatur 5. Acetū quo eſt magis acre, magis reſiſtit putredini. hinc carnes mactatas aceto madefactas diu imputres ſeruamus;& quæcumq; aceto acriori admixto coquuntur,vt piſces,vel aceto alio modo condiuntur,diutius imputria retinentur,ergo quo eſt acrius acetum, eo eſt frigidius; eſt enim frigiditas putredini contraria,vt docet experiētia, & cōſtat ex dictis à nobis tract.de febribus q.6.ſect.2.art.4. Contrarium autem deberet dici in Galeni doctrina, nempe acetum,quo eſt magis acre,eo eſſe calidius, & eo minus putredini obſiſtere contra experientiā, in Galeni enim doctrina acetum,quo eſt magis acre,eo plures habet partes aquei recrementi putridas,& calidiores.

6. Probatio. Probatur 6. Argumento maximi roboris,quod uiam uere philoſophandi de hac re aperit.experientia conſtat, quam ipſe Galenus teſtatur 2.de alim.fac.c.37.acidam partem ci-

trì immiſſam in aceto leuiſſimo,& maxime debili, acetum acre magis reddere. Galeni uerba ſunt hæc. (parte autem fructus acida,& non veſca,qua ſemen continetur,cũ ad alia quędam vtuntur,tum ſępe,quo ipſum reddant acrius,in acetum imbecillum conijciunt) ſi igitur acris aceti ſapor inducitur ab aciditate citrij, non ergo acredo aceti eſt effectus putredinis,& caliditatis præternaturam partium vini, ſiue aquearum,ſiue vinoſarum; ſed frigiditatis, quæ ab aciditate proficiſcitur,& conſequenter acetum non eſt vinum putre, ſed refrigeratum potius, & idcirco putredini obſiſtit. Cur ſuccus citrij acidus reddat acetũ acrius.

Confirmatur, quia omnia putria ſunt graueolentia; tale autem non eſt acetum, quin aërem putridum ſuo odore proprio à putredine vindicat,& putrida febrientes odore acetum reficit,vt ſatis patet experientia. Sed contra. Cõfirmatio.

Obijcies primo. Galeni fundamẽtum,vt clare liquet loc. cit.init.huius quæſtionis,potiſſimum 4.de ſimpl.3. Acetum præter aciditatem habet acrimoniam, ſeu acrem ſaporem, ergo non eſt tantum frigidum acetum, ſed etiam calidum caliditate aſcititia,quã à putredine recipit ſecundũ aliquas partes,eaſq; minores; ſecundum plurimas enim frigidum eſt acetum, & acidum. 1. Obiectio.

Reſpondetur 1. concedendo antecedens, acrem ſcilicet ſaporem ineſſe aceto;verum negando conſequentiam.acetũ ſcilicet habere partes calidas præternaturã,& putres; ſapor enim acris fit per vetuſtatem in vinis ex perfectione naturæ vt dictum eſt probat.2.& conſequenter ex eo non poteſt argui caliditas aliena,& putris;potiſſimum cum ad acetum faciendũ cauſæ frigidæ,non calidæ concurrãt,vt probatũ eſt. 1. Reſponſio

Reſpondetur 2. & verius, aceti acrem ſaporem non eſſe vere ac proprie ſaporem acrem,iuxta Galeni acceptionem, ſed improprie. proprie .n. ſapor aceti debet dici ſapor mordax.Atq; hæc doctrina,quæ eſt valde attẽdẽda.Probatur 1. ex ipſamet definitione ſaporis acris ex Galeno allata ſupra q.9.art.1.not.1.in fin.Eſt enim ſapor acris is, qui ſtatim ac guſtatur 2. Reſponſio. Acrẽ saporẽ aceti nõ eſſe proprie acrẽ sed mordacem. 1.Probatio.

guſtatur calefacit;ſed acetum ſtatim ac guſtatur refrigerat, ergo aceti ſapor, qui à Galeno acris dicitur, non eſt vere acris iuxta Galenicam acceptionem,ſed mordax, eſt enim
2. Probatio: mordacitas à frigore. Probatur 2. quia nulla datur cauſa calefaciens, à qua poſſit dici produci aceti proprie acris, ac calidus valde,putriſq; ſapor in Galeni opinione,vt fusè probatum eſt,ſed tantum datur cauſa refrigerãs, qua refrigeratione,quæ ſunt nobis moleſta,mordacia dicuntur à Galeno
3. Probatio. 4.de ſimpl.med.fac.c.2. Probatur 3. Acetum quo minus eſt acidum,eo minus eſt acre,& contra quo fit acrius, eo fit acidius,vt manifeſta docet experientia;ergo ſignum euidens eſt,aceti acredinem non eſſe caliditatis effectum,ſed frigiditatis,à qua ſicut acetum fit acidius,ita etiam fit magis acre, improprie loquendo, proprie vero magis mordax. Quarto,
4. Probatio. experientia patet quædam apud nos ex citrangulis, ſeu limonibus vulgo dictis, potiſſimum quæ poma Adami vulgo nominant; cum ad maturitatem ipſis debitam venerint, & fuerint ſucciplena,ſuccum habere acidum, ac mordacē guſtui,nō ſecus ac acetum acerrimum, in quo ſucco certe nec aſſeueratur,nec aſſeuerari poteſt pars alia calidior & putris, & idcircò acris;alia frigidior,& acida, in maturatione enim natura non vtitur calore vllo præternaturali,vt ſatis cōſtat, ergo pariter in aceto non debet aſſeuerari hæc diuerſitas partium,& eius acris ſapor non re vera à calore, ſed à frigiditate prouenit,& potius mordax dicendus erit. Probatur 5.
5. Probatio. Ex Hyppocrate putante aciditatē, & acredinē aceti eſſe vnum quid. quia magnus Hyppocrates,primus omniū, & maximus præceptor Galeni,& Ariſtotelis,& Platonis,lib.de rat.vict. in acut. par.3. acredinem, & aciditatem aceti vnum quid eſſe exiſtimat,& aciditatem aceti per acredinem ſignificat.quocirca vanū eſt,diuerſas in aceto partes,alias frigidas,& acidas;alias calidas,& acres aſtruere. Citato igitur loco Hyppocrates cum loqui vellet de oximelite,quod fit vt Galenus habet ibidem in tex.24. his verbis (non enim ex aceti melliſq; tantum mixtione eſt oximelitis compoſitio; verum ex

mulſa

mulſa paulum aceti accipiente,ſed melius eſt vt concoquatur.)tex.26. bis oximeli valde acidum, vocat valde acre, & eius vſum damnat,quod nec pulmonem leniat, nec ſputum educat & (vt docet ibidem, & ſequentibus textibus 27. 28. 29. Et tex.30. oximeli,quod parum eſt acidum. vocat parũ acre,ſic enim inquit (quod autẽ parum eſt acre,os,fauceſq; humectat,ſputum educit,& ſitim ſedat;qua occaſione hypochondrio,viſceribuſq; eſt beneuolũ, melliſq; inhibet noxas. Nempe quod in melle bilioſum eſt, temperat, caſtigatque) quibus plura addit ſequentibus textibus vſq; ad 38. in quo textu hæc alia leguntur expreſſa Hyppocratis verba (vt autem in ſumma dicatur,quæ ab aceto eſt acredo picrocholis magis,quam melancholicis prodeſt, amara ſiquidem diſſoluuntur,deſciſcuntque in pituitam, cum ab aceto in ſublime attolluntur,nigra autem fermentantur,attollũtur, & multiplicantur. nempe atra educit acetum.) Ex quibus clare patet Hyppocratem aceti acredinem putaſſe eſſe frigidam, & vel ab aciditate frigida prouenientem, vel ipſam eſſe aciditatem,& idcircò conferre amara bili abundantibus,& amaram bilim obtundere, contra vero nocere melancholicis,& melancholiam,quæ natura acida eſt, augere ſua frigiditate, & aciditate,vt Galenus ipſe docet in hunc locum. Vnde ex Hyppocratis doctrina ſic licet Sexto probare aceti acredinem eſſe frigidam,ſeu frigiditatis effectum, non caliditatis, & conſequenter vere eſſe aceti mordacitatem. Aceti acredo refrigerat, & idcirco melancholiam auget, minuit bilem amaram; ergo eſt frigiditatis opus,quod mordacitas dicitur à Galeno 4.de ſimpl.med.facult.c.2.Atq; ex his clariſſimis Hyppocratis locis,& veriſſimis rationibus patet poſſe,ac debere Hyppocratis doctrinam amplecti miſſa ſemel, aut bis Galenica,& Ariſtotelica. Tum maxime cũ nulla ab eiſdem afferantur alicuius momenti argumenta.

Oximeli quomodo fiat ex Gal.

Oximelitis vires ex Hyppocrate

Obijces 2. Argumenta antiquorum putantium acetum eſſe calidum,quæ affert Galenus 1.de ſimpl.med. fac. c.20.

2.Obiectio.

Acetum

Acetum ſecat,& erodit non tantum animantium corpora, ſed & grumos,callos,lapides,fictile,aes,ferrum,plumbũ,&c. per ſubtiliſſima veſtimenta citius,& promptius aqua perfluit. & tandẽ cuncta peruadit,ac penetrat, ita vt nihil poſſit eius vehementi penetrationi reſiſtere, & reluctari, ergo ſubtile eſt acetũ non ſecus ac ignis,& conſequenter eſt calidiſſimũ.

Reſponſio. Reſpondetur negando conſequentiam; hæc enim omnia proueniunt ab aceto,non quod ſit calidum, ſed quod ſit tenue,quam ob cauſam facile permeat, & mordax eſt, vt ſæpe repetit Gal. præcipue 1.de ſimpl.med. fac. c.13. Item quod ſit frigidum,acidum,eſiccatorium,vt idẽ docet loc.cit.c.24. in fin. quibus omnibus medijs facultatibus continui fit diuulſio & deſtructio,vt idẽ Gal. fusè docet 4.de ſimpl. med. fac. c.2. & nos fusè explicabimus noſtra tractatione de doloribus q.5. Atq; hac ratione ab aceto fit diſſectio grumorum,callorum,lapidum, aeris, ferri,&c. hæc enim corpora ſua tenuitate permeans, & tum ratione tenuitatis, tum frigiditatis,tũ vi acoris,& eſiccationis,partes partim cõtrahẽdo diſrumpens,partim eſiccando comminuens, tandem erodit,& diſſecat.Ex eo etiam quod tenue ſit acetum, nõ bene inferri illud eſſe calidum, ipſe Galenus docet loc.cit.1. de ſimpl.23. exemplo ambientis nos aeris tenuiſſimi, & frigidiſſimi boreali tempore.

Quomodo acetum erodat, & diſſecet corpora omnia.

3.Obiectio. Obijc.3. Spongia,vel lana aceto madens,ſuperimpoſita parti alicui primo frigiditatis ſẽſum,poſtea vero caloris cuiuſdam præbet phantaſiam, idq; celerius contingit ab aceto inueterato,& magis acri,ſeu mordaci,vt fusè Galenus teſtatur 1.de ſimpl.med.fac.c.19.ergo ex compoſitis conſtat facultatibus,& partibus,frigidis, & calidis acetũ: alioqui non poſſet reddi ratio calefactionis partis ab aceto.

Reſponſio. Reſpondetur 1. Ex hoc argumento clare colligi calorem, qui tribuitur aceto,non eſſe putridum,& alienum, cum obſcura ſit,quæ ab aceto contingit calefactio. Secundo, Nullatenus ab aceto per ſe,& poſitiue poſſe oriri caliditatem,

facile

facile demonſtratur; Cum enim vt allata docet experiẽtia, primum ab aceto proueniat frigiditas, eo quod frigiditas in aceto præpolleat iuxta Galeni doctrinam. nulla ratione fieri poteſt, vt deinde prępolleat in aceto caliditas, quę partem calefaciat, vt patet conſideranti. Calefacit igitur aceto madens ſiue lana, ſiue ſpongia partẽ corporis, quod aſperum, moleſtumque habeat tranſitum, atq; ita dolorem cieat acetum, quo fit vt calida alliciatur in partem fluxio, quæ reſponſio eſt eiuſdẽ Gal. 1. de ſimpl. med. fac. c. 24. & probatur apertiſſime: tũ quia vt loc. mox cit. fusè habetur; Idcircò tenuis quidã conſpicitur rubor in partibus ab aceto irritatis. tũ quia vt idẽ docet Gal. cit. c. 19. his verbis. (in laxis, ac doloris expertibus tumoribus neq; ꝑtinus, neq; poſtea caloris ſenſum aceti vſus cõmouet; Itaq; neq; primario neq; proprio temperamento excalfacere poſſit, ſed acrimoniæ morſu irritáre.) Cũ igitur in ſolis partibus ſentientibus, & ad dolendũ aptis acetum ruborem, & calorem præbeat, clare ſequitur doloris cauſa, ab aceti ſeu mordicatione, ſeu acrimonia prouenientis, in partem influere tenuem ſanguinem, à quo caliditas parti tribuitur. Quomodo acetũ videatur calefacere.

Obijcies 4. In Acetum tranſeunt vina æſtiuo tempore; & de induſtria ad Solem poſita vina, experimur fieri aceta acerrima. Item experientia compertum eſt vino ſuperinfuſam aquam feruentem, vinum facilius in acidũ permutaſſe. Amplius celerrime aceſcunt vina infirma, ſi vehemẽter moueantur, vel longius nauigijs aduehantur. ergo ſignum eſt acetum eſſe calidum, & à caliditate produci, vt enim patet, omnes prædictæ cauſæ calidiſſimæ ſunt. 4 Obiectio.

Reſpõdetur his fere omnibus experientijs, quas Galenus proponit 4. de ſimpl. med. fac. c. 13. pro ut idem docet ſequẽti c. 14. hæ enim omnes cauſæ non calefaciunt, ſed refrigerant per accidens vina debilia, & frigidiora, non autem fortia, & vetera; quod etiam exemplis explicat. Sicut enim exigua flamma ad Solem poſita, marceſcit, & diſſoluitur, ſicut Reſponſio.

etiam à valido vento diſſipatur;ita etiam inualidi vini vis à caliditate potiſſimum æſtiua,vel à valido motu diſſoluitur, & conſequenter refrigeratur vinum,& aceſcit propter frigiditatem. Et neq; nouam eſſe huiuſmodi doctrinam, clare patet ex Hyppocrate, qui ob contrariam rationem docet 1. aphor.14.vetres hyeme eſſe natura calidiores, quia ſcilicet non diſſoluitur,ſed retinetur ob frigus natiuus calor;Ob quã cauſam putandum eſt,non tam facile hyeme aceſcere vina. quod non diſſoluatur tunc temporis vinorum ſpirituoſa ſubſtantia; Si autem inceperit diſſolui æſtate vini ſpiritus,& in acorem verti vinum,adueniente hyeme,acerrimum acetum euadit,id quod non ſemel experti ſumus. Et ratio eſt,quia quæ à calore prouenit diſſolutio, non magnam efficit refrigerationem, ſed remiſſam,qua maiorem, & intenſiorem infert frigus hyemale diſſoluto vino,& idcirco hyeme perficitur acetum. Hac etiam de cauſa, ſemper opinatus ſum valenter aceſcere vina ſub ſole, non ſolum ratione diſſipantis Solis vini ſpiritum,vt dictum eſt,ſed etiam ratione refrigerationis poſitiuę,quam recipit idem vinum diſſolutum à Sole,dum refrigeratur ſub dio noctis tempore.

Cur hyeme nõ facile incipiant aceſcere vina,& cur ſi æſtate incipiãt aceſcere,hyeme vero perfecte aceſcãt.

Cur,& quomodo ſub ſole vina valenter aceſcant.

Atq; ex hac doctrina veriſſima colligitur primo,Rationẽ, cur longa nauigatione,vel motu traducta vina, ſint bona,nõ eſſe eam,quam fere omnes afferunt,quia nauigatio vinum perficit; Motus enim quilibet,vt accidit etiã in noſtris corporibus,ſi is magnus ſit,fatigat, & offendit, & vt dictum eſt vina debilia longo nauigio aceſcunt. Sed quia quæ longa nauigatione tranſportantur vina, & bona ſunt, neceſſario ſunt ſuapte natura robuſta; & valida,cum non infirma reddantur motu valido, & diuturno.

Cur vina lõga nauigatione traducta ſint bona

Colligitur 2. Ratio, & modus ſeruandi uina, & cellæ vinariæ eligẽdæ.Vt ſit,& præparetur eiuſmodi,vt & ab alieno,& extrinſeco tum calore,tum frigore arceat.quod Galenus diſertis verbis docet 4. de ſimpl. med.fac. c.14. in med. inquiens (quippe cum ita comparatum ſit, vt res quælibet in

Qualis debeat eſse cella vinaria pro ſeruandis vinis.

Digitized by Google

in propria ſeruetur natura calore proprio, corrumpatur autē ab immoderatione extrinſeca, nempe caloris alieni, aut frigoris abundātia) vnde clare ſequitur hyeme debere eſſe calidam cellam vinariam ad arcendum hyemalem rigorē, qui aduerſatur tum concoctioni, tum conſeruationi vinorum, vt diximus ēt ſupra q. 9. art. 2. concluſ. 2. probat. 4. æſtate vero frigidam, ad arcendam caliditatem immoderatā, non minus immodica frigiditate noxiam, quæ duæ qualitates pariter, diuerſimode tamen vina in acetum permutant, vt dictum eſt. Quocirca bene Galeni pater, vt dictum eſt, & ignibus, & Solis calore, & ſtębe tum cellam vinariam, tū vaſa vinaria calefaciebat hyemis tempore. Et quidam hoc tempore cellam vinariam hyeme penitus occluſam retinent, vt nulli ſit vento via peruia; atq; ita proprius vini calor multiplicatus in cella vinaria, nec tranſpirans, cellam calefaciat. Contra vero verno adueniente tempore, & æſtiuo, faciendum eſt, aperiendæ nempe ſunt feneſtræ ad frigidam auram recipiēdam venti frigidi, & borealis, non autem calidi, & humidi, nubili, & pluuioſi, quibus ſpirantibus auris calidis, humidis, optimum conſilium eſt, feneſtras cellarum claudere, vt experientia conſtat in nobis ipſis. Quod ſi contra contingat in pluribus locis, vbi in ædibus ad ſeptentrionem expoſitis dolia reponunt; vt idcircò diuerſa ab his, quæ concluſimus, videantur ſcripta à quibuſdam, qui de hac re, vel de agricultura ſcripſere. horum certe conſilium dicendum eſt, vel fallax eſſe, vel veritatem continere, non ratione loci, ſed vini, quod cum potens ſit, frigidæ cellæ hyeme rigorem tolerat, quem non ferret, ſi eſſet debile. ſicut etiam diximus, & monuimus, non ratione longi nauigij, & motus, ſed ratione propriæ naturæ, & potentis facultatis, longo itinere tranſportata vina, bona eſſe, & robuſta, qualia ſi non eſſent, non ferrent longum motum.

Cella vinaria hyeme debet eſſe calida, æſtate frigida.

Cur quidam hyeme cellas vinarias occluſas teneāt

Cur in frigidis cellis in hyeme etiā poſſint ſeruari vina.

Obijcies 5. Si vinum frigiditatis opera aceſceret, cum valde niue refrigeratur, aceſceret, contra experientiā, qua con-

5. Obiectio.

ſtat, vina, quę bibuntur ex niue frigida, ſuam ſeruare naturã non igitur ad acetum producendũ facit frigiditas, ſed contra caliditas; & conſequenter calidum eſt acetum ſaltem ſecundum partes aliquas; Confirmatur quia experientia compertum eſt, ſuperinfuſa aqua calida, & feruente, vina facilius aceſcere; facit igitur ad generationem aceti caliditas, & calidum eſt acetum.

Cõfirmatio.

Reſponſio.

Reſpondetur ex dictis ad precedentem obiectionem, conſtare duplicem frigiditatẽ requiri in vino, adhoc vt aceſcat; alteram, quæ fit per euaporationem ſpirituum vini, quam in dolijs nõ plenis, ſed vacuis; & in quibus ſunt rara tegumenta; & vi æſtiui caloris recipit, quam liceat vocare frigiditatem virtualem: & per eam ſolam vinum redditur, quod exolutum dicitur. aliam, cum poſitiuè refrigeratur quod remanet aquoſum vini recrementum diſſolutis ſpiritibus, quã licebit nominare frigiditatem actualem. Et vtramq; frigiditatem requiri, adhoc vt vinũ aceſcat; & quo magis intenditur vtraq; frigiditas, tum per maiorem diſſolutionem ſpirituum vini, tum per maiorem refrigerationem aquoſitatis vini, eo magis vinum aceſcere. Cum igitur in vino refrigerato ex niue, nõ adſit ſpirituum vini euaporatio, & diſſolutio, ſed ſolũ actualis ex niue refrigeratio, nõ poteſt ex niuis refrigeratione fieri ſtatim vinum aceſcens, quod certe fieret vinum non ſtatim epotum, ſed repetitis uicibus, & diebus niue frigefactum, atque ita uini etiam ſpiritu diſſoluto. Vnde patet quid dicendum ad obiectionem. Ad confirmationem dicendum, conceſſa experientia, negandam eſſe conſequentiam; Non enim quia caliditas requiratur ad aceti generationem, aqua calida facilius permutat uinum in acorem, quam frigida admixta; ſed quia aqua calida calore adiuuat tũ euaporationẽ ſpirituum uini, tum refrigerationem aquei recrementi, cum ad priſtinum ſibi connaturale frigus reuocatur aqua; at hoc ſecundum ſolum præſtat aqua frigida admixta, quæ etiam non ſemper acorem inducit, nec facile, vt cum admiſcetur

Quodnã ſit vinum exolutum.

Duplex frigiditas ad generationẽ aceti requiritur.

Cõfirmationis dilutio.

Cur vinum facilius aceſcat aqua calida, quam frigida admixta.

uinis

vinis potentibus, uel muſto nuper expreſſo ex uuis ualidis, ut ſupra innuimus.

Obijcies 6. Acetum mouet valde ſenſum odoratus, vt docet experiētia; ſed odorata omnia ſunt calida, ergo acetum eſt calidum. Reſpondetur huius argumenti ſolutionem petendam ex dictis q. 10. concluſ. 2. vbi ſtatuimus ad odorem emittendum, requiri remiſſum calorem actualem, quem concedimus aceto; & mordicationem, & acrimoniam odoribus per accidens conuenire, ratione facultatis ſiue frigidæ, ſiue calidæ, ſiue alterius rationis, quæ ineſt in vaporoſa, & odorabili ſubſtātia, atq; idcirco acetum videri ferientem qualitatem præbere odoratui, quia vim habet validā refrigerādi, eſiccandi, & permeādi cum ſenſu aſpero olfactus ſenſorium, non quod eius vis ſit calida ſatis, eiuſq; vapor intenſe calidus, vt loco cit. explicuimus præcipue in reſpōſ. ad 3. obiect. 6. Obiectio. Reſponſio.

Ex dictis patent aceti vires, & facultates; eſt enim primo, vt ſatis demonſtratum eſt, valide refrigerās acetum, ex quo ſequitur, vt & aſtringendi vi polleat, & reprimēdi, ſeu repellendi, vt docet ſępiſſime Galenus, potiſſimum 1. de compoſ. med. ſecun. loc. c. 8. & lib. 2. c. 1. ſatis ante fin. & 14. meth. c. 7. Secundo eſt acetum valide attenuās ratione ſuæ tenuitatis, vnde fit vt etiam incidat humores craſſos, ac lentos, vt patet loc. cit. & de attenuante vict. rat. c. 3. & 11. Item vt facile penetret, & ad penetrandum adiuuet ea, quibus miſcetur 1. de ſimpl. med. fac. c. 29. amplius acetū eſiccat, vt habetur 5. de ſimpl. med. fac. c. 2. poſt princ. vbi inquit Galenus (acetum & marina aqua deſiccant, pene omnibus non medicis dumtaxat, ſed etiam idiotis cōfeſſum eſt) & 8. de ſimpl. med. fac. ſect. de aceto, quę inſcribitur, oxos acetum, tertij ordinis deſiccantium acetum validum facit, cuius rei ratio, & cauſa vera eſt, acidi ſaporis natura vim habens refrigerādi, & eſiccandi, licet ſit in ſubiecto actu humido, quale eſt acetum; addi etiam poteſt alia ratio eſiccationis ab aceto; quia incidit, & attenuat, quæ autem attenuantur, gracileſcūt, & eſiccantur. De facultatibus aceti.

cantur. Vnde fit etiam vt acetum vi polleat diſcutiendi, & digerendi, vt habetur fusè 1. de compoſ. pharmac. ſecun. loc. c. 8. circa princ. & 14. meth. med. c. 7. quibus in locis notanter docetur acetum contrarias habere facultates reprimendi propter frigiditatem, & digerendi, ac diſcutiēdi, quod tenue ſit; & quod etiam ſit calidum in Galeni opinione, à qua iure recedimus, vt conſtat ex dictis; tandem acetum corrodit tum animantiū corpora, tū metalla, vt diximus ex Gal. 1. de ſimpl. med. fac. c. 20. & rationem ſupra etiam attulimus in reſponſione ad 2. quia tenuitate permeat, eſiccat, & comminuit, & frigiditate diſtrahit, & diſrumpit particulas, quo fit vt etiam mordax ſit acetum, & dolorificum, quā ob cauſam, vt

De aceti vſu.

Ad aceti vſum veniamus. Ex Archigene etiam docet Galenus aceto ſolo numquam vtendum, ſed admixta vel aqua, vel roſaceo, &c. & 2. de cōpoſ. med. loc. c. 1. ante fin. propter facultatis vehementiam, & mordacitatem. Immo neq; etiam admixtum in plurium partium affectu vtiliter applicatur, & prohibetur aceti cum melle mixti, ſeu oximelitis potus in affectibus neruorū Galeno docente 3. de rat. vict. in tex. 39. & 2. de fract. in tex. 29. quia ſunt nerui frigidi, & facile refrigerantur à tali potu, & lęduntur; quam ob cauſam Hyppoc. loc. cit. de rat. vict. ibidemq; Galenus vterum dolore affici à tali potu teſtantur, quia neruoſus eſt vterus, vt Galenus ibidem probat. hac etiam de cauſa acetum cum roſaceo, non applicatur oculis inflammatis, conuenit autē auribus inflammatis, vt Galenus docet lib. de ſectis ad eos, qui introducūtur c. 8. Legendus idem Gal. tum alibi, tum præcipue 2. de compoſ. med. local. c. 1. ſect. cui titulus eſt. Ad dolorē capitis ex plaga, aut caſu Apollonij. vbi fuſe docet vtendum eſſe eſſe aceto mixto cum roſaceo in phreniticis, & alijs inflammationibus, ſed in principio, & cum non admodum indoluerint, ob prædictam cauſam. Et 14. meth. med. c. 4. & 5. vbi & modus attemperandi aceti cum aqua traditur, & vſus docetur eius tum cum aqua mixti, tum cū ammoniaco, ſiue cum

In affectionibus partiū neruoſarum. inutili eſt aceti vſus.

Quibus inflāmationibus, quādo, & quomodo cōueniat acetum.

alio

alio emolliente, & digerente ſimul medicamento ad lienis, aliarumq; partium ſcirrhos, & ędemata curanda, & alia habentur omnino attendenda.

QVAESTIO DECIMATERTIA.

Quibus complexionibus in ſanitatis latitudine exiſtentibus conueniat vini potus. Et quale vinum conueniat.

EXplicatis vinorum differentijs, & viribus, ratio poſtulat, vt de vinorum vſu agamus, primo quidem in corporibus ſanis, tum in corporibus ægris, ſit igitur.

Concluſio. Vini potus vtiliſſimus eſt frigidis, & ſiccis temperaturis. Item temperaturis prodeſt moderate calidis. nocet autem calidiſſimis. Eſt ex profeſſo Galeni 5. de ſanit. tuen. c. vlt. Probatur Concluſ. 1. Quia ea ſequitur ex dictis à nobis ſupra tract. de aquæ potu q. 6. art. 1. Cum enim, vt ibi concluſimus, naturæ ſolum calidiſſimæ conueniat aquæ potus, non vini; clare ſequitur ceteris naturis tum frigidis, & ſiccis, tum temperatis competere vini potum. Concluſio. 1. Probatio.

Probatur 2. quia cum vini cuiuslibet natura, ſit calefacere, habito reſpectu ad aquam, cuius ſemper eſt refrigerare. ſi exhibeatur naturæ calidiſſimæ, hæc facile modũ excedet, & in morbos calidos incidet. Item cum ſimilia ſimilibus cõſeruentur in ſtatu naturali; neceſſario moderatæ temperiei quo ad calorem, & frigiditatem, humiditatem, & ſiccitatem, vinum debetur mediocritatem conſeruans caloris. Amplius cum contraria contrarijs curentur, & corpora frigida ſint lapſa quo ad frigiditatem; calidiſſima vero corpora ſint lapſa quo ad caliditatem, illis debebitur contraria cauſa calefaciens, ſcilicet vinum; his contraria refrigerans, ſcilicet potus aquæ. Vnde 2. Probatio.

Colli-

1. Corollar.

Quibus, & quo anni tẽpore cõpetant vina calida, vel frigida.

Colligitur 1. quo frigidiora ſunt corpora, eo calidiora vina eſſe potanda, minus vero calida vina, & magis diluta, prout corpora ſunt minus frigida, magiſq; calida, modo tamen nõ ſint calidiſſima, vt dictum eſt, id quod Galenus loc. cit. 5. de ſanit. tuen. c. ult. fusè docet. Atq; hoc idem dicendum, inſpectis anni temporibus, autumno meraciora, hyeme meraciſſimum debere bibi, uere dilutius, æſtate dilutiſſimũ, ut expreſsè docet Hyppocr. de ſalubri dięta tex. 2. 3. 4.

2. Corollar.

Quod vinum conueniat pueris.

Colligitur 2. Verum eſſe, quod ſuperiori tract. q. 6. art. 1. in fin. docuimus, non omnes pueros, ſed eos ſolum, qui calidiſſimi ſunt, à uini potu debere abſtinere. quod confirmatur expreſſa auctoritate Magni Hyppocratis de ſalubri dięta tex. 23. dum inquit (pueri infantes diu ſunt calida rigãdi, iiſq, uinum dilutum exhibendum, quod prorſus tamen frigidum non ſit, idq; offerendum, quod minimè uentrem attollit, & flatum creat.)

3. Corollar.

Qualia vina conueniant ſenibus.

Colligitur 3. ſenibus, utpote ad frigiditatem tendẽtibus, calidius uinum conuenire, quod ſuſiſſime docet, & proſequitur Gal. 5. de ſan. tuen. c. 5. ubi talia uina exẽplificat in Græcia eſſe ariuſium, lesbium, miſium; In Italia falernum, & Surrentinum, quod noſtro tempore euanuit, ut dictum eſt ſupra q. 9. art. 1. uel ſi hæc non habeantur uina, quæ ad hæc proxime accedant, modo ſint alba, tenuia, calida, ſeu fortia; ſenibus enim omnino prohibet craſſa, dulcia, & nigra uina, propterea quod obſtruunt uiſcera.

4. Corollar.

Quæ vina conueniant corporibus nimium humidis, & pinguibus.

Colligitur 4. Corporibus nimium humidis, utpote obeſis, & pinguibus præter modum, conuenire uinum aquoſum, album, tenue. quod expreſſe etiam docet Gal. 14. meth. med. c. 15. in fin. ubi etiam addit uinum, cui ſit marina aqua mixta, obeſitate oneratis cõuenire. Ratio autem eſt, quæ ex hoc loco colligitur, quia tenue uinum parui eſt nutrimẽti, cuius defectu deficit pinguedinis generatio, ut patet experientia, & ex eodem Gal. 11. de ſimpl. med. facult. ſect. de pinguedine, & adipe. init. docente (quæcumq; bene nutriuntur, ca

omnia,

omnia,aut pinguedinem,aut adipem obtinent.)Addi poteſt alia ratio. Quia tenuia vina humores attenuant, vt conſtat ex dictis ſupra q.4.& conſequenter materiam ineptam reddunt ad generationem pinguedinis,& adipis,quæ vt conſtat liquido, debet eſſe craſſa,& vnctuoſa.Atq; hinc etiam.

Colligitur 5.Corporibus nimium extenuatis conuenire vina,quæ craſſa ſunt; quia hęc nimium nutriunt,& reficiunt, quo indigent extenuata corpora.quā doctrinam ex profeſſo docet Gal.14.meth.med.c.16.init.ita inquiens. (at vbi eos, qui extenuati ſunt,reficere in animo eſt,ijs vinum exhibebimus craſſum,cibum vero,qui ſuccum efficiat craſſum.) Atq; hæc doctrina adeo vera eſt in Gal.ſententia,vt ipſe ſenibus, quibus prohibet craſſa vina, vt dictum eſt coroll.3. craſſa vina concedat,alba tamen tempore neceſſitatis nutrimenti; ſic enim inquit 5.de ſan.tuen.c.5.in med. (quæ vero ex pallidis,aut flauis vinis ſubſtantiæ vel craſſæ, vel pinguis ſunt, hæc & ſanguinem augent,& corpus nutriunt,quo fit,vt vtilia ſenibus interdum ſint; vtiq; quo tempore nec ſeroſam humiditatē in venis habent,& ali liberalius deſiderant)atq; hæc doctrina eſt diligenter notāda;ſunt enim ex doctoribus, inter quos eſt Petronius lib.5.de victu Romanorum,qui ſine vlla diſtinctione,vinum album,potens,tenue prohibent ſenibus;quibus concedunt vinū rubeū,& inhibent cibos craſſos, & lentos, quæ pugnant ad inuicem,vt patet intelligenti.

5. Corollar. Quæ vina conueniant corporibus nimium extenuatis.

Quādo vina craſſa alba competant ſenibus.

Colligitur 6.Quid dicendum ſit ad quæſtionem illā, qua quæritur. An ab horarijs fructibus aſſumptis,aqua ſit bibenda,vel vinum,qua in re diſcrepāt Doctores. Etenim Conciliator in problem.8.ſect.22. A ficubus ingeſtis aquā bibēdā ſtatuit,quam opinionem ſectantur vulgares.alij vinū potandum cenſent.nonnulli,vt Petronius de Rom.victu lib.3. c.6. ab aſſumptis ficubus putat omninò non bibendum, ſed cibi tantiſper aſſumendum,à quo vel aqua, vel vinum ſit bibendum, vtiliuſq; tandem laudat aquæ modicum, ſi quis à ficubus ingeſtis,voluerit ſtatim bibere.AmpliusAuic.in 1.fen.3.

6. Corollar. An ab aſſumptis fructib° horarijs cōueniat potus aquæ, vel vini.

doctr.2.c.8.poſt perſica,pepones,& ſimiles fructus,non eſſe bibēdum vinum aſſeuerat.alij,vt Petronius loc.cit.c.7. vinū probant,& ita communis vſus obtinuit:Item poſt pira ſchola Salernitana omninò decernit vinū bibendū his verſibus.

Adde potum piro, nux eſt medicina veneno.
Fert pira noſtra pirus, ſine vino ſunt pira virus.

Hæc inquam difficultas ex dictis in concluſione,& corollarijs,ita eſt diſſoluenda. Si enim hi fructus aſſumantur à calidiſſimis complexionibus,vel tempore æſtiuo, & refrigerationis gratia,tunc poſt ipſos aſſumptos cōuenit aquæ potus refrigerans. his enim complexionibus per æſtiuos potiſſimū calores,potus aquæ,non vini cōuenit,vt dictum eſt. Si vero aſſumantur à complexionibus temperatis, vel frigidioribus, potus vini competit nunc mediocris,nunc magis,minuſue calidi,& magis,vel minus diluti, pro diuerſitate cōplexionis magis minuſue frigidæ,vel calidæ.Atq; hæc doctrina veriſſima ex Galeno confirmatur,qui de ſuccor. bonit.& vit.c.13. init.ita loquitur (ſemper tamen ab ijs abſtinendum,qui ſucci mali ſunt, niſi ſi quando tamē neceſſe ſit æſtatis tempore laborantibus totius corporis ſquallorem,caloremq; curare. quo plane tempore commode ſumi prius poma poſſunt, & pruna,& mora,& ceraſa,quin & cucumeris,tūc & peponis, & melopeponis paullulum aſſumi poteſt,deq; præcocijs,quę vocant,aut perſicis,tum ex melca, quam ſic Romani vocant refrigerata,& aphrogalacte,lactarijſq; edulijs,eodemq; modo ficus frigidæ,& cucurbitæ accomodæ ſic affectis) ex quibus ſic argumentor,per Galenum & poma,& perſica, & ceraſa,& ficus,& cetera frigida conueniunt,ergo & poſt ipſa potus frigidæ ad refrigerandas ſquallidas naturas competet æſtiuo tempore potius quam vinum, quod ipſe Gal. paulò poſt innuit inquiens (præſtat enim ſicuti diximus, aridam corporis caliditatem frigida aqua curare vitatis ſubinde cibis ſucco malo præditis.)Confirmatur amplius hæc doctrina propria experientia;ipſe enim ſępe dum eſſem adoleſcēs,

per

per calores æſtiuos poſt fructus eiuſmodi ingeſtos,ſiue ieiuno ventre,ſiue ab alijs cibis,aquam immediate, & non mediocriter potaui ſumma cum oblectatione,& vtilitate, & aſſidentium admiratione.quia tunc vigebat calor eam requirens. & in hac etiam ætate aliquando per æſtiuos calores poſt peponis eſum aquæ modicum haurio ductus neceſſitate quadam appetentis ventriculi, quam ſane nunc bene intelligo eſſe ſquallidam quandam ſeu aridam caliditatem ventriculi eo tẽpore,cui adiumento ſunt fructus frigidi,& aqua frigida,quę nocua ſunt frigidioribus,& tẽperatioribus.quocirca non ſimpliciter poſt aſſumptos fructus quoſcumque ex prædictis eſt aqua concedenda,vel neganda, & vinum exhibendum,vel prohibendum,ſed habita ratione temperamẽti ventriculi,& totius,anni temporis,ſitis intenſæ,&c.

Obijcies 1. Contra tum concluſ.tum corollaria Platonis authoritatem,quam expreſſis à Plat.verbis 2. legum, Galenus refert.lib.quod animi mores corp. temp. ſeq. c. 10. (ſed multo magis quam Cretenſium, Lacedęmoniorumq; vſum, Carthaginenſium legem probarem, vt numquam in caſtris guſtare uinum quiſquam audeat:ſed toto illo tempore aqua bibatur; & in ciuitate numquam uini uſum ſeruo, aut ſeruæ concederem; ſed nec magiſtratibus eo anno,quo magiſtratu funguntur; gubernatores etiam ac iudices munus ſuum obituros,à uino penitus prohiberem,deliberaturos quoque de rebus non omnino negligendis.ac nulli penitus interdiu uinum cõcederem,niſi exercitationis corporeæ,morborũq; cauſa,hoc potu opus fuerit;neq; etiã nocte uiro,aut mulieri, quando liberis operam dare uolunt) ex quibus omnibus patet neque complexionum, neq; ætatum, neq; anni temporũ habendam eſſe rationem in Platonis ſententia. **1. Obiectio. Platonis ſententia de vini potu.**

Reſpondetur Platonem hoc loco non obſtare traditę doctrinæ,neq; enim de tuenda ualetudine hic agit Plato, ſed de mente,ac animo componendo per uini abſtinẽtiam maxima cum ſeueritate,ut ſatis conſtat ex allatis uerbis. iubet **Reſponſio.**

enim abſtinentiam à uino, ut ſemper ſint mentis compotes, quod concedendum quidem eſt præcipue Carthaginẽſibus, quorum ſentẽtiam Plato amplectitur; eſt enim ea regio admodum calida ſicca, in qua ut conſtat ex dictis, neceſſario uina gignuntur calidiſſima, quæ facile mentem lędant, & animos intemperãt, nec ſunt ex uſu corporibus calidis ſiccis, quæ in ea ſunt regione, in qua per æſtatem fere diebus ſingulis opium aſſumunt ad gr. iiij. uel v. ut ſanguinis ardorem compeſcant, quem uſum etiam Neapoli à mancipijs earum regionum æſtiuo tempore ſeruatum uidi, quæ regula à temperatæ regionis, uel frigidæ incolis eſt omnino uitanda, ob rationes traditas tum in cõcluſ. tum in coroll. ubi noſtra intentio eſt ſanitatem tueri, mentemq; non lędere; ubi .n. capitis imminet affectus, & capitis adeſt debilitas, à uino eſt abſtinendum, ut dictum eſt q. 10. & dicetur infra.

Vſus opij apud Africanos æſtatis tempore ad cõpeſcendũ ardorem.

Inſtantia.

Inſtabis ſaltem ex eodẽ Plat. in Timęo, de alimento, pueri prohibentur à uini potu uſq; ad annum 18. ubi uidetur inſpicere nutritionem puerorum, non moderationem morũ, aut animi temperantiam, contra Hyppocratem cit. 2. coroll.

Dilutio inſtantiæ.

Reſpõdetur hoc eodem etiam loco inſpicere Platonem, ne puerorum animi lędantur, ut patet legẽti; prohibet enim uinum, ne furibundus ipſorum fiat animus, qua de re eſt maxime ſollicitus ibi Plato; Verum eſto Plato inſpiciat puerorũ educationem, & nutritionem, Dicẽdum eſt Platonem loqui de pueris in hac ætate calidiſſimis, cum Hyppocrates loquatur de temperate calidis, ut diximus ſup. tract. de aqua q. 6. art. 1. in fin. quod enim aliquis poſſet dicere, Platonem loqui de potu uini meracioris, quem prohibet pueris, Hyppocratẽ uero loqui de potu uini diluti, quod concedit, & cõcederet etiam Plato; eſt uaniſſima conciliatio, & explicatio; inquit enim Plato, (primum lege caucbimus ne pueri uſq; ad ætatis annum duodeuigeſimum prorſus uinum deguſtent) nullo igitur pacto uinum concedit, ne dilutum quidem, intellige calidiſſimis in exceſſu, quibus complexionibus nulla ratione

Plato denegans vinum pueris, conciliatur cum Hyppocrate concedente vinum pueris, ſed dilutum.

uinum

uinum cōcedendū eſt, ut ex Gal. diximus, qui ita loquitur 5. de ſanit. tueñ. c. vlt. (ſi cui ergo vt in intemperie, quæ intra ſanitatem conſiſtat, calidiſſimum temperamentum ſit, huic omninò vinum circumcidiſſe prodeſt.) ſed contra

Inſtabis amplius ex dictis à nobis ſupra q. 11. concluſ. 1. vina dilutiſſima magis refrigerant quam aqua, ergo hæc cōueniunt naturis calidiſſimis multo magis quam aqua; contra mox allatam auctoritatem Galeni, & noſtram cōcluſionem. Altera inſtantia.

Reſpondetur, concedendo totum. Neq; quidquam contra Galenum, & contra nos ex hac inſtantia inferri, Cum enim cum Galeno, denegamus vinum complexioni calidiſſime, loquimur de vino, quod vini vires habeat, calefaciendi ſcilicet reſpectu aquæ, quam vim non habet vinum dilutiſſimum, ſed dilutū, quod, vt Galenus docet de rat. vict. com. 3. in tex. 40. cum ſermo eſt de ſanorū vino diluto, eiuſmodi eſt, vt vinū, non aqua guſtatu debeat euincere, & conſequenter viribus; quapropter ne dilutum quidem cōpetit naturę calidiſſimę, quia calefaciendi vim habet reſpectu aquæ. dilutiſſimum autem ſecundum ſe non eſt denegandum ob rationem inſtantiæ veriſſimam. Dilutio. In vino diluto, vinum nō aqua guſtatu, & viribus euincit. An vina dilutiſſima ſint concedenda naturæ calidiſſimæ.

Obijcies 2. ex Gal. 8. de compoſ. med. ſecund loc. c. 4. ante fin. habentur hæc verba (in potu prodeſt vinum, qđ vnuſquiſq; libenter bibit) ergo vana ſunt corollaria tradita, & concluſio, calidis naturis competere vina debilia; frigidis vina fortia, ſenibus vina alba, tenuia, vinoſa; gracilibus vina craſſa, obęſis vina aquoſa. &c. ſed vina ea competunt, quæ libenter bibuntur, hæc enim proſunt. 2. Obiectio.

Reſpondetur hanc ſententiam nō eſſe Galeni, ſed Archigenis, cuius curationem refert Galenus toto eo capite ad ſtomachi affectiones, & non poſſe eſſe vniuerſaliter veram; experientia enim cuiq; conſtare poteſt quædam vina libenter bibi, & ſumma cum oblectatione guſtari, quæ nocua ſunt tum ventriculo, tum reliquo corpori, vt quædam nouella, & quæ linguam exaſperant, cum ſenſu aliqualis dulcedinis, & Reſponſio.

veri-

De veritate propoſitionis. Vinum prodeſt, quod vnuſquiſque libẽter bibit.

verificari primo de vinis,ſuapte natura vtilibus,& in corporibus ſanis.hęc enim ſuapte natura ea appetũt,quæ ſibi ſunt vtilia. vnde liquido obſeruare licet calidas naturas, ſed ſanas,libenter bibere vina aquoſa: ſenes ſanos libenter bibere vina fortia: graciles libenter bibere vina craſſa: contra carnoſos,& obęſos appetere vina tenuia,quod in alijs, & in me ipſo expertus ſum, admiratus quì factum eſſet, quod ab anno fere vigeſimo vſque ad trigeſimũ octauũ, ſummopere gauderem vinis ſubdulcibus, craſſis, potiſſimum ſi tale eſſet vinum,quod Neapoli vulgo vocant lachrymam montis Veſuuij, cum tamen non fiat ex lachrymantibus, ſed expreſſis vuis more ordinario:deinde vero vſq, ad hanc diem,qua annum ago quatrageſimum ſecundum, hæc vina non amplius in vſu aſſiduo placeant,ſed vſus delectet vini albi,tenuis,vinoſi tamen. Cuius rei rationem,hæc ſcribens,veram nactus ſum;quod ante annum 38.admodum gracilis extiteram, cui complexioni,vt dictũ eſt,vina conueniunt craſſa ad nutriendum apta; poſtea vero factus ſum carnoſior,nec tanta indigens ciborum,& vinorum craſſitie ad refectionem; ſed quæ ſufficiat ex vino tenui,vinoſo tamen;quo eo magis fruor,qđ nouerim ex huius tractationis ſtudio,hęc vina eſſe vtiliſſima meæ temperiei in hac ætate, ſicut in ſenectute etiam ſunt maxime vtilia. quod Plato etiam docuit à Galeno allatus loc.cit.quod ani.mo.corp.temp.ſeq.c.10.dum inquit(vt vero ad quatrageſimum peruenerint, tũc in conuiuijs oblectati,cum Deos alios,tum etiam Bacchum inuocent in ſeniorũ ſimul ſacrificia,& ludos, qui vinum cõtra ſenij auſteritatem ſalutarem medicinã hominibus donauit,&c.) Verificatur 2. tradita in obiectione ſententia in laborãtibus ex affectu vẽtriculi,quibus vel nauſea,vel inappetentia,vel ſimili affectu correptis,vinum prodeſt,quod libenter bibitur,& magis appetitur,iuxta Hyppocratis doctrinam veriſſ.mam,& omninò obſeruandam 2.aphor.38. vbi ita decernit (parum deterior potus,& cibus,ſuauior tamen,melioribus quidem,ſed minus ſuaui-

Platonis ſententia de vino bibendo in cõuiuijs, in anno quatrageſimo.

Alter ſenſus propoſitionis; Vinum prodeſt, quod vnuſquiſque libẽter bibit

ſuauibus,eſt præferendus.) Cuius rei rationem aſſignat Galenus ibidem his verbis. (nam quæcumque voluptate aſſumuntur; iſta ventriculus amplexatur,& facile concoquit,ſicuti illa quæ diſplicet,reſegit, vt ad quæ vel nauſeæ,vel flatus,vel fluctuationes ſubſequantur, &c.)

Ex his clare colligitur cur quædam vina nobis ipſis quãdoq; placeant,quandoq; diſpliceant; Et cur quibuſdam hęc vina,alijs alia ſatisfaciant? Hæc enim varietas oritur ex varijs affectionibus,& complexionibus tum ventriculi,tum totius,quibus permutatis in nobis,tum per ętates,tũ per morbos,tum per anni tẽpora,tum propter alias extrinſecas cauſas,motum corporis,& animi,&c.& diuerſis exiſtentibus in varijs naturis,varius eſt vinorum guſtus,oblectatio, & vtilitas varia;& idcirco nunc dulcis,nunc acidus,nunc auſterus, nunc debilis,& aquoſus, nunc contra vinoſus, & craſſus expetitur vini potus & à nobiſmet,& ab alijs. **Cur nunc hæc,nunc alia vina a nobis met, & alijs expetantur.**

Obijcies 3 Contra 4.Coroll.Corporibus humidis conuenit id,quod eſiccat;ſed magis eſiccans eſt vinum album,tenue,vinoſum,& acre,& antiquum,vt conſtat ex dictis ſupra q.9.quam uinũ album aquoſum; ergo magis conueniet corporibus humidis vinũ hoc acre,& albũ, tenue,quã aquoſũ. **3 Obiectio.**

Confirmatur ex Hyppocr.qui lib.de ſalubri dięta tex.24. hanc ſtatuit ſententiam.(mulieribus ratio victus eſſe ſiccior debet,commodiores enim ſunt cibi ſicci mollitiei carnis, vt item pocula meraciora referunt plus ad ſecundas, & fętus nutriendos)ex quibus clare patet in Hyppocratis ſententia, corporibus humidis,& mollibus conuenire cibos ſiccos, & uinum acre,uinoſum,quod eſt meracius,& magis eſiccans.

Reſpõdetur corpora poſſe eſſe humida dupliciter, uel humiditate alimentali,qualis eſt, quæ ab adipe, & obeſitate prouenit,& à sãguinis,carniſq; copia: Et hac ratione humidis corporibus conuenit potus uini aquoſi, cui etiam ſit admixta aqua marina,ob rationes omninò ueras,& cõcludentes,in corollario 4.allatas, ut patet intelligenti. Alia ratione dantur **Reſponſio. Quibus corporibus humidis cõpetat potus vini aquoſi,uel vini albi, tenuis,vinoſi,**

dantur corpora humida,non quidem humiditate alimẽtali, ſed excrementitia,quales ſunt ordinario ſenes, qui ſiccam cũ habeant corporis ſubſtantiam, plurimo tamen abundant ſeroſo excremento,ut patet ex 5.de ſanit.tuen.c.5. & plurima abundant pituita,ut diximus tract.de temperamẽtis q.7. art.2.not.1.eiuſmodi etiam ſunt hydropes, & ſimiliter affecti. Atq; hæc corpora requirunt uinum,quod ſit uinoſum,& robuſtum,album tamen,& tenue,à quo excremẽtitia humiditas lõge magis per urinas excernitur,& euacuatur,quam ab aquoſo,quo eſt longe magis nutriẽs.Hinc patet reſpõſio ad confirmationem. loquitur enim Hyppocrates loc. cit. de mulieribus humidis humiditate excrementitia,ob quam ſolent uteri acetabula mucore repleri,unde fętus deperditur, quod docet idem Hyppocrates 5.aphor.45. inquiens (quæcumq; mediocriter corpora habentes,abortiunt ſecũdo,aut tertio mẽſe ſine occaſione manifeſta,ijs acetabula uteri plena mucoris ſunt, & non poſſunt ex pondere fętum continere,ſed diſrũpuntur) his igitur mulieribus optime docet Hyppocrates loc.cit.de ſalub. diæta conuenire cibum ſiccum,& potum meracioris uini,quod referat plus ad ſecũdas, & fœtus nutriendos,& conſequenter retinendos,mucor enim,ſeu pituita inepta eſt ad fętus nutritionẽ,& retẽctionẽ in utero.

& acris, a quoſi cõtrarij quo ad calefaciẽdi, & nutriendi vim.

Quibus mulieribus cõpetant vina meraciora.

4.Obiectio.

Obijcies 4.contra 5.corollar.quia Gal.7.meth. med.c.6. omnino contrariam uidetur ſtatuere doctrinã,ſiccatis nempe corporibus non eſſe exhibendos cibos craſſæ ſubſtantiæ, licet maxime nutriant, qualis eſt caro ſuilla, & de uino loquens,talibus corporibus,quæ debent refici, omninò prohibet uinoſum,his uerbis(ab hoc cauendum eſt,quoniam imbecillas vires feriat,at quod aquoſum natura eſt, ceterum auſterum, id percommodum eſt.)

Reſponſio.

Quando in corporibus ſiccis nõ cõueniant vina craſſa, ſed aquoſa.

Reſpondetur Galenum hoc loco non eſſe ſibi ipſi cõtrarium,& doctrinæ traditæ in corollario enim quinto loquuti ſumus de uino exhibendo corporibus ſiccis, ſiccitate inſpecta,& gracilitate; hoc autẽ loco Galenus loquitur de cibo, &

& uino exhibendo corporibus ſiccatis unà cum uirium imbecillitate,& potiſſimum cum debili concoctrice uentriculi, à qua cibi craſſi,& uina craſſa,& fortia nequeunt cõcoqui, & digeri,vt diximus etiam ſupra q.5.obiect.2.

Obijcies 5.Galenus de ſucc. bonit. & vit.c.13. ſquallidis naturis dat vinum dilutum frigidiſſima aqua refrigeratum, non igitur ſiccis,extenuatiſque corporibus exhibenda ſunt vina craſſa, vt voluimus in coroll.5. 5. Obiectio.

Reſpondetur Galenum hoc loco non eſſe contrarium doctrinæ traditæ in 5. corollario; non enim hic vere potũ prębet idoneum contra ſiccitatem corporis,de quo in 5. corollario dictum eſt ; ſed contra caliditatem corporis ſicci in motu verſantis æſtiuo tempore,vt patet legẽti totum caput ab initio.& in medio ſic inquit(præſtat enim ſicuti diximus, atiđã corporis caliditatem frigida aqua curare)quibus oſtẽdit magis vrgere caliditatem quam ſiccitatem in hoc caſũ; & idcircò paulo poſt ſubdit (ſit porro vinum dilutum quoq; ad hunc modum refrigeratum) aqua ſcilicet gelidiſſima, in corporibus ſcilicet,quæ ipſe explicat his verbis (atque hæc ego ijs conſulo,qui vitam negotijs plenam degunt,cuiuſmodi ſunt,qui gẽtibus,ac ciuitatibus regendis præſunt,horũq; in primis miniſtri,nec ſane minus,qui militiam exercent,aut iter longinquum ingrediuntur) quod conſilium reſpicit tutelam corporis potiſſimum, & idcirco aliquantulum variat à Platonico præcepto ſupra allato obiect.1. Reſponſio. Galeni dogma de vino exhibendo his qui in negotijs vitam degunt.

QVAESTIO DECIMAQVARTA.

Quo tempore conueniat vini potus, & in qua quantitate, ſeu menſura.

QVæ in hac quæſtione dicentur,communia ſunt tum ſanis,tum ægrotis,vt conſtabit ex dicendis.

Prima Concluſio.Vinum non conuenit ieiuno,ſeu vacuo vẽtriculo,ſed vel ab aſſumpto cibo,vel vna cum cibis 1. Cõcluſio.

P vinum

An vini potus côueniat ieiuno vêtre

vinum eſt bibendum. Hanc concluſionem ex profeſſo docet Galenus in 6. epidem. comm. 6. in tex. 5. poſt med. 2. aphor. in aphor. 21. & comm. de ſalubri diçta in tex. 12. Et

1. Probatio.

Probatur 1. Experientia Galeni de hac re, quam teſtatur loc. cit. in 6. epidem. his verbis (aliquãdo autem ego quempiam dolore vexatum ſine cibo vino vti iubens, vt opinionẽ meam confirmarem, multis ſubito calidis vaporibus affectum locum petentibus, eum, vt fui veritus, magis cruciatum animaduerti.)

2. Probatio.

Probatur 2. ratione, quia vinum cum calidum naturà ſit, & maxime vaporoſum, ſi ieiuno exhibeatur, vaporum copiá magnam excitat, qui vel recta caput petunt, & capitis vel dolores, vel deliria inferũt, vel conuulſiones, & ſimilia ſymptomata, vt Galenus docet loc. cit. 2. aphor. 21. vel ad alias partes debiles feruntur, quales ſunt partes, vel quæ actu doleant, quæ idcirco à vaporum multitudine cruciãtur magis, vt mox ex Galeno dictum eſt. vel quæ dolore poſſunt, & ſolent affici, vt articuli ſiue pedum, ſiue manuum, ſiue aliarũ partium; Quamobrem Gal. 6. aphor. 28. expreſſe docet, podagræ multitudinis ſuo tempore, cauſam potiſſimam inter alias eſſe, quod ante cibum biberent vina potentia, quod nõ accidit vino epoto poſt aſſumptos cibos, vel vnà cum cibis mixto, ſicuti eſt cyceon ab Hyppocrate vocatum loc. cit. 6. epidem. Quia vinum cibis dum commiſcetur in ventriculo, vel cum cibis mixtum ad ventriculum mittitur, non ita facile calefit, nec tam valde, nec conſequẽter tantam vaporum copiam efficit, nec ita facile, ac tam ſubito ad partes peruenit, quæ proinde ab epoto vino vna cum cibis, & ab aſſumptis cibis, non lęduntur, cum ad ipſas paulatim, tum cibi, tum caloris fiat moderata diſtributio.

1. Corollar.

An mox à balneo conueniat vini potus.

Ex hac doctrina cõcluſionis colligitur 1. Ratio. Cur mox à balneo, non cõueniat vini potus, vt dictum eſt tract. ſuper. q. 6. art. 2. corollar. 5. Quia balnea adminiſtrãtur ieiuno exiſtente ventriculo, ſaltem ordinario, & in corporibus ſanis, vt

fusè

fuſè Galenus docet 1. de ſanit. tuen.c.10. & conſequenter vinum à balneo,ſi exhibeatur,damna infert prędicta in mox allata probatione 2. quo fit vt cibus debeat balneum ſequi, vt Gal.docet 1.de ſanit.tuen.c.10. ſedata tamen turbatione à balneo,vt monuimus cit.loc.tractationis de aqua, Et hinc

Colligitur 2. à balneis poſſe vini potum concedi,vbi non eſt vēter omninò ieiunus,& vacuus,quia aliquid cibi aſſumptum ante balneum fuerit,id quod aliquibus ex vſu eſſe docet idē Gal.cit. 1.de ſanit.tuen.c.10.& 6.de ſanit.tuen.c.7. quo loco horam ante balneum edendi,quantitatem,& qualitatem etiam cibi docet. Ratio huius corollarij eſt aperta ex dictis;quia uentre non omninò uacuo,uini potus mediocris non infert damna,quæ infert ieiuno corpore. Vnde intelligitur ratio,cur Galenus 5.de ſanit.tuen.cap.5.concedit ſeni,qui parum aliquid comederit ante balneum, potum uini albi,& quod parum aquæ tolerat,à balneo, quod polliciti ſumus tract.de aqua q.6.art.2.corollar.5.in fin. quia non ieiuno uentre,uinum potiſſimum aquoſum nō replet caput, nec ſymptomata cetera efficit. 2. Corollar. Quando à balneis ſit vtilis potus vini.

Colligitur 3.quod dictū eſt de uini potu à balneo,dicendum de uini potu ab exercitio.Eum ſcilicet,qui aliquid cibi aſſumpſerit,antequam corporis exercitium obierit, poſſe ab exercitio,ac debere,ſi potum appetat,bibere, & aſſumere potum uini diluti, & aquoſi, potiſſimum ſi fuerit ſenex, aut debilis,aut frigidæ complexionis. probatur quia eadem eſt ratio balnei,& exercitationis corporeæ, ut conſtat ex Gal. de ſalubri dięta in tex.12.ſed à balneo,in corpore non ieiuno conceditur uini potus,ergo & ab exercitio,poſt aliqualē aſſumptum cibum.Cum tamen turbatio deſtiterit à balneo, & exercitio,ideſt uehemens anhelitus eſt cōpoſitus, ut loc. cit.annotauimus,& cum à balneo,& exercitio non adeſt intenſa ſatis ſitis,nec corpus eſt natura inſita, uel aſcititia calidiſſimum,cui remedio eſt aquę potus,ut ibidem dictum eſt; uel uinum dilutiſſimum,& frigidiſſimum,ut dictum eſt ſup.q. in dilutione ſecundæ inſtantiæ. 3. Corollar. Quando ab exercitio ſit vtilis vini potus.

4. Corollar. Quibus naturis conueniat potus vini diluti, & aquoſi inter prandiū, & cœnam.

Colligitur 4. inter unū, & alterum cibū, puta inter prandium, & cœnam, conuenire uini potum, ubi mediocris adſit ſitis, ut dictum eſt in corollar. præcedenti, in cōplexionibus his, quibus uini potus competit. quia hoc tempore non eſt omninò uacuus, & ieiunus uenter. Confirmatur, quia ut dictum eſt tract. de aqua q. 6. coroll. 3. aquæ potus conceditur à cibo, ubi ingens eſt ſitis, ergo & uini potus aquoſi, ubi mediocris eſt ſitis, concedendus eſt, eoq; magis quod aquoſi, & diluti uini præſertim frigidi potus tum aquæ uim habet refrigerādi; tum uini commoditatem obtinet, nempe celerem cibi delationem, & diſtributionem. Atq; hanc doctrinā tum huius, tum præcedentis corollarij mirificè expreſſit paucis uerbis Hyppocrates lib. de ſalubri diæta tex. 31. inquiens (quos ſitis infeſtat, cibos hi, & labores minuant, ac uinum dilutum bibāt, idq; quam frigidiſſimum) manifeſtè .n. patet loqui de potu uini diluti, & frigidiſſimi, exhibēdo in ſiti poſt labores, & poſt cibos, & idcirco tum cibus, tum labor eſt minuendus, ne ſitis creſcat poſt cibos, & poſt labores, ſeu exercitationes; conſtat enim unicuique, à copioſiore cibo, & ulteriore exercitio, ſeu ut loquitur Hyppocrates, labore, ſitim intendi, & augeri, ſeu intenſiorem produci. Vnde cōſtat nec etiam de uini potu uniuerſaliter uerificari ſcholæ Salernitanæ ſententiam illo uerſu expreſſam.

Cēſura ſcholæ Salernitanæ.

Vt minus ægrotes, non inter fercula potes.

Etenim ut dictum eſt, à cibo cum ſitis infeſtat, eſt bibendum uinū dilutum, uel aquoſum, & frigidiſſimū. Recipienda igitur, & limitanda eſt opinio Regiminis Salernitani, cum ſitis non adeſt, uel certe eſt ſuperficialis, & cum abunde fuerit potus aſſumptus; & ſępius repetitus in cibo, id quod concedunt Salernitani regiminis medici, dum inquiunt.

Inter prandendum, ſit ſæpe, parumquè bibendum.

An ſępe, & parū ſit vinū bibendū in prandio, & cœna.

Quam ſententiam non eſſe ueram in aquæ potu, dum cibum aſſumimus, probatum eſt ſuperiori tract. de aqua q. 6. art. 2. corollar. 4. nec etiam eſſe uniuerſaliter ueram de potu uini,

patet

patet ex dictis q.ſuper. Cum enim complexiones ſint uariæ, & aliquæ frigidiſſimæ, non poteſt his competere paruus, & frequens vini potus, ſicut competit calidioribus, & temperatioribus hominibus, vt ſatis conſtat; Adde etiam nō ſemper eadem cibaria aſſumi, ſed quandoq; ſicciora, & calidiora, quæ frequentiorem potum requirunt; alia humidiora, & tēperatiora, quæ non ita frequentem potum deſiderant. Valet igitur tradita ſententia vel in calidioribus naturis, vel in calidiorum, & ſicciorum eduliorum eſu. Vel certe illam protulit ſententiam Anglorum Regi ſcribens ſchola tota Salerni, vt deſuetudinem immoderate bibendi compeſcerent Angli, quibus etiam rationabiliter ſubdit aliud dogma,

Vt minus ægrotes, non inter fercula potes.

Cum enim ſufficienter, & ad ſatietatem bibant Britāni in prandio, & cœna, non debent inter hæc tempora potum aſſumere, quod quidem bene illis præcipit Schola Salerni, vt patet ex mox dictis, ſed quantum intelligo, male obſeruant tum Angli, tum his ſimiles nationes plurimæ. quæ ſi non ſatis videantur lędi, beneficium hoc acceptum ferre debēt potiſſimum conſuetudini, de qua infra nonnulla dicemus.

Quando non cōpetat vini potus inter fercula.

Colligitur 5. deciſio illius controuerſiæ. An cibus debeat ſumi ante potum, quod plures aſſerunt, an contra potus ante cibum capi debeat, quod alij aſſerunt. quorum opinioni videtur fauere ſchola Salernitana illo carmine.

5. Concluſ. An ſit aſſumendus potus ante cibū, an cōtra cibus ante potum.

Vt vites pœnam, de potibus incipe cœnam.

partimq; aſſentitur etiam Valleſius lib. 6. controuerſ. c. 5. ita inquiens (cum exceſſus in ſiccitate eſt immodicus, incipiendum à potu eſt, & deinde cibo alternatim, potuque ingeſto, rurſus refectionem potu concludendam.) Etenim ſi potus ſit vini, is numquam ieiuno ſtomacho cōpetit, ob rationes concluſionis allatæ, & conſequenter à potu non debet incipere prandium, vel cœna, tunc enim vt patet aperte, ieiuno exhibetur vini potus omnino infeſtus, Confirmatur, quia ſi quādo vini potus eſſet concedendus ante cibum, maxime eſſet

Numquam à vini potu debet incipere prādiū, vel cœna.

caſus à Valleſio poſitus,cum ſcilicet exceſſus eſt in ſiccitate immodicus,qui fit vel ex longa inedia,vel alui profluuio,vel fluxu ſanguinis,vel ſimili cauſa,verbigratia immodico labore,& motu,vt palam eſt medicis omnibus; ſed in his caſibus manifeſte,& maximopere offendere vini potum , antequam cibus aſſumatur,& conuulſiones,& deliria producere,& ſimiles affectus,expreſſe teſtatur Gal.2.aphor.in aphor.21.ob rationem concluſionis. ergo numquam concedendus vini potus ante cibum,tamquam proficuus; Neque de vini potu intelligendum eſt Salernitanum carmen, ſed vt exponit Arnaldus à Villanoua ſuper illum verſum de potabili cibo , & liquido,qualia ſunt iura pinguia,& ſimilia,quæ potus nomine appellantur etiam ab Hyppocr. vt cõſtat 2.aphor.11.vbi inquit(facilius eſt impleri potu,quam cibo) ideſt liquido cibo,quale etiam eſt vinũ,in vera,& Galeni ſententia in hunc loc.Hyppocr. ſed non vtiliter accipitur à principio prandij, ſicut cetera edulia liquida à principio ſaltem vt plurimum conueniunt,ante alios ſolidos cibos,potiſſimum in his , qui refectione indigent,vt colligitur 2.aphor.11.& in his qui fame laborãt,vt colligitur ex Gal.2.aphor.in aphor.21. & dicetur fuſius tract. vniuerſali de cibo, & potu . Si vero potus non ſit vini,ſed aquæ, hunc cõcedimus poſſe ieiuno exhiberi,vt patet ex dictis tract.de aqua q.6.art.2.coroll.2.& conſequenter ab aquæ potu poſſe quandoq; incipere tum prandium,tum cœnam; cum ſcilicet vera adeſt ſitis, non ſuperficialis, ut ibidem diximus, tunc ante cibum ieiunus quis poteſt aquam potare ad ſitis cauſam tollẽdam, niſi quid aliud ſit aquę potum prohibẽs.Et ſane ſępius per æſtiuos calores. Ego,& domeſtici mei ad menſam acceſſimus ſitiẽtes potius, quam eſurientes,& frigidę potu ante omnes alios cibos modico accepto,naturà docente;tum ſitis deſijt,tum cibi appetentia fuit excitata;qua in re medicum errorem me commiſiſſe,& ceteris conceſſiſſe,dubio animo ſuſpicabar. nunc autem ex hac doctrina veriſſima libentius permittam, & mihi, & ce-

Schola Salernitanæ expoſitio.

Quando ab aquæ potu poſſit incipere prãdiũ, vel cęna.

& ceteris,ac conſulam etiam aquam modice præbibendam ante cibos,cum in æſtuoſis cõſtitutionibus, & caloribus homines complexionis calidæ & ſiccæ potiſſimum, ad menſam veniunt potius ſiticuloſi,quam cum appetentia ciborum. Etenim tunc indicium eſt caliditatis,& ſiccitatis ventriculi, cui præſto eſt potus recentis aquæ humectantis, & refrigerantis,atq; idcirco appetentiam incitantis,quo fit vt bene ab Hyppocrate aqua edax dici ſoleat, vt fuſius noſtra tract. de fame,& ſiti Deo dãte,& Illuſtriſs.Domino,annotabimus.

Secunda concluſio.Vini potus numquàm fieri debet in multa quantitate. Eſt certiſſima apud omnes. Ex vino enim copioſiore quam par ſit aſſumpto plurima damna oriuntur, quæ refert,& teſtatur Gal.3. de temper. c.2. vt morbus comitialis,apoplexia,tetani,conuulſiones,caros,&c.& 2. de ſympt.cauſ.c.2.in med.tremore corripi docet eos, qui ſe vino meraco ampliter impleuerunt, & 6. aphor.28. podagræ docet nocere multa, & potẽtia vina epota præcipuè ieiuno corpore; & 2.de loc.aff.c.vlt.ante fin.hiſtoriam refert pueri,his verbis(qui cum vehementi ſiti cruciaretur, nec eſſet ei aquæ copia,vinum antiquum liberaliter potauit, atq; ex reliquo tempore vigil omnino permanſit, poſtea correptus febre,vnà cum vigilijs oborto delirio perijt) & 5.de loc. aff. c.6.inquit (iam alios quoque vidimus conuulſione comitiali ob oris ſtomachi vitium,correptos.cum aut non probe concoxiſſent,aut vini,& quidem meracioris plurimũ potaſſent, aut vbi veneri immodice operam dediſſent) copioſioris igitur vini potus,ſeu multus, ſeu plurimus, præſertim meracioris,non exhiberi debet; lędit enim primò vẽtriculum,ſecundo alias partes, præcipue cerebrum, quod liquido experiri licet in ebrijs,qui à vino plurimo epoto,varie delirãt, & vel ad riſum, vel ad nimiam loquacitatem, vel ad furorem, vel ad triſtitiam fiunt præcipites;alij taciturni euadunt,alij profunde dormiunt,quorum omnium melior eſt conditio; ſicut peſſima è contrario eſt illorum, quorum meminit Hyppocr. 5.aphor.

2. Cõcluſio. De quantitate potus vini.

De ebrijs.

5.aphor.5.inquiens(ſi ebrius quiſpiam repente obmutuerit, conuulſus moritur, niſi febre corripiatur, aut vbi ad horam peruenerit,quo ſoluuntur crapulæ,vocem recuperet)in quē lo.ex Galeno omnino legendo notandum eſt,tertiam diem crapulæ eſſe vltimum terminum, in qua ſi neq; febricitare, neq; loqui anticipauerit ebrius, conuulſus moritur.

Tertia dies eſt vltimus terminus crapulæ.

Obiectio.

Obijcies,Idem Galenus 1.de ſympt. cauſ. c.8. ante med. ſomnum conciliari docet in ijs,qui pluſculum vini biberunt, non igitur ſemper eſt malus vini potus in magna menſura.

Reſponſio.

Reſpondetur magnam menſuram, ſeu quantitatem excedentem potus vini duplicem debere diſtingui. alteram,quæ legitimos & naturales terminos potādi excedit,& hæc ſemper praua eſt,& inhibenda,& de hac loquitur noſtra cōcluſio. Aliam vero,quæ intra legitimos bibendi terminos conſiſtit;naturaliter enim quidam ampliore vtuntur poculo,alij minore; & varijs temporibus nunc liberalius, nunc parcius bibunt,& hæc magna menſura, quæ nō excedit debitos terminos, quandoq; eſt concedenda, & de hac loquitur Galenus loco in obiect.cit. potiſſimum ſi vinum ſit dilutū, à quo ſomnū conciliari docet Galenus 2.de loc.aff.c.vlt. ante fin.

Vinum dilutum ſomnū conciliat.

Prima regula parcius, vel liberalius bibendi vinum.

Sane regula parcius bibendi, vel liberalius, ex pluribus deſumi poteſt.Primo,quidem ex anni tēporibus. Sicut enim autumno meracius, ita etiam parcius bibendum eſt; hyeme vero meraciſſime,& parciſſime eſt bibendum. Veris autem tempore amplius potandum eſt,& dilutius; æſtate tandem poculis multo dilutiſſimis, & plurimis vtendum eſt.quæ doctrina eſt expreſſa Hyppocratis de ſalubri diętа tex. 2.3.4. Ex quibus locis colligitur hæc manifeſta probatio. Autumno incipiunt corpora frigeſieri,& humectari,& conſequēter aggregari frigidæ, & humidæ ſuperfluitates, quæ hyeme frigidiſſima,& humidiſſima magis frigidę, & humidæ aceruantur,ergo ratio potus,de qua nunc agimus, debet eſſe, quæ contrariam alterationem faciat, prohibeatq; horum excrementorum prouentum; tale eſt uinum meracius, & parcius

parcius autumno, meraciſſimum hyeme, & parciſſimum, vt ſatis patet. Amplius vere incipiunt calefieri, & eſiccari corpora, vnde calidiorum fit prouentus excrementorum, æſtate autem corpora calidiſſima, & ſicciſſima redduntur, & pariter excrementa. igitur vere dilutius, ampliuſq; potandum eſt, æſtate dilutiſſime, & copioſiſſime; ita enim caliditati, & ſiccitati nos obſiſtere ratione potus, quis eſt qui ignoret? Illud autem monet Hyppocr. loc. cit. tex. 3. paulatim debere fieri non ſubitam mutationem potus. Atq; ex hac doctrina patet

Secundam regulam parcius, vel liberalius bibendi, deſumēdam eſſe, ex complexionibus corporum, ſiue natiuis, ſiue aſcititijs. ſcilicet calidioribus, & ſiccioribus exhibendum eſſe dilutius, & copioſius; frigidioribus vero, & humidioribus parcius, & meracius, ſicut enim in anni temporibus calidioribus, & ſiccioribus pocula debent eſſe plurima, & valde diluta, contra in anni temporibus frigidioribus, & humidioribus bibendum eſt meracius, & parcius, ita pariter ob eādem omnino rationem dicendum eſt de complexionibus calidioribus, & frigidioribus. Hac eadem regula tractanda videtur corpora, vel deſidioſa, vel in frigidis locis degentia, quibus conuenit ob allatam rationem vinum meracius, & parcius; contra vero ſi ſatis ſe exerceant, vel calidis balneis vtantur, vel in calidis viuant regionibus, vel calidiore vtantur cibo, quibus diluta magis & copioſiora, ſeu frequentiora conueniunt pocula, quam regulam minime obſeruari audio à frigidiſſimarum regionum incolis, puta Gallis, Germanis, Anglis, & à quamplurimis ex hac patria Neapolis, qui, de patrijs nunc loquor, iure merito cum plurimis afficiantur morbis longis, & noxijs, certe podagra hac de cauſa infeſtantur potiſſimum, quod vino plurimo vtantur. Secunda regula.

Dices, Hyppocrates lib. de ſalub. diæta tex. 30. hanc habet ſententiam (at qui cibos poſtridie eructant, & ſi præcordia eleuātur, &c. vinum bibant meracius, & largius) quibus patet non eſſe verum quod aſſeruimus, frigidis cōplexionibus, Inſtantia.

de quibus loqui hoc loco Hyppocratē, patet legēti, compe-
Dilutio. tere vinum meracius, & parcius. Reſpondetur nolle Hyppocratem hoc loc. ſimpliciter ex vſu eſſe vinū meracius, & largius, ſed in his qui cibos poſtridie eructant: qui parum debent idcirco cibi aſſumere, quia non valent concoquere, & ciborum reſpectu poſſunt largius, & meracius bibere, à vino enim meraciori calefit corpus, eoq; magis, ſi aliquantulum largius acceptum fuerit; quam doctrinam eſſe veriſſimam, patet ex iiſdem verbis, quæ ſubdit Hyppocrates poſt allata in obiectione, ſic enim ſubdit (cibi vero minus ſumant hoc tēpore, liquet enim præ imbecillitate, & frigiditate vētrem non eſſe ciborum multitudini parem concoquendæ.)

Tertia regula. Tertia regula parcius, vel liberalius bibendi, deſumitur ex conſuetudine. Hanc manifeſte docet Gal. 7. meth. med. c. 6. ante fin. vbi plura docens ſeruanda in victus ratione, indicatione ſumpta à conſuetudine, inter cetera ſic habet (bibunt quoque alij calidum, alij frigidum, & vinum vel liberaliter, vel parcius, vel omninò nullū, vel hoc genus, vel illud, ad ea igitur reducendus quiſq; eſt, quibus inſueuit) quā eandem doctrinam docuit Hyppocr. de rat. vict. par. 2. tex. 33. & 34. in quæ loca Galenus bis repetit, conſuetudinem pluri- mum poſſe, eiuſq, ſubitam permutationem corpori non paruum afferre detrimentum, quod etiam docet in 6. de morb. vulg. com. 2. in tex. 26. hæc habens verba omnino memoriæ tenenda (à prauis vero conſuetudinibus quoſdam ad cōtrarias ſubito traducere conantes, non modico errore tenētur, quandoquidem neque ipſas negligere, neque ſubito traducere conuenit, ſed paulatim, & ipſas interquieſcere permittendo.) Hinc inferas ne per acutos quidem morbos, Anglos, Germanos, Gallos, alioſq; vini potores eſſe ad aquæ potum ſubito permutādos, ſed vel vini diluti magis, magiſq; aquoſi, quod etiam largius eis erit concedendum. ſemper enim cō- donandum conſuetudini, 1. aphor. 17.

Pulchra quædam ex Galeno de cōſuetudine ſeruanda in potus qualitate, & quātitate.

An vini potores per febres ſint permutandi ad aquæ potū.

Quarta regula. Quarta regula bibendi parcius, vel largius, deſumenda eſt

eſt ex alui ſiccitate, vel humiditate, huic .n. potus parcior, illi largior conuenit, vt docet Gal. 4. aphor. in aphor. 83. inquiens. (in quibus enim ſupra modum humida aluus deprehenditur, ijs potum minorem exhibebimus, ac prætcrea illi viam ad veſicam parabimus; in quibus vero ſiccior, & plus dabimus potus, & diſtributionẽ quantũ fieri poterit prohibebimus. Rationes tum huius regulæ, tum præcedentis conſideranti facile innoteſcunt, & à nobis afferentur alibi. Has autem omnes regulas paucis ſtatuit Gal. 1. de arte curat. ad Glauc. c. 3. ita inquiens. (ſed & vinum potare, quantum poſſunt conuincere, ſunt permittendi. menſuræ autem ratio, quemadmodum in alijs omnibus, ex viribus, & ætate ſumitur ægrotantis, nec non & ex naturali temperatura, & præterea ex conſuetudine, & anni tempore, & regione, atq; alijs huiuſmodi) quæ etiam inſpicienda ſunt in qualitate vini potandi, vt conſtat ex cit. loc.

Habentibus aluum ſiccã, largior potus exhibeatur cit.

QVAESTIO DECIMAQVINTA.

An in calidis intemperiebus, & in febribus conueniat vini potus.

IAm accedimus ad explicandum vſum potus vini in ægris corporibus, ac laborantibus potiſſimum calida intemperie, & febre; cuius difficultatis tanta eſt inter medicos, non ſolum diuerſas ciuitates, ſed eaſdem incolentes, diſſenſio, vt teſte Io. Zechio libello de curandi ratione in Vrbe, in ſua epiſt. & in præfat. ſanctiſſimo Pontifici Clementi Octauo placuerit in ſacro Palatio inter cetera de hac re, nempe de vino febrientibus exhibendo, audire inuicem diſputãtes, ſiue conſultantes Excellentiſſimos Medicos, Io. Zechium Bononienſem, & Hieronymum Prouenzalem Neapolitanũ, ſacræ inſuper Theologiæ Doctorẽ, ob cuius ſcientiæ merita

à Summi Pontificis Clementia paulo poſt Archiepiſcopus Surrentinus creatus fuit. De hac igitur controuerſia, vt q d re vera ſentiendum ſit, primo definiatur, ſit noſtro de more.

1. Concluſio. Prima Concluſio. In qualibet intẽperie calida præternaturam, & in qualibet febre, inſpecta ſola intemperie calida, & febre ſecundum ſe, ſeu vt febris eſt, nulla ratione conuenit vini potus, licet aquoſi, & debilis. Hanc concluſionem puto ita euidentem, & certam, vt nõ valeam mihi perſuadere, poſſe aliquem medicinæ profeſſorem ab ea diſſentire, &

Probatio. Probatur manifeſta demonſtratione in hac materia. Contrariorum contraria ſunt remedia, ſed intemperiei calidæ, ſeu febrili eſt contrarium, quod eſt virtute calidum; ergo vinum non eſt vtile in febribus, nec febrium, alteriuſue calidæ intemperiei preternaturam poteſt eſſe vtile remediũ, & conſequenter non conuenit.

1. Cõfirmat. Confirmatur primo, quia vt dictum eſt q. 13. in ſatis calidis intemperaturis, etiam in ſanitatis latitudine exiſtẽtibus, non conuenit vini potus iuxta veram, & Galenicam doctrinam ibidem probatam; ergo multo minus in calidis intẽperaturis, & morboſis, ac febrilibus conueniet vini potus, licet aquoſi, & minime omnium calidi.

2. Cõfirmat. Confirmatur 2. quia vt demonſtratum eſt tract. de aqua q. 7. art. 1. in febribus maxime conuenit aquæ potus, pariter in calida intemperie vẽtriculi, hepatis, & ſimilium partium; ergo aquæ vinum viribus, & natura contrarium, non conuenit in febribus, & calidis morbis, & intemperaturis ſecundum ſe inſpectis, & vt calidis.

Explicatio Galenicæ authoritatis. Atque iuxta hanc concluſionem putandum omnino eſt loquutum Galenum 8. de compoſit. pharmac. ſecun. loc. c. 7. poſt princ. inquientem (vinum conuenientiſſimum eſt citra inflammationem, aut eryſipelas, aut abſceſſum, aut calidam intemperaturam ægrotantibus; Nam & nutrit, & cõcoquit, & roborat, & putrefactioni reſiſtit, & ſi intemperies ex humiditate facta ſit, & frigiditate, eam citra omnẽ moleſtiam, & ſecurè perſanat.) Obij.

Obijcies vinum præcipuè aquoſum minimam habet vim calefaciendi,ergo illud exhiberi poteſt,& debet etiam febre inſpecta,& quolibet febrili morbo, ſeu calida intemperie præternaturam.antecedens clare patet ex dictis q.5.Conſequentia probatur.Numquam à remiſſo augetur, & intenditur id,quod eſt intenſioris gradus,vt conſtat ex phyſicis;ſed febris,& intemperies quælibet calida præternaturam eſt intenſa ſatis, ergo non poteſt intendi à vino aquoſo debiliter calefaciente,& conſequenter non eſt denegandum in febribus, quas non poteſt augere. Obiectio.

Reſpondetur negando conſequentiam, & ad eius probationem dicendum,veram eſſe,& vera docere; non intendi à remiſſo intenſum; verùm non idcirco debere concedi vina aquoſa calidis intemperiebus, & morbis, & febribus vt ſic, ſcilicet ipſis tantum inſpectis,vt loquitur concluſio:à remiſſo enim intenſum eiuſdem ſpeciei ſaltem fouetur,& conſeruatur,& conſequenter calida intemperies præternaturam ex vini aquoſi potu licet per ſe nequeat augeri, & intendi ob allatam rationem,certe fouetur,& conſeruatur, vt facile ex alia cauſa creſcat,& vigeat; morbos autem non ſolum ne creſcant, medicus debet inſpicere, ſed ne conſeruentur, & perſeuerent ijdem,& vt diminuantur,& aboleantur tandem: cui rei impedimēto ſunt vina aquoſa in caſu,de quo agimus. Atq; ob hanc rationem Galenus de rat.vict.in acut. com.3. in tex.4.inquit(prauum autem febri auxilium eſt vinum fuluum,quod vehemēter calidum ſit) & paulo poſt de vino loquens aquoſo,ſubdit (quod ceteris vinis omnibus innocentius febrientibus exhibetur) quod fere idem habet de vinis aquoſis in tex.8. inquiens (cum febrientibus quam cetera omnia ſint minus noxia) quæ verba ſunt diligenter perpendenda. de vino enim fuluo, & acri, & vinoſo docet prauum eſſe auxilium febris,quia vehementer eſt calidum,quod ſcilicet caliditatem febris poſſit per ſe augere; de vinis vero aquoſis eſſe minus noxia,& magis innocentia,quia nequeunt

Reſponſio.

Cur vina aquoſa non debeant cōcedi febrib. vt ſic.

febrem

febrē augere, at febrē quoquopacto fouent, vt explicatū eſt.

Inſtantia.

Inſtabis, quod eſt remiſſe calidum, eſt intenſe frigidum, & contra quod intenſe calidum eſt, eſt etiam remiſſe frigidum. tota .n. latitudo gradualis debet expleri, vel ex vnica qualitate, vt cum ſumma eſt caliditas, & vt octo in materia; vel ex duabus contrarijs qualitatibus, vt cum in materia eſt æqualis tum caliditas, tum frigiditas, vel inæqualis, maior ſcilicet frigiditas quam caliditas, vel contra, vt conſtat ex phyſicis. Sed vinum aquoſum eſt debiliter & remiſſe calidum, ergo eſt valenter, & intenſe frigidum, & conſequenter conuenit contra intemperaturas calidas, & febres ſecundum ſe ſpectatas remouendas.

Hæ ſpeculationes inferunt nauſeā medicis, qui phyſicam aſpernantur.

Dilutio.

Reſpondetur vinum aquoſum eſſe remiſſe calidum non per actualem calorem, ſed per virtualem, ſeu potentialem; ratione enim actualis caloris, & temperiei ſic ſe habet, ſicut cetera vina ſiue nouella, ſiue vetera, ſiue acria, ſiue dulcia, vt patet experientia. De his autem quę ſunt remiſſe calida virtute, & potentia, non verificatur doctrina inſtantiæ allatæ, eſſe intenſe frigida virtualiter. Neq; etiam verum eſt, quod eſt intēſe calidum vi, & facultate, eſt etiam remiſſe frigidum potentialiter; vt ſatis patet experientia, & ratione; Neq; enim dantur hæ duæ virtutes calefaciendi, & frigefaciendi, v.g. in eodem ſubiecto, ſicut dantur in eodem caliditas, & frigiditas actualis, vt bene docet inſtantię argumentū, cuius corruit tum prima, tum ſecunda conſequentia, vt patet conſideranti, & intelligenti; vinum enim aquoſum quia virtualiter eſt remiſſe calidum, non eſt idcirco intenſe virtualiter frigidum, nec conſequenter contra intemperaturas calidas, & febres ſecundum ſe ſpectatas bonū remediū.

2. Cōcluſio.

Secunda concluſio. In calidis intemperaturis prętερnaturam, & in morbis febrilibus exhibendum nō raro, ſed ſępius eſt vinū, non quidem ratione febris, ſed ob alias cauſas, quæ magis vrgent. Ab hac concluſione pariter non eſt putandū medicos diſſentire. Eſt enim apud omnes receptum, in morbis curandis non ſolam eſſe indicationem morbi amouendi,

ſed

ſed etiam virium ſeruandarum v.g. quæ multoties contrariũ indicant,& poſtulant ab eo, quod indicat morbus,& febrilis intemperies, de qua eſt nunc ſermo, cuius reſpectu licet non eſſet vinum exhibendum, hoc tamen exhiberi debet ob alias cauſas, quam doctrinam Galenus ſæpiſſime tum alibi, tũ primo ad Glauc. c. 14. init. his verbis expreſſit (quæ vero cum accidentibus ſunt, non æque ſimplicem exigũt curationem, at pro viribus metiendum eſt, quanta ſit febris, quantumue ex accidentibus periculum immineat, atq; ad id, quod vehementius, ac difficilius eſt, intendendum, non poſthabita omnino etiam alterius cura.) Probatur igitur cõcluſio afferendo cauſas, propter quas vinum eſt exhibendum in calidis,& febrilibus morbis, Galeno docente, & ratione atteſtante. Probatio.

Primo igitur febrientibus corporibus, & calida intemperie affectis conuenit vini potus ſi virium adſit iactura. Probatur expreſsè ex Galeno 11. meth. med. c. 9. circa med. vbi putridæ tradens curationem per potus, balnea, inunctiones & c. ſic inquit. (at ſi mediocris eſt febris,& vires non validę, ſed cum notis concoctionis, ijs, qui ita ſe habent, balneum prodeſt,& vini potio, tum vero ex vnctionibus eæ, quæ rarefaciunt, idq; multo magis cum ambiens eſt frigidum.) An in febribus cum viriũ imbecillitate cõpetat vini potus.

Confirmatur primo idem, ſi febris fiat,& ortum habeat à vigilijs, aut aliquo animæ affectu, puta ira, mœrore, triſtitia cogitatione, quia hæ omnes cauſæ vires deijciunt, & debilitant; & in his caſibus vinum eſt exhibendum, Galeno ex profeſſo docente 1. ad Glauc. c. 3. vbi etiam notat non iræ, ſeu furoris tempore, ſed quando ab ira, & furore omnino quieuerit æger, debere vinum concedi. An in febribus ex vigilijs, ira, mœrore, triſtitia, cogitatione, cõpetat vini potus.

Confirmatur 2. Etenim ob hanc eandem rationem Galenus 8. meth. med. c. 3. in febrientibus ex mox dictis cauſis,& amplius ex refrigeratione, vſtione, curis, laſſitudine, hoc eſt corporis nimio motu; quæ omnes cauſæ etiam, vt patet, vires fatigant,& deijciunt, non vult denegandum eſſe vinum aquoſum,& Hyppocratis auctoritate vtitur, quod non ſolum An in febribus ex refrigeratione, vſtione, curis, laſſitudine, cõpetat vinum.

 in

in diarijs, ſed in acutis febribus vinum dederit bibendum? Et hoc dogmate vtitur idẽ Gal. 10. meth. med. c. 4. actu curans febrientes natura calidos ſiccos ex ſollicitudine; motu corporis &c. eis tum cibum, tum vinum exhibens in ipſa acceſſione, vt patet perlegenti loc. cit. 10. meth. 4.

An in febre cũ forti euacuatione, cõpetat vini potus.

Confirmatur 3. quia propter eandem rationem ſi febris fuerit vnà cum aliqua forti euacuatione, vel ſimili cauſa, virtutem deijciẽte, dandum eſt vinum, etiam ſi adſit deliriũ, mentiſq; aberratio, & læſio, in quibus ſecũdum ſe prohibetur vini potus, vt dicetur. quod expreſse docuit Hyppocr. 4. de rat. vict. tex. 41. dũ inquit (quibus per febres aluus liquida eſt, & mens turbata, &c. his ita habẽtibus ſi venter liquidus fuerit cõtabefaciens, ſorbitiones frigidiores, craſſioreſq; exhibendas eſſe puto, potuſq; qui ſiſtant, vinoſioreſque, vel etiã aſtringentiores.) Vnde colligi poteſt ratio, Cur in pleuritide poſt euacuationem à medicamento purgante concedatur vinũ aquoſum ab Hyppocr. de rat. uict. in acut. par. 4. tex. 37. quod fere etiam repetit Gal. in Hyppocr. de rat. vict. com. 1. in tex. 34. quia ab euacuatione à medicamento purgante facta, virium reficiendarum adeſt neceſſitas, quod eſt notandum in praxi.

Cur in pleuritide, a medicamento purgante, concedendũ ſit vinum.

Confirmatur 4. ob eandem enim rationem, in animi defectu, & exolutione, & in morſu oris ventriculi, etiam ſi adſit febris, vinum eſt exhibẽdum, & calidum vinum, vt fusè Gal. legendus docet 1. ad Glauc. c. 14. & nos infra diſtinctius proſequemur. Clariſſime igitur conſtat ex his, virium ratione, ſi debiles ſint, etiam ſi adſit febris, debere exhiberi vinũ, quod & vires reficit, & velociſſime, vt determinatũ eſt ſupra q. 2. & q. 3. concl. 1. maius enim periculum imminet ex uirium iactura, quam ex febre, vt conſtat medicis, & virium ſemper eſt habenda cuſtodia, & prima omnium indicatio in curandis morbis, à uiribus eſt deſumenda. Sed contra,

Dices, q a Gal. 7. meth. med. c. 6. de uini potu loquẽs, inquit (quãdo uno hoc in potu utẽdũ cẽſeo omnibus, quibus refici

corpus

corpus eſt opus, modo non febricitent) quare in febre cum virium iactura denegatur vinum per Galenum. Reſpondetur Galenum iuxta huius obiectionis conſequentiam non rectè intelligi,& explicandum eſſe, vel de puro vini potu, quo vti debent, qui ſunt reficiendi, quo non poſſunt vti febrientes, qui & diluto vino,vel alternatim vino aquoſo, & aqua ſunt cuſtodiendi,illo ad vires reficiendas, hac ad febrem remittendam; atque hunc ſenſum habent expreſſa Galeni verba, (quando vno hoc in potu vtendum,&c.)vel de febre admodum incendente,& ardente, in qua viribus exiſtentibus debilibus quidem, ſed non admodum, vini potus non eſt concedēdus,potiſſimum ſinceri,& ſolius,de quo hic Gal. loquitur; atque hæc expoſitio conformis eſt maxime Galeno eidem 11.meth.9. dicenti,ſi mediocris eſt febris,& vires non validæ, prodeſt vini potio, &c. Ex quibus patet inſpiciendā eſſe febris magnitudinem, & mediocritatem, & virium maximam vel minorem debilitatem pro vino exhibēdo, in maxima enim iactura ſemper vinum cōuenit, quod velociſſime nutriat,etiam ſi febris ſit incēdens maxime, in mediocri vero debilitate, & imbecillitate vinum prohibetur à febre ardente admodum,mediocriter vero ſe habente febre,conceditur, vt ex Gal aperte colligitur.

Secundo in calida intēperie,& in febrilibus morbis exhibendum eſt vinum ratione conſuetudinis. cuius nō ſecus ac virium,ac propriæ naturæ habenda eſt ratio, vt pluries in ſuperioribus diximus, & Hyppocrates ſępe docet, potiſſimū de rat.vict.in acut.par.2.à tex. potiſſimum 20. vbi ea vtitur ratiocinatione. Sani lęduntur in repentina victus mutatione,ergo multo magis lędentur ægroti,multoq; magis qui acutis infeſtantur morbis.Et tex.21.ſic inquit (quod vitioſus victus cibi,& potus ſemper ſibi ſimilis ad ſanitatē tutior ſit, quam ſi quis ſubito ad alterum, vel meliorem ſe transferat, facile diſcitur, intelligiturque) quæ ſententia clariſſima eſt,& probatur ab Hyppocrate per plures ſequentes textus,

An in febribus ratione cōſuetudinis ſit concedēdum vinum.

Pulchra q̄dā ex Hyppocrate de cōſuetudine ſeruanda in potu.

R qui

qui ſunt omnino perlegendi, potiſſimum tex. 33. vbi cibos, & potus cõſuetos haudquaquam bonos, melius tolerari docet quã cibos, & potus bonos, & inſuetos, & tex. 34. vbi expreſſe non laudans ſubitam permutationem à uini potu ad aquæ potum, uel cõtra, ſic inquit (adhæc quid faciant uini, & aquæ potationes præter conſuetudinem in aliud ſubito translatę, quid dilutum item uinum, meracumq; repẽte pota, &c.) ſubditq; paulo poſt. (præterea quid uinum album, nigrumque præter ſolitum mutata, &c.) Ex quibus omninò certiſſimis tum ob Hyppocratis auctoritatẽ citatis locis, & Galeni ibidem; tum ob ueriſsimas experientias, quæ in dies obſeruantur, & Hyppocrates teſtatur cit. loc. tum rationes, quas Galenus docet lib. de conſuetudine omnino firmum remanet in acutis febrilibus, & calidis morbis non eſſe cõſuetis inhibendum uinum, quod.

An in febribus ratione annexi morbi ſicci, ſit cõcedendus vini potus.

Tertio nõ debet prohiberi in febribus: Cũ febri annexus ſit morbus aliquis ſiccior; Ita manifeſte docet Hypp. de ratione uict. in acut. par. 1. tex. 22. inquiens (nẽpè ſi morbus ſit ſiccior, &c. mulſam, uel uinũ, utrum magis auxiliaturũ putaueris, propinare cõuenit, &c.) quo loco plurimorũ morborũ ſiccorum explicationem, & declarationem Galenus tradit, & pleuritidem ſiccam vocat, item peripneumoniam, & morbos omnes, qui tum pulmones, tum aſperã arteriam infeſtãt, cum nihil ab affectis expuitur partibus, illiſq; conuenire vel mulſam, vel vinum, tamquam hæc quam aqua magis humectent; vnde conſtare poteſt hoc loco debere intelligi vinum dulce, iuxta ea, quæ dicta ſunt ſup. q. 8. concluſ. 3. obiect. 2.

Inſtantia.

Dices ſi hæc doctrina eſſet vera, Galenus non denegaret vinum in marcore, lib. de marcore cap. vltimo ante finem.

Dilutio.

Reſpondetur Galenum in torrido ſolum marcore, qui fit à febre ardentiſſima, vinum fugiendum eſſe docere, eſſe autem admodum proficuum in marcore frigido, & aliquãtiſper iuuare ſyncopoſum marcorem, cuius diſparitatis rationem ſubdemus paulo infra.

Quarto

Quarto non denegandum, ſed exhibendum eſt uinum in febrilibus morbis, ratione humoris craſſi, & lenti. Probatur Gal. auctoritate qui 1. ad Glauc. c. 11. docens omnia, quæ quartanæ febri conueniunt, ab initio uſque ad ſtatum, de uino loquens, ſic habet (uino utendum eſt autem albo, ac tenui, ac mediocriter calido.) Cuius certe rei ratio alia non eſt, niſi quia in quartana febre fugienda eſt uictus ratio refrigerãs, & incraſſans humores; quamobrem inquit Galenus arcẽdos eſſe quartanarios à carnibus porcorum, & omnibus edulijs, quæ tenacia ſunt; item utendum eſſe piſcibus molli carne præditis, & nihil tenax habentibus, ſed hanc uim habet uinum album tenue, ac mediocriter calidum, ut patet ex dictis ſup. q. 4. ergo hoc uinum conuenit in febre quartana ratione craſſitiei, & tenacitatis humoris; quod idem dicendũ in ceteris febribus à ſimilibus humoribus craſſis pendentibus, potiſſimum in quotidiana, pro qua curanda Galenus 1. ad Glauc. c. 12. ut cõſtat perlegenti, iubet à principio, & primis diebus utendum eſſe ijs, quæ poſſunt urinam ualide ciere, & uniuerſum totius uictus caput debere eſſe ad incidendum efficacius; Vnde colligas eodem uini potu albi tenuis, uerum magis aquoſi quam in quartana, debere nos uti in febribus tertianis, à medicis ſpurijs, ſeu nothis dictis, ut in continua tertiana notha, quod diſerte docuit Gal. 8. meth. med. c. 3. ante med. inquiens. (Vinum uero ipſe conſcius es omnibus me eiuſmodi naturis concedere, ſed quod tum aſpectu, tũ uiribus ſit aquoſum, id enim ad omnia utilius quã aqua eſt, utpote quod & concoctionem iuuet, & urinas, ac ſudores prouocet; conſtat autem, & Hyppocratem non in diarijs modo febribus, uerum etiam in acutis, ex ijs, quæ de acutorum uictu prodit, uinum dare) quibus nil clarius in Hyppocratis, & Galeni ſententia legi poteſt; in febribus ſcilicet, quæ pendent ab humoribus crudis, & craſſis, uinum album aquoſum eſſe utile, quod concoquat, & attenuet, & idcirco urinas moueat, & ſudores, quod utile eſt in febribus.

An in febrib. ratione humoris craſſi cõueniat potus uini tenuis ut in quartanis, quotidianis, & tertianis nothis.

An uinum aquoſum ſit ceteris utilius in febribus.

Confirmatur quia eodem Galeno teſte 8. de compoſ. med. local.c.7 uinum nutrit,& concoquit,& roborat, & putrefactioni reſiſtit; qui omnes effectus ſunt utiles febrictibus ſaltē quamplurimis, quinimò neceſſarij in caſibus omnibus allatis,ergo in illis non erit denegandum uinum aquoſum.

Dices Gal.1.ad Glauc.c.9. tradens curationem tertianæ ſic habet (à uino uero antequam morbus concoquatur, omninò abſtinendum, at ubi concoqui ceperit, dandum ab initio tenue,aquoſum, & paucum, ubi autem iam prope eſt ut morbus ſoluatur, amplius eſt offerendum) quæ doctrina eſt contraria proxime dictis à nobis,ex humoribus ſcilicet crudis,& craſſis febrictibus concedendū uinū etiā à principio.

Reſpondetur non eſſe contrariam Galeni doctrinam hoc hoc loco traditam,hic enim agit de uino exhibendo in tertiana exquiſita,quæ ex calidiſſimis natura,& tenuiſſimis pēdet humoribus, nempe bile flaua ſincera; nos autem loquimur de febre pendente uel à melācholia,ſeu pituita,craſſis, & frigidis natura humoribus,ut in quartana,& quotidiana, uel à bile flaua,pituita etiam & melancholia admixta, ut in tertiana notha,in quibus conuenit etiam à principio uinum aquoſum, quod hæ febres longiores ſunt, & uires longiori tempore debent laborare,& conſequenter conſeruari debēt ne proſternantur,amplius humores habēt,quæ ulteriori indigent attenuatione,quę duo non adſunt in tertiana exquiſita,quæ breui perdurat tempore, & ab humoribus pendet tenuiſſimis, & eſt ex ardentium genere.cui tamen,cum apparet coctio,uinū conceditur aquoſum à Galeno, quod tūc temporis uiriū incipiat urgere aliqualis neceſſitas; nō quod cruditati uinum obſit,proſit autem coctioni,hoc .n. eſt omnino falſum ſimpliciter,prodeſt .n. uinum cruditati humorū craſſorum frigidorum, obeſt uero cruditati humorum calidiſſimorum, & bilioſiſſimorum,qui refrigeratione,& attemperatione indigent,non attenuatione,cum ſint tenuiſſimi.

Atq; hoc idem, quod dictum eſt de uino exhibēdo in febribus

bribus ratione humorum craſſorum, dicendum pari ratione eſt, ratione ætatis ſenilis, complexionis frigidæ ſiue totius, ſiue partis alicuius, eoque magis ſi ſit pars præcipua u.g. Iecur, uentriculus, item ratione temporis anni frigidi, & regionis frigidæ. propter quas omnes cauſas uinum conuenit in febrientibus, niſi quid prohibeat, ut dicemus. Quam doctrinam expreſſis uerbis docet Gal. 1. ad Glauc. c. 14. & confirmant ea, quæ diximus ſup. q. 13. potiſſimum; & huc ſpectant Hyppocr. verba 2. de rat. vict. tex. 36. (conijcere autem oportet & robur, & morbi cuiuſq; modum, hominis item naturã, atq; ægrotantis in victu conſuetudinem non in cibis ſolum, verum in potionibus) in quibus omnibus rite noſcendis, & memoria tenendis, oportet medicum perſpicacem eſſe, & ſe laborioſe exercere, vt perfectus euadat; quod nouit, docuit, & teſtatus eſt Galenus in hunc loc. Hyppocr. rationem inquirens. Cur tum deteriores, tum meliores medici reperiantur, quamuis eadem didicerint. eamq; aſſignat; quia alij ſunt perſpicaciores, laboris amantiores, exercitatiores, tenacioriſq; memoriæ: contra alij ſunt hebetiores, ſegniores, minus exercitati, minuſq; valentes memoria. quibus vitijs arguendi videntur ij, qui vel indifferenter febrientibus omnibus vinũ cõcedendũ autumãt; vel cõtra ſine diſtinctione febriẽtibus aduerſiſſimum vinum eſſe pronunciant. pro quorũ opinione

An ratione ætatis ſenilis, complexionis, anni temporis & regionis frigidæ dandũ ſit vinum in febribus.

Cur medici alij ſint meliores alijs, quãquã eadem didicerint.

Obijcies 1. Vinum prohibetur in temperaturis calidis ſiccis valde, licet ſint in ſanitatis latitudine, quibus concedenda eſt aqua, vt conſtat ex dictis ſupra q. 13. & tract. de aqua q. 6. art. 1. ergo multo magis prohibendum in corporibus febrilibus, & præternaturam calidis.

1. Obiectio.

Reſpondetur non leuem videri huius vim argumẽti, quod contra ſe proponit, & ſoluere conatur Galenus, & tandem non ſoluit 8. meth. med. c. 3. ita inquiens (at in ſexto epidemion ſiue ipſe ſit, ſiue Theſſalus eius filius, vinũ calidis temperamentis prohibet, idq; non modo cũ febricitant, ſed etiã per ſanitatem; quippè in calida natura ſuadet tum refrigerationem,

Reſponſio.

rationem,tum aquæ potionem,tum quietem; Niſi forte copioſius vtendũ eſſe aqua,quam vino, huiuſmodi naturis ſuadere cum dixeris,quemadmodum nonnullis placet.Hoc igitur ſcorſum per ſe diſquiratur)vnde patet Galeni reſponſio, quam alijs tribuit, cui nec videtur acquieſcere, dum inquit, ſeorſim diſquiratur.nec alibi adhuc inueni in Galeno hanc diſquiſitionem huius difficultatis;quę facillime tolli videtur ex dictis à nobis tum 1.tum 2.concluſ. ſcilicet ratione temperiei calidiſſimę ſecundum ſe,& febrilis caliditatis ſecundũ ſe,denegandum eſſe vinum , & hac ratione optime concludere argumentum;ratione vero virtutis debilis,conſuetudinis,craſſitiei humorum , ætatis ſenilis, frigidæ complexionis ventriculi,vel alterius partis,vel totius, anni temporis, &c. conuenire vini potum,vt demonſtrauimus;quod hæ circumſtantiæ,quæ omnes virtutem reſpiciũt,magis vrgeant,quam febris indicatio,vt explicuimus.

2.Obiectio. Obijcies 2.Vinum vrinam ciet;ſed quæ vrinam cient,ſunt calida,ergo non conueniunt in febribus.

Reſponſio. Reſpondetur vrinam cientia eſſe duplicis generis, alia leuiter,quæ tenues ſuccos gignunt,detergent,& attenuant ſine calefactione,aut ſanguinis liquatione,quale eſt vinũ potiſſimum aquoſum: alia vrinam cient valenter ſanguinem calefaciendo,& liquando,& de his valere dicere,non cõuenire in febribus,in quocumq; tempore exhibeantur, ſiue in principio,ſiue augmento,vel ſtatu, vel declinatione; non de illis,quæ quocumq; tempore præbeantur,cõducunt,caſibus exiſtentibus,de quibus ſupra. Atq; hæc doctrina clarè colligitur ex Gal.4.de ſanit.tuen.c.4.propè fin.vbi vinum tenue album concedens in laſſitudine vlceroſa cum admixta copia crudorum humorum , ſubdit de valenter cientibus vrinam hæc verba . (quæ vero vrinam cient , hoc caſu non probo, maximè quæ præualẽtia ſunt ex his,& ſanguinẽ calfaciunt, ac liquant,quippè quod probe eſt concoquendum,huic tanta adhuc vexatio non conuenit)multo magis igitur in febribus

Quęnã vrinã cientia non conueniãt in febribus.

Digitized by Google

bus valenter cientia ſunt prohibenda. Vnde nil contra allatas doctrinas in concluſionibus, vt patet intelligenti.

Obijcies 3. quia Galenus expreſſe negat vini potum in febribus concedẽdum 1. ad Glauc. c. 14. his verbis. (ſed aduertendum eſt, an aliquid ſit quod prohibeat huiuſcemodi exhibitionem; veluti ſi vnum ex viſceribus inflammationem patiatur, aut caput vehementius doluerit, aut paſſio aliqua, quæ delirare cogat affuerit, aut febris incendens in morbo crudo, magna enim, & quaſi inſanabilia ex potu vini in huiuſcemodi affectibus nocumenta proueniunt) 3. Obiectio.

Reſpondetur hoc loco Galenum nobis non obſtare, ſed confirmare ſecundam concluſionem, tradit enim caſus, in quibus, per febres vini potus eſt inhibendus; quando ſcilicet vehemens eſt capitis dolor, quãdo adeſt delirium, & febris eſt incendens, cum inflammatione partis principis, vel viſceris, quod nos amplectimur, & ſeq. q. probabimus. Neq; enim ſemper volumus febrientibus vinum eſſe concedendũ, ſed vrgente virium neceſſitate, conſuetudine, ætate, & alijs cauſis, de quibus etiam egit Galenus loco cit. in obiect. Illud autem, quod hic habetur ex Gal. de febre incendente in morbo crudo, tripliciter intelligi poteſt; vel in morbo crudo, ideſt ſuccis exiſtentibus crudis, puta pituitoſis, quod contingere poteſt in febre ardẽte ex pituita ſalſa, in qua quia ſitis eſt incompeſcibilis, conuenientior idcirco eſt aqua; & bene à Galeno inhibetur vinum; Vel in morbo crudo, ideſt cum ſignis crudæ vrinæ, v. g. albæ, tenuis, aquoſæ, cum tamen humores ſint bilioſi, qui ad caput tẽdunt, vel ad internam partem aliquam inflammatam; & hac ratione bene etiam Galenus decernit in incendente febre cum morbo crudo, non debere dari vinum, quia imminet delirium, vel incrementum internę inflammationis, & acutę. Vel tertio, in morbo crudo, ideſt ſuccis exiſtentibus calidiſſimis, & tenuiſſimis pręternaturam, qui idcirco non attenuatione, ſed incraſſatione indigent,

Reſponſio.

Quando in febribus ſit prohibẽdus vini potus.

An in febre incendente cõueniat vini potus.

Triplex ratio cruditatis in febre incendente.

gent,

gent,& crudi ſunt,non cruditate per diminutionem caloris, & frigiditatem, ſed per excedentem caliditatem, quæ nidorulenta dicitur cruditas,quæ eſt maximè propria febrium ardentium, è quorum numero ſunt tertianæ exquiſitæ, vt conſtat ex dictis à nobis noſtra tract. de febribus q.9. art.1. not.3.Et in hoc morbo crudo hac ratione vinum quodlibet vel quia eſt calefaciens,vel calorem fouens, & attenuãs,rationabiliter prohibetur,vt paulo ſupra hac eadem quæſtione dictum eſt de tertiana exquiſita.

Quæ medicamenta ex vino, nõ debeant exhiberi febrientibus,& qua de cauſa.

Atque iuxta hanc expoſitionem intelligenda ſunt alia, ſi quæ legantur Galeni loca inhibentia vinum in febribus, intelligendum ſcilicet eſſe de febribus ardentibus, & admodũ incendentibus,nõ de febribus mediocribus,in quibus poteſt exhiberi vinum,vt manifeſtè habetur 11.meth.c.9.Vel certe intelligendus eſt Galenus de vino admodum acri, quod prohibetur,vel de admixto cum eſiccãtibus, & acribus medicamentis,cum quibus nõ debet exhiberi in febribus, quibus huiuſmodi medicamenta,cum opus fuerit, vtilius exhibentur ex aqua,vt patet intelligenti.Et iuxta hanc vltimam doctrinam Galenus vinum prohibet in febribus 7.de ſimpl. med.fac.ſect.de centaurio maiori, vbi centaurij, cuius vires acrimoniam oſtentant, drachmæ duæ febrientibus ex aqua exhibentur febri liberis cum vino. 9. de ſimpl.med.facult. ſect. de terra ſamia in fin. vbi bolum armenum eſiccante vi præditum,bibi docet ex uino albo conſiſtentia tenui, modice diluto,ſi planè febri careat,aut leuiter teneatur, ſin grauius febriat,admodum aqueo.quod idem cernere licet 7.de compoſ med.local.c.4.in finalibus verbis,& lib.8.c.8. ante med & alibi ſępiſſime, vbi ratione medicamenti admixti vinum nõ exhibetur in febribus,vel quia vinũ redditur acrius, qđ non eſt ex vſu febrientibus;vel quia redditur magis eſiccans;vel quia ſi medicamen ſit ſoporiferum ex opio, mãdragora,& ſimilibus,& contra cólicos dolores compoſitum,

ſi

ſi febrientibus exhibeatur cum vino, medicamenti vis ſoporifera tum vini calore, tum febrili omninò remittatur; & idcirco ex aqua, nõ ex vino, febrientibus potiſſimũ talia exhibentur medicamenta, vt patet 9. de compoſ. med. local. c. 4. in fin. & c. 5. poſt princ. & alibi ſępiſſime.

QVAESTIO DECIMASEXTA.

An in capitis doloribus, & in alijs capitis affectibus vini potus conueniat.

INter cetera, propter quæ febrientibus vinum prohiberi ex Galeno dictum eſt, dolor eſt capitis, in quo cum vinũ ab eodem nõ raro exhibeatur, vt patebit ex locis citandis; vt Galenicæ doctrinæ, & veræ diſtincta habeatur cognitio, ſeorſim an in capitis dolore, & in alijs capitis affectibus, competat vini potus, inquirimus, pro qua re

Notandum 1. capitis dolores alios eſſe per eſſentiam, cauſa ſcilicet dolorifica per ſe, & primo in capite exiſtente; alios per conſenſum, cum ab alterius partis affectu v.g. vteri, ventriculi, alteriuſue partis pendet dolor capitis. Amplius cauſæ doloris capitis, vel eſt calida ſatis intemperies, vel ſunt calidi valde, & tenues humores, & vna cum febre incendente; vel contra eſt frigida intemperies, vel frigidi, & craſſi ſunt humores, & ſine febre. Item dolor vel eſt intenſus valde, vel remiſſior. 1. Notabile.

Notandum 2. certiſſimum eſſe debere, cum de vino exhibendo in caſibus huius quæſtionis loquimur, nõ eſſe ſermonem de vino odoro, neque de valde calido, & potenti, & antiquo, quæ facillime caput replent, vt patet ex dictis ſupra, potiſſimum q. 10. concluſ. 5. quæ diſertiſſime Galenus de attenuant. vict. rat. c. 12. docet eſſe fugiẽda ab ijs, qui aut cephalalgia, aut hemicrania, aut cephalęa, aut epilepſia, aut 2. Notabile.

mania,aut quouis alio capitis affectu laborant . quod idem habetur alijs in locis à nobis cit.loc. ad lactis . Sed de uino aquoſo,& diluto,uel auſtero, quæ caput non afficiunt, ſicut nec meracum, & potens, ſi in parua quantitate aſſumatur .

1. Cóclusio. An in ph capitis doloribus vehemẽtibus á cauſa admodum calida, & cũ febre, cõpetat vini potus.

Prima cõcluſio. In vehemẽtibus capitis doloribus, à cauſa calidiſſima, vel cum febre incẽdente, ſiue dolor ſit per eſſentiam, ſiue per conſenſum, non cõuenit vllo pacto vini potus. Iuxta hanc concluſionem cenſendum eſt omninò loqui Galenum 1. ad Glauc. c. 14. cum inquit (ſed aduertendum eſt, an aliquod vnum ex viſceribus inflãmationem patiatur, aut caput vehementius doluerit, aut paſſio aliqua affuerit delirij cauſa, aut febris incendens, magna enim ex potu vini nocumenta proueniunt.) Iuxta hanc concluſionem etiã intelligendus Galenus 1. ad Glauc. c. 3. dum inquit. (vinum verò omnibus, ſed præcipuè his, qui vigiliam paſſi ſunt, intrepide offerendum eſt, niſi capitis dolore premãtur, aut pulſum venarum in temporibus ſentiant.) loquitur enim ibi de capitis dolore in febribus, & cũ pulſu arteriarum temporũ, & conſequenter ex cauſa admodum calida, vt ſatis patet .

Probatio. Probatur concluſio. In vehementibus doloribus ex cauſa admodum calida, vt in incendente febre, opus eſt refrigeratione; non igitur vtendum vino quolibet licet aquoſo, & diluto, ſi modo vini vires retineat, à quo ſi non intendatur, ſaltem ſane fouetur caliditas .

Cõfirmatio. Confirmatur ex Gal. 2. de compoſ. pharmac. ſecun. loc. c. 1. ſect. (ad capitis dolores ex frigore) vbi examinans Apollonij indiſtinctam doctrinam, & auxilia ſine diſtinctione poſita contra capitis dolorem tum ex ardore Solis, tum ex refrigeratione, præcipue quod dixerit Apollonius, vitandum eſſe clamorem, contentionem, vini potum, frigiditatem. In curatione doloris capitis ex ardore, Galenus ſemper refrigerantibus, & numquam vini aut potu, aut lotione vtitur, pariter igitur nec vtendum eſt vini potu in vehementi dolore à calidiſſimis humoribus, & tenuibus, & in febre incẽdẽte.

Atque

Atque hoc idem dicendum in phrenitide, & delirio cum febre. in hoc ſcilicet affectu ſecundum ſe non competere vini potum, vt Galenus docet 1.ad Glauconem cap.14.cit. Et ratio eſt allata in concluſione;quia cum incendens adeſt cauſa,qualis eſt in delirio cum febre, refrigeratione magna opus eſt, quam non efficit vinum dilutum, quod vini vires ſeruat,à quo ſaltem fouetur calor;Addimus,ſecundum ſe; nam ratione magnæ euacuationis, vnde virium fit iactura, conuenit vini potus aſtringentis, & vinoſi, vt notauimus q. præced.concluſ.2.ex Hyppocrate de rat.vict. par.4. tex.41. qui locus eſt omninò legendus,ibidemq; Gal.quod idem dicēdum eſt,vrgente viriū imbecillitate ex aliqua alia cauſa. dandum ſcilicet vinum potiſſimum aquoſum, & dilutum; Cui ſententiæ aperte fauet Hyppocrates de rat.vict. par.3. tex.41.vbi in ſuſpicione leſionis mentis, & capitis forti grauitate vinum penitus prohibens,immediate poſt cōcedit vinū aquoſum,& inodorum, & à quo aquæ exiguū ſuperbibatur;vbi ſcilicet neceſſitas vrget,vel virium,vel cōſuetudinis, vel ætatis, &c. Et probatur etiam ex eo, quia dilutum vinū ſomnum conciliat, more aliorum medicamentorum,Galeno docente 2.de loc.aff.c.vlt.ante fin.ſomnum autem eſſe vtilē delirio phrenitico, patet ex Hyppocr.2. aphor.2. dū inquit (vbi ſomnus delirium ſedat,bonum.) Vnde patet multo magis in hoc caſu cōcedi poſſe vinum dilutiſſimum,quod ad refrigerandum,fere valentius eſt aqua, vt dictū eſt ſup.q.11. *An in phrenitide conueniat vini potus.*

Dices,Galenus 1.ad Glauc.cap.3.ſic habet(ſed & ijs,qui ira,aut mœrore aliquo,aut cogitatione febricitant, vinum eſt exhibendum;& qui furore febricitant, quādo omnino ab affectu quieuerunt, prius vero non tutum eſt vti vino) ergo qui delirio febricitant, non debēt vti vino,niſi cum quieuerit phrenitis. eſt enim phrenitis delirium,& magnus furor à cauſa intrinſeca, quæ magis eſt valida quam cauſa aliqua extrinſeca iræ,quæ eſt paruus furor.Reſpondetur hoc argumentum omninò concludere,non ante declinationem deli- *Quo tēpore in ira, & in phrenitide cōpetat vini potus.*

rij phrenitici debere uti uino diluto,& urgente neceſſitate, uel alia circumſtantia,ætate,conſuetudine,anni tēpore, &c. ſicut enim in iræ, ſeu furoris affectu, quia excandeſcentia adeſt ſanguinis,nō conuenit tunc uini potus uel augens,uel fouens feruorem, ita nec in phrenitica acceſſione,quo tempore ſumme feruent humores, & perturbant excedente caliditate, & turgente motu, ut explicatum eſt tractatione de ſenſu interno quæſt.de phrenitide.

2.Cōcluſio. An in capitis doloribus à cauſa frigida, cōpetat vini potus.

Secunda concluſio in uehementibus doloribus capitis ex refrigeratione,ſeu per eſſentiā in capite, ſeu per cōſenſum, ex frigidis, craſſiſq; humoribus fluentibus uel à uentriculo, uel ab alia parte corporis, conuenit uini potus albi tenuis; Eſt ex profeſſo Galeni loc.cit.2.de compoſ.med. local. c.1. ſect.ad capitis dolores ex frigore, ubi tradens curationem doloris capitis à frigiditate,calidis utitur præſidijs, atque concludit his uerbis (dandum etiam uinum tenuium partiū, & motus corporis præcipiendus,lauacraque calida,& quandoque à raphano uomitus)

Probatio.

Probatur,quia uinum calefacit tum caput,tum totū corpus,ut conſtat ex dictis ſupra q.3.& ex Gal.7.aphor.7. ergo conuenit in frigidis affectibus,& à frigida cauſa. Et tenue uinum ex uſu eſt; frigiditas enim eſt cauſa craſſitiei,cui uinū ſua tenuitate præſto eſt,ut patet ex dictis ſup.q.4.

Cōfirmatio.

Confirmatur,quia dolores oculorū meri potione ſanantur,ut teſtatur Hyppocrates 6.aphor.31.quod idem tum alibi Galenus docet, tum in hunc locum experientia comprobat cuiuſdam adoleſcentis, qui Galeno ut ipſemet inquit (fiduciam præbuit,ut,in quibus ſanguinis copia craſſioris in oculorum uenulis contineretur, ſine plethorica totius corporis diſpoſitione, uterer uini potione, ut quæ diffundere ſanguinem, atque dimouere poſſit, ſuique motus uehementia obſtructiones aperire.) pariter igitur in capitis dolore à frigidis,& craſſis ſuccis, uel craſſo ſanguine ſine plethorica diſpoſitione, quod eſt admodum aduertendum, in hac enim

An ſit vinū exhibendum in doloribus oculorū, & cæterarum partium, nō exiſtente plethora.

non

non eſt utendum nutrientibus, quale eſt uinum. competit vini potus & tenuis,& meracioris; quod idem dicendum de vini potu exhibendo in ceterarum partium doloribus ab his eiſdem cauſis frigidis,vel craſſis ſuccis,& craſſo ſanguine,ſine totius plenitudine.quam doctrinam expreſſit Galenus ad vnguem in 6.de morb.vulgar.comm.6. in tex.5. circa med. ita inquiens (nempe quod vinum dolores oculorum ex obſtructione oriẽtes,mitiget, ex aphoriſmorum interpretationibus didiciſtis;nunc vero & aliorum,quicumque eadem ratione concitãtur, dolorum nonnumquam ob ſanguinis craſſitudinem, nonnumquam ob frigiditatem, vobis in mentem veniat. Cum ſepius & in ventris doloribus, & in dolore capitis vocato hemicręna, ſeu hemicranea, meracius vinum ſumptum,confeſtim quidem manifeſtè iuuiſſe, accedente deinde ſomno,in totũ dolorem ſuſtuliſſe videritis.) Et 4. de ſanit.tuen.c.4.poſt princ.in doloribus laſſitudinarijs,potiſſimum in laſſitudine vlceroſa cum humorum cruditate vinũ concedit,& ita inquit loc.cit.poſt princ. (nec tamen à vino eum abſtinebimus,concoquit enim id ſemicrudos humores quantum aliud quiduis,tum ſudorem, vrinamq; promouet, ac ſomnum conciliat) & circa fin. eiuſdem cap.ita habet,loquens de potu vtili in laſſitudine vlceroſa ex mordacibus ſuccis vna cum copia ſemicrudorũ humorum(potio oximeli,mulſa, vinum tenue, album, ſemelq; quæ boni ſunt ſucci, eademq; detergent,nec glutinoſa ſunt, nec craſſum ſuccum efficiunt, nec valenter nutriunt) & c.6. hanc eandem repetens doctrinam, inquit(ergo tum hac vtendum potione, intelligas oximelite, mulſa, apomelite, de quibus ſupra dixerat,tum vero ex vinis,ijs,quæ leuiter aceſcunt) & paulo poſt ſubdit (quod ſi crudos iam ſuccos ſatis attenuatos ſperas, vinum dabis,quod & ſubſtantia ſit tenue, & colore fuluum, albumue) & c.10. propè fin.in laſſitudine phlegmonodes,in qua adeſt ſanguinis redundantia,& nutritione non eſt opus, per tres dies idcircò à vino abſtinet,& poſtea cõcedit aquo-

An in laſſitudinibus conueniat vini potus.

ſum vinum, & ſic inqu (vino autem vtiliter etiam ſecundo die parcet,tertio vero ſiquidem aquæ potionem facile toleret,tunc quoque vino abſtinebit: ſi non ferat,potiſſimũ quidem apomeli dabis: quippe leuiter refrigerat ea quoq; potio,quo vtiq; indigent,quæ phlegmones ſenſum habent laſſitudines,hoc ſi non ſit,album,& tenue vinum offeres,aliaq; pro ratione exhibebis,quæ vt boni ſunt ſucci, ita minime calfaciant.Cauendum vero præter cetera eſt, ne propere, & multum,non ſenſim,& paulatim renutrias.)

An plethora prohibeat vini potum.

Ex quibus omnibus patet primo in doloribus concedendum vinum album tenue ratione craſſorum, & crudorum humorum, & ratione doloris vinum non prohibendum, at ratione vel calidiſſimæ cauſæ,vel plethoræ,quod tũ cit.mox loc.tum etiam 7.aphor.48. docuit Gal. inquiens (nam neq; vinum, neq; balneum tolerat plethorica diſpoſitio abſque maximo detrimento.) Patet 2. vinum tenue,& aquoſum eſſe proximum viribus,& facultate apomeliti, & mulſæ.

3. Cõcluſio. An in dolore capitis p cõſenſum,ſine febre, cõpetat vini potus.

Tertia cõcluſio.in capitis dolore ſine febre,à bilioſis humoribus potiſſimum per cõnſenſum vel totius corporis, vel ventriculi,vel hepatis,alteriuſue partis,conuenit potus vini aquoſi,& diluti. Eſt ex profeſſo Galeni 2.de compoſ. pharmacorum ſecun.lo.c.1.in fi. ſect.de his,qui ob bilioſum humorem caput dolent. & ſequenti ſect. de dolore capitis per conſenſum. Et

Probatio.

Probatur aperte,quia bilioſis exiſtentibus humoribus potiſſimũ in ventriculo,hepate, &c. aquæ potus exhibitus non eſt ex vſu, cum moretur in hypochondrijs, vires labefactet, obſtructiones,augeat, bileſcat & ipſa, & amareſcat, vrinas minime cieat,neque aluum deijciat,aliaq; damna inferat,de quibus latè Hyppocrates de rat. vict. par.3. tex.40. quibus omnibus ex vſu eſt vinum dilutum,& aquoſum,quod vrinas ciet,vires pauliſper reficit,caput non ferit, ventriculo robur addit in his caſibus, vt patet ex dictis ſupra de vino diluto q.11. & de vino aquoſo q.5.

Confir-

Confirmatur quia Hyppocr.loc.cit.de rat.vict.par.3.ſeq. tex.41.etiam in febre cum mentis læſione, vel forti capitis grauitate, vinum concedit inodorum, & aquoſum, & quod diluatur in ventre, dum à vini potione ſuperbibendum aquę exiguum conſulit, non certe ob aliam rationem, quam ob mox allatam; ergo multo magis vinum aquoſum, & dilutum in capitis dolore ex bilioſis humoribus ſine febre, concedendum eſt. 1. Cōfirmat.

Confirmatur amplius expreſſa Galeni experientia de hac re, quam de ſuccorum bonit.& vit.c.11. teſtatur pluribus, & hæc habet omnino legenda (inuenies certè quoſdā, quibus ex aquæ potu dolore caput corripiatur, præſertim vero cum ea uitioſa fuerit, quippe cum ipſa corrumpatur, tum natiuū uentriculi robur exoluat, qui cum imbecillus fuerit, ſolent eò ex corpore deferri humores ex bile tenues quidam, id quod ieiunantibus etiam uſuuenit, à quibus noxis maliſque, uinum, quale modo diximus, liberum facit hominem: primum quidem, ſtatimq; contemperamenti ratione, tum paulo poſt quod addito uentriculo robore, nocumentū is à ſe deorſum propellat) bilioſis igitur humoribus confluentibus ad uentriculum, & idcircò capite condolente, uinum conuenit ex Galeno hoc loco aquoſum, & leuiter aſtringens, ut clare patet, unde etiam. 2. Cōfirmat.

Colligitur in dolore capitis à ieiunio, debere exhiberi cibum, & uini potum; fit enim in ieiunio capitis dolor propter influxum humorum ſuperfluorum ad uentriculum debilem ex ieiunio redditum, qui à cibo, & uini potu corroboratur, & nocua excrementa à ſe expellit, atque ita bene ſe habent tum uentriculus, tum uentriculo caput conſentiens. Ex quo intelligitur, cur quidam capite dolentes, & edētes, & bibentes uinum, melius ſe habeant, quod mihi quandoq; contigiſſe ſcio, & alijs, cum contrarium uideatur debuiſſe contingere, quippe à cibo, & potu capitis potius debeat fieri repletio. Huius nempe quæſiti ratio eſt; quia à cibo, & uini potu debi- An in dolore capitis à ieiunio, cōpetat cibus, & vini potus.

debilis tunc uentriculus roboratur,& noxia expellit,quibus ipſe primo,tum caput per conſenſum afficiebatur.

An in Epilepſia côueniat vini potus.

Colligitur 2. in Epilepſia conuenire potum uini diluti. Eſt .n. epilepſia affectus frigidus,& à frigidis,ac craſſis pendens humoribus caput ſiue per ſe, ſiue per conſenſum afficientibus,in quibus uinum tenue conuenit, ut ſœpe ex Galeno docuimus,qui præcipue 8.de compoſ.pharmac. ſecun. loc.c.7. de uino inquit (ſi intemperies ex humiditate, & frigiditate facta ſit,eam citra omnem moleſtiam,& ſecure perſanat.)Confirmatur experientia eiuſdē Galeni de uenę ſect. aduerſus Eraſiſtrat.c.9.vbi Diodori Grammatici epilepſiam ex affectu uentriculi curans,propter inediam:pręſentaneum docet remedium eſſe, panem ex uino temperato aſſumere. quam eandem doctrinam fusè repetit 5. de loc. aff.c.6. ubi uinum explicat debere eſſe album,& dilutum,& modice adſtringens,& rationem ſubdit,quia huiuſmodi uinum ut uentriculum roborat,ita haudquaquam tētat caput, à quo tentari ſubdit, & conuulſiones comitiales excitari, ſi uinum meracius plurimum ſit epotum.

An in melācholia, & in melancholicis affectib' côueniat vini potus.

Colligitur 3. in melancholiæ affectu,& in omni morbo ex melancholico ſucco pendente,conuenire uini albi, tenuis, mediocris potum,quod melancholicus ſuccus natura ſit frigidus,craſſus.Confirmatur tum ex Gal. qui, ut dictum eſt q. præced.in febre quartana,quæ ex melancholia pēdet, exhibet uinum album,tenue,mediocre;tum ex eodem ad Glauc. c.3. ubi uinum concedit ijs, qui ex mœrore febricitant, nec admonet, quod de ira aduertit, eſſe ſcilicet expectandam quietem ab iræ affectu. Tum ratione, quod humori melancholico craſſo, frigido, conueniat attenuatio, & calefactio mediocris,id quod ualenter præſtat uinum album, tenue, mediocre;non uinum craſſum,nigrum,quod aptiſſimum eſt, ut ex ipſo melancholicus humor gignatur,ut idem docet 3. de loc.aff.c.7. ante med. Tandem quia apud omnes in confeſſo eſt,uinum tribuere alacritatem animo,quod etiam Galenus

lenus teſtatur lib. quod animi mores corp. temp. ſeq. c. 3. circa med. ita loquens (vini autem potus apertè triſtitiam leuat, hoc enim quotidie vtimur) igitur vini potus cum melancholicis conferat, & triſtibus, exhibendus eſt.

Cur autem melancholicis conferat vinum, dum alacritatem tribuit, non eſt explicatu facile, & Galenus cauſam non noſſe videtur fateri loco cit. quod animi mores, &c. Nos autem vt rei ſane difficilis, nec ab alijs explicatæ cauſam afferamus. Primùm ponimus à triſtitia vires reſolui, quod patet ex dictis q. præced. de potu vini in febribus ex ira, triſtitia, cogitatione &c. & ex Gal. 12. meth. med. c. 5. ante med. vbi inter ceteras cauſas vires deijcientes ponit triſtitiã, inquiẽs. (triſtitia vero & anxietas, & ira, & cura eo genere ſunt noxiæ, quo frequẽtes vigiliæ, quoniam vires reſoluunt). Secundo ponimus, animi delectationem, & lętitiam, potiſſimum oriri ex tranſitu celeri ad naturalem ſtatum, ſicut contra dolor fit ex tranſitu repentino ad ſtatum præternaturam; vt fusè explicabitur tract. de doloribus. His poſitis, ita videtur reſpondendum huic quæſito. Quia à vino fit celeris nutritio, & inſtauratio ſubſtantiæ, & ſpirituũ, vt patet ex ſępius dictis, fit vt animi oblectatio, & lętitia à vino proueniat. Confirmatur hæc reſponſio, quia non ob aliam rationem ieiuni ſumus aliquãtulum triſtes, & męſti, niſi quia tunc incipit fieri defectus noſtræ ſubſtãtiæ; quæ igitur à cibo, & potu prouenit lętitia, ea ab inſtauratione, & refectione noſtræ ſubſtantiæ, potiſſimum ſpirituum proficiſcitur. quo fit vt bene quidam vulgo loqui ſoleãt, à potu, & cibo ſibi recreatos eſſe ſpiritus, ſpiritus ſibi factos alacriores; Cũ certe animus lętetur, & gaudeat, cum ſpirituoſæ ſubſtantiæ celeris fit reparatio, quam potiſſimum vinum tribuit album, tenue, callidum, quod omnium celerrime nutrit. vnde colligitur cur vina nigra, craſſa ſint melancholica, quia tarde nutriunt in vinorum genere; Et quia ſimilitudinem magnam habent cum nigra bile, in quam idcirco facile vertuntur.

Cur vinum animo alacritatem tribuat.

Cur vina nigra ſint melancholica.

T Colli-

An in catarrhis conueniat vini potus.

Colligitur 4. in catarrhis ſine febre incendente, vinum conuenire dilutum quidem,ſi eius materia ſit aliquantulum tenuis,acris,& bilioſa; calidum vero,& tenue, ſi ſit materia frigida,& craſſa; pariter enim de catarrhis, & capitis doloribus determinandū eſt,vt patet manifeſte.in capitis autem doloribus tum ex frigidis,tum etiam ex bilioſis humoribus, vini potus eſt exhibēdus,vt patet ex dictis. Adde in catharris,fieri vt plurimùm fluxiones ad thoracem, & ad ventriculum à capite,vt fusè docet Gal. 3. de ſympt.cauſ.4.in affectibus autem thoracis valet vinum dulce,vt dictum eſt q,8 in affectibus vero & fluxionibus ad ventriculum, ſi calidę ſint, iuuat vinum dilutum; ſi frigidæ & craſſæ ſuperfluitates mittantur,conuenit vinum meracius,& potêrius.Et iuxta hanc diſtinctionem, quæ veriſſimam continet doctrinam, intelligendus Gal. 1. ad Glauc. c. 14. circa med. vbi in fluxionibus ad ventriculum, nunc vtitur vino aqua frigida temperato, nunc vero vino calido,tenui,quale eſt lesbium. Amplius in epilepſia,& in melancholia, quod idem pariter dicēdum eſt de ceteris tum capitis,tum aliarum ſimilibus affectibus partium,vini potus exhibetur,ergo multò magis in catarrho, vt eſt apertum intelligenti,cui etiam conſtare poterit,quam indiſtinctè tum Apollonius, de quo Gal. cit. 2. de compoſ. med.local.tum plurimi ex antiquis,& modernioribus medicis,tum in his,tum in alijs affectibus, de vini potu loquātur. Sed contra traditas in hac quæſtione doctrinas.

Obiectio.

Obijcies vulgare argumentum. Vinum caput tentat, & eſt capiti noxium, igitur non eſt exhibendum in prædictis affectibus.

Reſponſio.

Reſpondetur ex dictis ſępius patere hoc argumētum valere de vino meraciori,odoro,acri, & plurimum epoto, non autem de vino aquoſo, diluto, inodoro, & modicum exhibito. quæ doctrina manifeſta eſt ex 12.meth.med.c.4.3. de rat.vict.tex.41.5.de loc.aff.c.6.7.aphor.7.3. de temp.cap.2, & alibi.

QVAE-

QVAESTIO DECIMASEPTIMA.

An Podagricis, & Arthriticis conueniat vini potus, & quale vinum conueniat.

VAriasin hac cõtrouerſia opiniones attulimus tract. de aqua q.7.art.2.alij n. in podagricis,& arthriticis omnino aquã putant bibendã, vinũ prorſus fugiẽdum. alij vinũ prohibẽt per bienniũ, alij vinum putant vitandum tempore acceſſionis podagricæ, cõcedunt vero tempore intermiſſionis. & nuper audiui, quoſdam contendere, podagricis debere aquam actu frigidiſſimã exhiberi, alij contra actu calidam; quid de aquæ potu ſentiendum ſit, determinatum eſt loc. cit. eam nempè eſſe omninò fugiendam, ſiuè frigida, ſiuè actu calida exhibeatur, ſemper enim refrigerat, & incraſſat humores, quæ res eſt noxia podagricis; & calida actu ventriculum ſubuertit, vt conſtat experientia. De vini igitur potu vt determinetur, ſit

Concluſio. In podagra, & arthritide ſecundũ ſe cõſiderata, ſeu ratione podagræ & arthritidis, ſiuè in podagrica acceſſione, ſiuè tempore intermiſſionis, ſemper exhibendus eſt potus vini, tenuis tamen ſubſtantiæ. Paradoxum hoc videbitur tum medicis, tum vulgaribus, & idiotis, qui omnes aperto ore loquuntur, aſtringentia, eo quod ſint corroborantia, conuenire podagricis, & conſequenter prohibent non ſolũ vinum tenue, quod ſit aperiens, ſed cibos etiam tenues, & laudant cibos craſſæ ſubſtantiæ. id quod alienum eſſe à medicinæ veris regulis, mox patebit. Concluſio.

Probatur igitur concluſio 1. Ratione fundamẽtali deſumpta ex cauſa fluxionis podagricæ, & arthritidis. Podagra, & arthritis, vt demonſtrauimus ſuperiori tractatione de aqua q.7.art.2.prob.3.concluſionis, pendet ab humoribus craſſis; podagræ igitur & arthritidi victus ratio tum in cibis, tum 1. Probatio.

in potu conuenit, quę humores gignat tenues, & craſſos humores genitos attenuet. Sed hanc vim attenuandi humores magnam habet vinum tenue, vt patet ex demonſtratis ſupra q.4. & 5. cetera enim vina craſſiora hac facultate non ſunt prædita, potiſſimum quæ nigra ſunt, & auſtera, vt conſtat ex dictis loc. cit. & q.6. ergo in podagra, & arthritide maxime conueniens eſt potus vini tenuis.

2. Probatio. Probatur 2. Alia ratione fundamentali deſumpta ex debilitate articulorum. Potiſſima alia ratio arthritidis, & podagræ, eſt articulorum debilitas, quæ tum ab articulorum pendet frigiditate, tum laxitate. Sed vinum tenue præterquã quod attenuat humores craſſos podagræ, & arthritidis cauſam, calefacit, & roborat partes, vt patet ex dictis præcipue q.4. ergo conuenientiſſimus eſt vſus vini tenuis in podagricis, & arthriticis.

3. Probatio. Probatur 3. Vinum album tenue, quia concoquit, vrinas ciet, & ſudores prouocat, vtiliſſimum eſt etiam in febrilibus morbis, vt demonſtratum eſt ſupra q.15. in morbis enim omnibus concoctio humorum, eorumq; excretio per vrinas, & ſudores, eſt maximè laudabilis, vt ſatis conſtat, ergo multo conuenientior erit eius vſus in podagra, & arthritide.

1. Cõfirmat. Confirmatur 1. hæc ratio. Quia hac de cauſa in quartana febre, quæ pendet ab humore melancholico lento, & craſſo, Galenus præcipit vtendum eſſe vino albo, tenui, ac mediocriter calido, vt q.15. dictum eſt, quia attenuat, & vrinã ciet, & concoquit, pariter igitur vino vtendum in podagra.

2. Cõfirmat. Confirmatur 2. quia aduerſarijs ipſis concedentibus, in podagricis diureticis eſt vtendum; ſed diureticum maxime familiare noſtræ naturæ, eſt vinum album tenue, vt patet ex dictis q.4. ergo hoc maxime eſt vtendum in podagra.

3. Cõfirmat. Confirmatur 3. quia hac de cauſa in podagricis, quidam vtuntur decocto aniſi, vel cinnamomi, vel roſmarini, vel ſimilis ſeminis, quia caput non tentant, nec grauant hę potiones, & vrinam cient, & ventriculo minus nocent. ſed vinum

album tenue. ſiuè aquoſum,ſiuè vinoſum,modicè ſumptum non tentat caput, ventriculum, & articulos roborat, & vrinam ciet, ergo vini albi tenuis moderatus vſus podagricis eſt omninò proficuus.

Confirmatur 4. quia omnes fere podagrici vini potu delectantur abundè,& excedẽter tum naturæ ductu,tum conſuetudine,à quibus omninò deſueſcere, inutile eſſe, & noxium,non ſolum in morbis longis, qualis eſt podagra, ſed in acutis etiam,fusè demonſtratum eſt ex Hyppocr.& Galeno ſupra q. 14. & 15. 4. Cõfirmat.

Probatur 4. In doloribus capitis ſine febre incendente,in doloribus oculorum,& aliarum partium,ſi ij pendeant à frigidis potiſſimum humoribus, & à craſſo ſanguine (à quibus ſanè pendet podagra) competit vini potus, vt ex profeſſo probauimus quæſt. præcedenti, cuius doctrina eſt omninò attendenda; ergo multo magis in podagra, & arthritide vini potus vtilis erit cenſendus. 4. Probatio.

Confirmatur 1.quia dolores virtutem diſſoluunt,vt patet experientia,& Galenus plurimis in locis teſtatur, præcipuè in Hyppocr.de rat.vict.in acut.com 3. in tex.33. in fin. verbis,vbi ita inquit (ſcimus autem dolorem omnẽ vires exoluere,euertere,atq; ob id partes infrigidare extremas,)& 12. meth.med.c.1.circa princ. inquit (lędunt autẽ vires vigilię, dolor,& immodica euacuatio) & c.7.etiam ſyncopẽ dolori, alijſq. cauſis ſuccedere docet. Amplius dolor potiſſima eſt cauſa melancholiæ,ſeu mȩroris,& triſtitiæ,vt niſi amens,aut proteruus ſis,puto concedes. ſed vbi adſunt cauſæ deijcientes virtutem,vel ſi non adſint,ſaltem præceſſere,etiam ſi adſit febris,ſui natura vinum reijciẽs,vinum eſt concedẽdum, quod celerrime nutriat;Item ſi adſit,vel adfuerit mȩror,etiã in febre vinum lętificans,eſt exhibendum,vt latè ex Galeno docuimus q.pręced.15. & 16.ergo multo magis in podagricis doloribus actu infeſtantibus, ne dum intermittentibus, vinum album, tenue, velociter nutriens, & alacritatem tribuens,eſt exhibendum. 1. Cõfirmat. Dolores vires exoluũt, & triſtitiam afferunt.

Confir-

2. Cófirmat. De vini potu in dolore capitis, & podagrico ex ebrietate.

Confirmatur 2. quia Galenus 2. de compoſ. med. local. c. 1. ſect. cui titulus eſt, quæ Apollonius ad capitis dolorem ex ebrietate, & meri potu ſcripſerit. capite dolenti ex vini potu poſt duos, vel tres dies vini permittit potum aquoſi, ex aquoſis vinis, quale eſt in Italia Sabinum, non igitur podagra laborantes debent, eſto ex vini immodico potu in podagram inciderint, quod ſanè cótingit quibuſdam, ad quos podagra non hæreditario iure peruenit; vel per biennium, vel toto podagricæ afflictionis tempore à vini potu abſtinere, ſed per dies paucos, quouſque plethorica à vino diſpoſitio fuerit abſumpta, potiſſimum ſi ipſorum ventriculus non bene ſe habeat ad aquæ potum, vt pariter de capitis dolore ex vini potu, Gal. docet in re medica veritatis magiſter, loc. cit.

5. Probatio.

Probatur 5. manifeſtiſſima Galeni auctoritate, qui 5. de ſanit. tuen. c. 5. fusè docens vinum ſenibus conueniens, debere eſſe tenue, vel album, vel flauum, potiſſimum fauſtianum, falernum, aut ſimile; quia tale vinum vrinas ciet, & expurgat excrementum aquoſum, ſubdit propè finem hæc verba (non vetem etiam ijs vinis, quæ melle condiantur, ſenes vti, maximè quibus ſuſpicio eſt calculi in renibus gignendi, aut podagræ alicuius, articularisue morbi. porro vinū huiuſcemodi cópoſitioni aptiſſimum fuerit Sabinū, aut ſimile aliquod. conijcitur autem in id petroſelinum, atq; id ſolum articularibus ſatisfaciat, ijs vero qui calculo laborant, etiam aliquid bettonicæ, & ceſtri, qui in Gallijs naſcitur, eſt immiſcēdum) Ex quibus clarè patet Galeni ſententia de vino exhibendo in podagra, & arthritide, ſed

Galenicæ authoritatis prima ſolutio.

Dicet aliquis 1. Galenum hic non loqui de podagra actu affligente, ſed imminente. concluſio autem noſtra loquitur de vſu vini ſiuè actu exiſtat, ſiuè immineat podagra, vel intermiſerit. Sed contra, tum quia eadem ſunt remedia curatiua, & præſeruatiua morborū, vt ſatis conſtat medicis. ſi igitur contra futurum impetum podagræ valet vini potus, valebit etiam cótra actualem podagræ inuaſionem. Tum quia

Impugnatio ſolutionis.

ratio,

ratio, propter quam valet vinum melle, & petroſelino conditum, contra futurum podagræ impetum, eſt, quia vt cõſtat legẽti Galenum, hoc loco, huiuſmodi vinum attenuat craſſos humores, eoſq; per renes, & veſicam purgat; ſed craſſi, & uiſcoſi humores adhuc ſunt, cum actu podagra affligit, ij igitur attenuandi ſunt uino tenui, quale eſt tum conditũ uinum ex Galeno deſcriptum, tum leſbium, quod putandum eſt eſſe id, quod Græcum apud nos dicitur, uel aliud ſimile.

Dicet aliquis 2. Galenum hoc loco laudare uinum conditum artificio deſcripto, non uinum naturale, de quo loquitur concluſio noſtra. Sed contra. Tum quia uinum cõditum laudat, ſcilicet Sabinum cum melle, & petroſelino, quando non eſt copia uini falerni, uel leſbij, quod eſt ualdè calidum, & tenue; caliditatem autem recipit ſua natura Sabinum uinum tenue quidem, ſed aquoſum, addita mellis, & petroſelini admixtione. Tum quia eiuſmodi uinum conditum Ideo laudatur à Galeno, quia attenuat, & ſatis calefacit, ſed huius facultatis ſunt alia uina naturalia, non cõdita, ut falernum, leſbium, ergo huiuſcemodi uina etiam conueniunt. **Galenicæ authoritatis ſecunda ſolutio, & impugnatio.**

Dicet 3. aliquis. Galenus hic loquitur de podagra in corpore ſenili, & in temperamento frigido, non de omni podagra in quolibet corpore, etiam iuuenili, & in temperamento calido, ut loquitur cõcluſio, quæ eſt uniuerſaliſſima. Sed cõtra, quia in omni corpore, & ætate, & in quolibet temperamento podagra prouenit ex ſuccis craſſis, quocirca ſemper illi cõuenit potus attenuans, quamobrem ſemper utendum putant alij Doctores diureticis in podagra, ſed uinum tenue ſemper attenuat, & eſt diureticum maximè familiare noſtræ naturæ, ergo eo ſemper utendum in podagra, & arthritide: licet non ſit negandum in calida ætate, & complexione, & anni tempore calido utendum eſſe uino tenui, aquoſo, & diluto; in contrarijs uero caſibus, ſcilicet in ætate frigida, complexione frigida, & anni tempore frigido, &c. bibẽdum eſſe uinum tenue, calidum ideſt potens, & uinoſum, & acre; **Galenicæ authoritatis tertia ſolutio, & impugnatio.**

iuxta

iuxta ea,quæ demonſtrata ſunt ſæpius, potiſſimum quæſt.4. ante fin.& q.9.art.2.concluſ.2. prob.4.in corollar.quę ſunt diligenter attendenda.

6. Probatio. Probatur 6. concluſio in morbis diuturnis, podagricis, & arthriticis conuenit ratio victus attenuans,& incidens craſſos,& viſcoſos humores,ergo eiſdem conuenit potus vini albi,& tenuis. Conſequentia eſt manifeſta ex dictis q.4. vbi vinum tenue attenuare,& incidere docuimus craſſos humores,ex Galeno, qui lib. de attenuante victus ratione cap.12.
„ ſic clariſſime loquitur (quæ vero craſſa ſimul ſũt,& nigra,
„ & dulcia,craſſo ſanguine venas referciunt; at alba ſimul,
„ & tenuia humores craſſos incidunt, & ſanguinem per re-
„ nes purgant.) Antecedens probatur tum ratione, quia morbi diuturni,& podagrici pendent ab humoribus craſſis, ut demonſtrauimus tract. de aqua. quibus humoribus competit ratio victus attenuans, medicamenta item attenuãtia conueniunt. Tum auctoritate,& experientia, quam teſtatur Galenus lib.de attenuante victus ratione cap.1.ita inquiẽs
„ (Cum victus ratio attenuans pleriſque diuturnis morbis
„ adeo conferat, vt ſola ea, ſine alio medicamento ſublati
„ ſepè fuerint, opere pretium fuerit aliquid de ea diſtinctius
„ perſcribere.Sunt enim quos pręſtiterit ſola victus ratione,
„ ſine medicamentis perſanare. Vidi equidem non paucas
„ arthritidas,quæ iam articulorum oſſa nudarant,alias qui-
„ dem hac victus ratione in totum perſanatas,alias mitiores
„ fuiſſe redditas.) Hanc eandem doctrinam hoc loco diſertiſſime,& clariſſime à Galeno expreſſam,vt conſtat liquido, repetit idem Gal.6. de ſanit. tuen. c.11. vbi eandem victus rationem tenuem,& eadem remedia attenuantia, & calefacientia conuenire docet tum calculo renum, tum arthritide laborantibus, inſpecta tamen cauſa tum calculi, tum arthritidis,quæ in vtroq; morbo eſt materia craſſa,& glutinoſa, quæ in tophos tempore commutantur; & niſi obſtet gracilitas corporis,cuius ratione victus attenuãs in prædictis mor-

bis

bis nõ eſſet proficuus, vt clarè patet perlegẽti totum caput,
„ vbi in med.ſic inquit. (at ſi obęſus ſit,quem calculus infe-
„ ſtat, audacter huic tenuem victum iniungito. Eadem & ijs,
„ qui articulorum vitijs laborant, conuenire præcepta cen-
„ ſebis, quippè ipſi quoq; medicamentis arthriticis,podagri-
„ ciſq; ebibitis,ſi carnoſi, & craſſi,& pingues ſunt, nullum
„ ſentiunt incommodum,ſin graciles non modo totum cor-
„ pus, ſed etiam pedes ipſos, interim vero, & manus, ſi hæ
„ quoq; prius malè habebant, in grauiſſimum ſtatũ ſiccan-
„ do perducunt. Scire tamen licet podagrica hæc antitoda
„ multum à nephriticis diſtare,nõ in eo modo,quod craſſos
„ glutinoſoſq; ſuccos attenuent, verum etiam quod calefa-
„ ciant, & ſiccent, nam calculoſis quæ valdè calefaciunt,
„ dari nullo modo conuenit,&c.)

Ex his colligitur 1. vulgaris quidam error, dum exhibent cibos craſſiores in podagricis, & arthriticis, cuiuſmodi ſunt pedes vituli, & ſimiles,quos laudari pluries à medicis Neapoli audiui in articulorum vitijs, eò quòd ſuccum gignant craſſiorem,ineptum, vt ipſi putant,qui fluat ad articulos pedum,manuum,aliarumq; partium,qua in re maximè falluntur; craſſities enim humorum fluxionem inhibet ad partes anguſtas,& aſtrictas,non ad articulos natura laxos, ad quos propter laxitatẽ natura ſuperflua,& craſſa mittit excrementa. quæ etiam idcircò quod craſſa ſunt, difficilius & concoquuntur,& attenuantur tardius, & longiori tempore vt reſoluantur indigent;cibi igitur,& edulia attenuantia,calida ſcilicet,& ſicca, tenuiſq; ſubſtantiæ, vt Galenus docet toto lib. de attenuante dięta,conueniunt podagricis, & arthriticis,& calculoſis,niſi certè hi ſint natura valdè graciles,quos amplius eſiccare,& calefacere,noxium eſt,vt Galenus experientia comprobat,& ratione,loco cit.& omnino legendo, ac memoria tenendo 6.de ſanit. tuenda c.11. *1. Corollar. An pedes vituli, & ſimiles cibi conueniant in podagricis.*

Colligitur 2. alius error prædicto finitimus, illorum, qui podagricis vinum quidem concedunt, ſed craſſioris ſubſtan- **2. Corollar.**

An vina craſſa, nigra, rubra, ſint ex vſu podagricis.

tiæ, nigrum, vel rubeum, auſterum, aſtringẽs, quale eſt, quod amarenis maceratis, & confractis conditur, & conficitur; quod aſtringendo fluxionem podagricam, & articularem inhibeat. qui in re manifeſtè decipiuntur. aſtringentia enim hæc nequeant prohibere humorum fluxionem ad articulos laxos, vt dictum eſt, & humorum ſiuè fluxorum, ſiuè fluentiũ augent craſſitiem, quorum conſequenter prohibent reſolutionem, quò fit vt podagricos dolores & augeant, & diuturniores reddant, cuius contrarium fit à vino tenui, quod per vrinas aqueum excrementum purgat, humores attenuat, ſudores promouet, & reſolutionẽ ſuperfluitatum maximè hac ratione adiuuat. tenui igitur vino vtendum in podagricis, & arthriticis, niſi quid prohibeat, v. g. conſuetudo, gracilitas magna corporis, aut aliud ſimile, de quibus dictum eſt ſupra q. 13. quod non obſtat noſtræ concluſioni, quæ loquitur de vini potu inſpecta podagra, & arthritide ſecundum ſe, non inſpecta conſuetudine, cõplexione, ætate, & ſimilibus, propter quæ tum victus & ciborum ratio, tum potionis, eſt variè determinanda, vt patet cit. q. 13. & q. 15.

3. Corollar. An in podagra, & arthritide cõpetat ſyrupi, & medicamenta, adſtringentia.

Colligitur 3. alius error valde vulgaris, & communis, in hac Patria Neapolis, & alibi, cum medici, ſiuè in præparandis humoribus euacuandis, ſiuè in euacuãdis podagricis per medicamentum purgans, vtuntur materijs aſtringentibus: in præparatione quidem ſyrupis de portulaca, mirtino, de ſucco acetoſæ, de ſucco cidoniorum, & ſimilibus, in expurgatione vero ſyrupo ex roſis rubeis admixto cum ſyrupo roſato ſolutiuo, ſeu de roſis damaſcenis, quas etiam perſicas roſas vocant. Cum ex Galeno cit. 6. de ſanit. tuen. c. 11. calculoſis, & podagricis, & arthriticis eadem conueniant præcepta, & medicamenta attenuantia craſſos ſuccos, quę etiam calidiora, & valentiora debẽt eſſe in podagricis, & arthriticis quam in calculoſis: eiuſmodi autem non ſunt ſyrupi, & medicamenta aſtringentia, quæ frigida ſunt, & obſtruẽtia, & ſuccos reddentia frigidiores, craſſioreſq;. rationabilius igitur vtendum

dum

dum erit ſyrupis aperientibus ver. gr. ex decoctione capillorum ueneris, radicis apij, fœniculi, petroſelini, aſparigi, & ſimilium ſimplicium attenuantium, & urinam cientium; hæc enim tum attenuant, tum per urinas purgant paulatine craſſos humores, quod utiliſſimum pariter eſt calculoſis, & articularibus, ut dictum eſt. Item tutius, & rationabilius expurgantur podagrici aperientibus tantum medicinis, & trahentibus craſſos ſuccos; tale cenſetur potius mel roſatum ſolutiuum, quam ſyrupus roſatus ſolutiuus factus ex zuccaro; eiuſmodi etiam ſunt pilulæ aggregatiuæ, & ſimilia medicamenta, miſſis adſtringentium mixtionibus. quantum eſt ex ui indicationis ſumendæ à podagra.

Colligitur 4. quantum aberrent ij, qui contrariam, & diuerſam putant eſſe curationem calculi, ſeu lapidis renum, & ueſicæ, & podagræ arthritiſiue, huius quidem per aſtringentia, illius uero per aperientia, in qua opinione tamquam uerißima firmiter hærent ferè omnes, quos nouerim, medici: è quorum numero & ipſe exstiti, cum ab aliorum penderem praxi, aliorumq; ſtarem, vt mos eſt tironum, nudis dictis, nudæq; auctoritati, vt mos eſt eorum, qui ſe maiores faciunt; Contra quos liceat vti Galeni ſententia in lib. de ſalubri diæta in tex. 20. in med. ad alium tamen finem, expreſſa his „ verbis. (Verum quod frequenter in ſodalium meorum, & „ amicorum ceterorum congreſſibus dico, non tacebo in „ præſenti. Non parum eſſe iſtorum delictum, qui rationalē „ ſectam venditant, qui ea quæ dictant, pronunciant tam- „ quam edicta regia, omiſſa eorum ratione.) Etenim attenta ratione veriſſima Galeni loc. cit. probat. 6. cum in vtroque morbo adſint humores craſſi, in vtroq; eadem debent eſſe præcepta curatiua, nempe attenuandi, & incidēdi humores, & illud ſolum docet eſſe Galenus diſcrimen, quod calculoſis non debent admodum calefacientia & eſiccantia adminiſtrari, ſicuti podagricis; cuius rei ratio cenſenda eſt renum magna caliditas calculi cauſa, quæ lęditur ab admodum

4 Corollar. An ſit eadem idicatio curatiua in podagricis, & calculoſis.

Cur calidiorā medicamenta cōpetāt podagricis, quā calculoſis.

V 2 calc-

calefacientibus, à quibus contra iuuatur frigiditas iuncturarum.

5. Corollar.

Colligitur 5. Rationem, propterquam diuites, & nobiles frequentius quam pauperes, & ruſtici podagra infeſtentur, non eſſe eam, quam non raro audiui. quia diuites utuntur cibis delicatioribus, ex quibus ſucci gignũtur tenuiores, aptiores ad fluendum in articulos pedum, & aliarum partium; pauperes vero, & ruſtici è conuerſo vtuntur cibis craſſioribus, vnde craſſiores humores orti, non facile ad pedum articulos labuntur. Falſiſſima enim eſt hæc ratio: & huic contraria eſt veriſſima.

Cur pauperes, & ruſtici minus podagra infeſtentur quam diuites, & nobiles.

Ruſticos ſcilicet, & pauperes, licet non vtãtur cibis electis, craſſis tamen excrementis, & ſuccis minus ſcatere quam nobiles, & diuites, & idcircò minus podagra infeſtari. Cum enim copioſiori cibo diuites vtãtur, & in otio degant, copioſiores aggregant ſuccos, & magis crudos, & craſſos, vt ſatis patet, & Galenus docet tum alibi, tum 11. meth. med. c. 15. vbi circa med. inquit de diuitibus, hęc verba
„ (tametſi magis quã pauperes redundantiæ ſanguinis affe-
„ ctibus ſunt obiecti, vt qui magis tũ cibis ſe impleant, tũ in
„ ocio uiuãt) & paulo poſt ſubdit (at diuites, qui & ſãguinis
„ copiã, & excrementorũ pluſquã pauperes & ſerui habent.)

Adde pauperes, & ruſticos frequentiſſime in cibis uti cœpis, allio, naſturtio, porro, ſinapi, origano, calaminthe, pulegio ſiſimbrio, ſatureia, thymo, cumino, eruca, apio, petroſelino, raphano, braſſica, beta, & ſimilibus; quę Galeno docente lib. de attenuante uictus ratione cap. 2. & probante ex acri tum ſapore, tum odore; ſunt ſuccos producentia tenues, & craſſos attenuãtia.

An cœpæ, porri, allia, & ſimilia conferãt podagricis, & arthriticis.

Vt ex his clare pateat; contra uulgarem opinionem, prædicta edulia podagricis admodum conferre, & arthriticis, alijſq; affectibus ex craſſis ſuccis pendentibus, inter quæ etiã cõnumerat Gal. loc. cit. c. 1. epilepſiã, diſpnęam, lienis tumores, hepatis ſcirrhum, phymata, furunculos & ſimilia, ad quæ curanda huiuſmodi edulia acria ſunt ualde accommoda, & maxime utilia. noxia autem ſunt, malua, bli-

tum,

rum,atriplex,cucurbita,citrulli,melones,melopepones,pruna,pyra,& cetera quæ humida ſunt,& frigida,ac pituitoſa, vt conſtat ex Gal.cit.c.2. Sed contra traditas doctrinas

Obijcies 1. præcipuum noſtræ opinionis fundamentum eſt,in vino concedendo podagricis, & arthriticis, quod hi affectus pendeant ex craſſis ſuccis, quibus ex vſu eſt vinum tenue, ſed datur podagra ex humoribus tenuibus, quæ cito terminatur,vt patet ex Galeno 6. aphor.49. vbi ita inquit. (nam diſcutiatur oportet id,quod ad pedes fluxerit, ſiquidẽ tenuiorem habuerit ſubſtantiam, tempore breuiore : ſi vero craſſam, vel tenacem longiore) ergo non eſt vniuerſaliter verum noſtræ ſententiæ fundamentum. 1. Obiectio.

Reſpondetur hoc loco Galenum non ſignificare quãdoq; podagrã fieri ab humoribus tenuibus,& allata verba ſignificare pedum,& podagrici ſubſtantiam quandoq; eſſe tenuẽ, quandoq; vero craſſam,vnde oritur vt id,quod ad pedes influit,quandoq; breuiore,aliquando longiore ſpatio diſcutiatur,& euaporet; Atq; hæc eſt veriſſima, & germana Galeni ſententia loc.cit.quod demonſtratur ex immediate ſequentibus verbis his (longius adhuc tẽpus requiret,ſi ſimul craſſum,atque tenax illud quod defluxit, exiſtit) quibus clare oſtenditur,in antecedentibus verbis non loqui Galenum de humoribus,ſed de ligamentis, chordis, ſeu tendonibus, & neruis,qui circumiacent articulis;hoc igitur loco noſtrum confirmatur fundamentum; cum materiam podagræ ex inflammatione,de qua ibi eſt ſermo, Galenus determinet eſſe craſſam,vel amplius tenacẽ;vt patet ex verbis allatis.Quamquam non eſt negandum,in craſſitie, & tenacitate dari magis,& minus pro ratione admixtæ,vel pituitæ,vel bilis,quod fusè Galenus docet 10. de compoſ.pharmac.ſecum.loc.c.2. init.vbi de iſchiade,podagra,& arthritide,ita inquit(aliquãdo quidem igitur irruens humor ſanguineus eſt, vt plurimũ pituitoſus, aut ex pituitoſo & billoſo mixtus,aut etiam ſanguine cum ipſis permixto)& plura ſubdit de pituitoſi humoris

Reſponſio. Cur quædã podagra breuiore,quędã lõgiore ſpatio terminetur.

ris magna cruditate craſſitie,tenacitate,viſcoſitate. Vnde patet ſemper ex craſſo humore, potiſſimum pituitoſo, numquam ex ſolo humore tenui, puta bile, gigni podagram per Gal. vt patet etiam non ſolum ex locis allatis noſtra tract. de Aqua, ſed ex his quæ dicta ſunt hac quæſt. prob. 5. & 6.
¶ 7. artic. 2. prob. 3. concluſiones. ex Galeno 5. de ſanitate tuen. cap. 5. de attenuant. uict. rat. cap. 1. 6. de ſanit. tuen. c. 11. quod ſi contingat dari podagrã ex ſola bile flaua,ſeu alium articularem affectum. quod certe non implicat;ſi non adſit febris:vini aquoſi & diluti conueniet potus,qualis cõuenit in dolore capitis ex biliosis humoribus,vt dictum eſt ſuperiori quæſtione cõcluſ. 3. ob eaſdem omninò rationes,ibidem allatas. ſi vero adſit febris,idẽ vini potus competit,inſpecta febris mediocritate,anni tempore,complexione,ætate,conſuetudine,&c. vt fusè determinauimus quæſtione 15. ad quem locum recurras.

An ſi detur podagra ex bile flaua, cõueniat vini potus.

1. Obiectio. Obijcies 2. Galenus 10. de compoſ. pharm. ſecun. loc. c. 3. init. docens curationem podagricarum, & arthriticarum affectionum, ita inquit. (influentibus adhuc ipſis, ſcopum afferendorum auxiliorum communi rationi influentium humorũ ſubijcere oportet,ita vt repellamus, ac reſtringamus; vbi vero amplius non influant,vt diſcutiamus iam illapſos) igitur non ſemper ex ipſo Galeno vtendum eſt attenuantibus,& diſcutientibus,ſed quãdoq; reſtringẽtibus, vnde corruit ſupra tradita doctrina potiſſimũ prob. 6. & coroll. 1. 2. 3.

Cõfirmatio. Confirmatur quia in podagricis, & arthriticis adeſt laxitas iuncturarum,ſiuè naturalis ex parentibus orta;ſiuè aſcititia propter vſum veneris,vel ſimilem cauſam;ergo ratione laxitatis conuenit podagricis, & arthriticis vſus aſtringentium, & corroborantium.

Reſponſio. Reſpondetur auxilia podagrica,& arthritica eſſe duplicis generis,quædam ſunt extrinſeca,& localia,quæ ſcilicet parti,ſeu loco affecto applicantur, vel ad dolorem leuandum, vel ad tumorem minuendum,ſiue per vnctiones,ſiue per cataplaſmata,ſiue per emplaſtra, & cerata, vel alio modo, &

de

de his loquitur Galenus, vt patet, & veriſſime. in principio ſcilicet fluxionis podagricæ debere eſſe repellentia, & reſtringentia; vbi verò fuerit fluxus humor, debere eſſe diſcutientia; quæ in re notanda omninò eſt regula à Galeno omnino legendo tradita loc. cit. 10. de compoſ. med. local. c. 2. circa princ. Alia auxilia podagrica, & arthritica ſunt intrinſeca quæ per os aſſumuntur, & ebibuntur, & hæc ratione podagræ, & arthritidis nullatenus debent eſſe aſtringentia, ſed attenuantia, & incidentia, vt conſtat ex demonſtratis tota hac quæſtione, potiſſimum locis in obiectione allatis. Et ratio diſparitatis eſt, quam innuimus etiam noſtra tract. de Aqua q. 7. art. 2. in reſponſione ad 5. obiect. quia adſtringentia, & refrigerantia extrinſecus appoſita incipienti fluxioni ſiue podagricæ, ſiue alterius partis, & iuncturę, partem adſtringendo, & humorem reprimendo ne influat, impediũt incrementum fluxionis, id quod ex vſu eſt, vt patet. at hæc intro aſſumpta adſtringentia ſeu medicamẽta, ſeu ſyrupi, ſeu potus, & cibus, humores denſant, & incraſſant ſiuè fluentes, ſiuè fluxos, qui idcircò etiam ad excretionum vias minus tendunt, & conſequenter magis retinentur, magiſque acervantur, vnde etiam non ſolum difficilior ſolutu fit fluxio, ſed etiam copioſior ad articulos, quod maior copia craſſiorum humorum redundet in corpore, vt manifeſta etiam patet experientia in his, qui longioribus febribus aut ægrotarunt, aut actu adhuc ægrotant, in quibus humorum craſſorum pro increſcente copia, pedes primum, tum tibiæ, poſtmodum crura tumeſcũt, quouſque & venter totus repleatur, & diſtendatur, & homo tandem ſuffocetur.

Quando in podagra cõueniant medicamẽta localia repellentia, & aſtringentia.

Ad confirmationem reſpondetur, ex ea deduci ſolum cõuenire podagricis, & arthriticis extrinſecus corroborantia, & aſtringentia partium articulos, initio fluentis humoris, iuxta Galeni doctrina 10. de compoſ. med. local. c. 2. circa princ. quod non negamus, non autem probare, intrinſecus aſſumenda debere eſſe aſtringentia, & incraſſantia, vt mox probatum eſt.

Confirmationis ſolutio.

Obij-

3. Obiectio. Obijcies 3. podagra, ſaltem quæ calida dici ſolet, pendet ab inflammatione, vt conſtat ex Hyppocr. 6. aphor. 49. ibidemque Galeno, ergo in hac podagra, vt Galenus habet his verbis (intentio ſanationis cõmunis eſt omnibus inflammationibus) ſed in inflammationibus viſcerum vinum eſt inhibendum, vt Galenus docet 1. ad Glauco. c. 14. ſœpius cit. pariter prohibetur vinum in inflammationibus externis, vt patet ex Gal. 1. ad Glauc. c. 3. vbi ita inquit (qui vero ex bubonibus febricitant, arcendi ſunt à vini potu, donec bubones ſoluantur) & tandem vniuerſaliter idem Gal. 8. de compoſ. med. local. c. 7. poſt princ. ſic inquit (vinum conuenientiſſimum eſt citra inflãmationem, aut eriſipelas, aut abſceſſum, aut calidam intemperaturam ægrotantibus) ergo etiam in podagra ab inflammatione inhibendus eſt vini potus.

Reſponſio. Reſpondetur inflammationem duplicem debere diſtingui, aliam immoderatiorem, quæ ſcilicet calidior eſt, in abſceſſum terminari ſolet, & febrem accendit; aliam moderatiorem, quæ nec ita eſt calida, nec febris eſt cauſa, nec in pus vertitur, nec in abſceſſum tranſit, ſed vaporis modo euacuatur; qua ratione finiri podagræ inflammationem, & docet experientia, & teſtatur Galenus 6. aphor. in aphor. 49. his verbis (qui in dearticulationibus humores inſunt, per ligamenta ipſas amplexantia oportet per modũ vaporis euacuari) hac poſita diſtinctione veriſſima. Dicendum eſt Galenum prohibentem vinum in inflammationibus, intelligendum eſſe de inflammationibus immoderatis, calidis ſcilicet cum febre, & quæ degenerare valeant in abſceſſum, vt ſatis conſtat ex cit. locis in obiect. allatis. Vinum enim vtpote calidum naturà, inflammatæ particulæ, & febris calorem vel auget, vel fouet, quod eſt euitãdum, niſi aliqua urgeat ratio uel uirium, uel conſuetudinis, &c. ut fusè dictum eſt ſupra q. 15. Non autem eſt loquutus Galenus de inflammationibus moderatis, quæ non ſunt ſatis calidæ, nec febrem afferunt, nec in pus tranſeunt, quales ſunt podagricæ inflammationes,

An, & quando in inflãmationibus cõueniat vini potus.

tiones, & arthriticæ, quæ quia pendent ex craſſo ſanguine, indigent vino tenui,& aquoſo attenuante, & faciliores aptioreſque reddente humores, vt vaporis modo poſſint diſcuti; ſicuti etiam in febribus ipſis quartanis, & ſimilibus, propter humoris craſſitudinem vini potus competit, vt determinatum eſt quæſt.15. Atque hæc reſponſio eſt ex profeſſo Galeni 7. de compoſ.pharmac.ſecun.loc.cap.1. ante finem; vbi curationem tradens inflammationis ſummarum partium aſperæ arteriæ, poſt multa ſic inquit (hæc igitur in inflammatis affectionibus iuxta arteriam, eiuſque ſummum commoda in principio ſunt, donec inflammatio moderata fiat: & præ omnibus à vini potu hoc tempore abſtinendum: Cum vero moderatior facta eſt inflammatio. vinum dulce theræum, aut ſcybellite bibere licet, aut ex noſtra Aſia Caiyinum, & deinde Therinum appellatum, deinde etiam dulce tmolite.) Ex quibus liquido conſtat in moderata inflammatione interna aſperæ arteriæ circa ſummas partes, conuenire vini potum dulcis,quod adiuuat expurgationem ex thorace, vt patet ex dictis ſupra quæſt.8. ergo multo magis conueniet vinum, quale dictum eſt, in inflammatione podagrica, quæ eſt in parte extrinſeca, & frigida, & ex humore, & ſanguine craſſiore, & conſequenter non immoderatè calido, vel incendente.

Obijcies quarto. Vinum caput replet, ſed à capite repleto fluunt excrementa ad ſubiectas partes, inter quas ſunt articuli, ſeu iuncturæ; igitur in podagricis, & arthriticis paſſionibus eſt inutile, immo infectum vinum. 4. Obiectio.

Reſpondetur hoc eſſe præcipuum aduerſariorum fundamentum, & fere vnicum, neque enim ipſi allatas, & ſolutas afferunt difficultates. quod tamen facillimè diluitur. Eſto enim verum ſit, à capite ad articulos mitti, & fluere humores ſuperfluos; qua de re plura à nobis dicenda ſunt tractatione de doloribus. tamen à vino caput repletur, & Reſponſio. q.pen.de articulorum doloribus.

X infe-

infeſtatur, non ſemper, ſed cum copioſè ſatis, ieiuno ſtomacho, & meracius aſſumitur, vt patet ex dictis, præcipuè quæſt. præcedenti in fine ad obiect. & quæſt. 14. concluſ. 1. & 2. non igitur in quantitate moderata, & ſufficienti, & vnà cum cibis, vinum aquoſum, & dilutum, cum calidiores ſunt humores; meracius vero, ſed ſemper tenue, cum ſucci non ſolum ſunt craſſi, ſed frigidiores etiam, debet inhiberi in podagricis, & arthriticis;

Firmum igitur maneat, debere vinum exhiberi podagricis, & arthriticis ſecundum ſe conſideratis; quod enim prohibeatur quandoque vinum vel ratione plethoriæ, ſeu plenitudinis, aut multitudinis ſanguinis; vel ratione febris incendentis, vel ratione conſuetudinis, &c. id noſtram non euertit concluſionem.

Atque hæc ſatis eſſe poſſunt de vini potu in podagricis, & arthriticis, quibus etiam qualis debeat exhiberi cibus, & qualia debeant adminiſtrari medicamenta tum localia, tum purgantia, ratiocinationis conſequentia innuimus.

Conſilium pro curãda, & præcauenda podagra.

Illud etiam non prætereundum videtur. Optimum conſilium eſſe pro præcauenda, & curanda podagra, quod ex Galeno clariſſime colligitur 6. aphor. 28. Vt ſcilicet corpus vacans ſuperfluitatibus exiſtat. Fit autem vacans ſuperfluitatibus ex Galen. cit. (ſi mediocri vtatur exercitio, & homo bene cibum concoxerit, vnde & deſidiæ, & crapulæ eis nocent; nocent etiam multa, & potentia vina bibita præcipuè cum aliquis ieiunus ea potauerit; hæc enim neruoſam ſubſtantiam promptè percutiunt, ſicut & coitus.)

Galeni conſiliũ pro arcenda podagra.

Præter hæc ex Galeno, quia vix hominem non delinquentem in his, quæ pertinent ad rationem victus, reperias. ad hoc vt homo ſuperfluitatibus vacuus exiſtat, optimum eſt remedium, à me in me ipſo primum, tum in plurimis, quos amore proſequor, iam annis elapſis quatuor, aſſiduo vſu expertum, quod ex aloe roſato conficitur, & de-

ſcriptum

ſcriptum eſt ab Arnaldo de Villanoua (viro in ſcientijs pluribus excellenti, verum in praxi medica tanti nominis, vt inter Gallos, & Hiſpanos fuerit, & adhuc ſit diſſenſio, illis Gallum Arnaldum fuiſſe aſſerentibus. his Hiſpanum Arnaldum contendentibus) libello quem ſcripſit ad Robertum Hyeruſalem, & Siciliæ Regem, de conſeruanda iuuentute, & retardanda ſenectute, cap. 3. ſermone de aloe roſato, de quo ita loquitur (Non eſt ei par in conferendo capiti, morbis oculorum, & articulorum intus; Et acceptio eius eſt indifferens, & imperceptibilis eſt operatio eius, educens quemcumque trium humorum, non poteſt nocumentum facere, & ipſius aſſiduatio non permittit ægritudinem in corpore ſanabili nutu Dei.) Quæ omnia veriſſima eſſe, quiſque ritè vtens, poterit experiri, vt ego expertus ſum in plurimis; Et teſtor Deum, me nil vtilius inueniſſe pro delicatis complexionibus, & labilem ſanitatem habentibus, quibus medicamenta valentiora non ſunt ex vſu. Et primùm Deo, tum huic remedio Domini Arnaldi acceptam fero, qua nunc fruor, valetudinem, qua & corporis, & ingenij vires moderatas exercere valeo; Cum ante illius vſum, & decolor eſſem, & cibos non appeterem, nec ambulare per ſtadium, nec ſcribere decem verſus, nec ſtudio vacare valerem, adeoque ad omnia eſſem ineptus, & debilis, vt iam me morbifica, ac præpropera ſenectute confectum omnino inſpicerem, maxima cum animi mei, & coniunctorum moleſtia, cui præſto fuit ſummus rerum opifex hoc patefacto auxilio; ex diuina prouidentia Domini Arnaldi ſcriptis in manus peruenientibus, eoque remedio primùm lecto, tum in examen vocato, & cognito, tandem in me ipſo primum obſeruato maxima cum vtilitate, deinde in alijs, & podagricis, & arthriticis, & vertiginoſis, & cibum vomentibus, & non appetentibus, & per reſpirationem male olentibus, & melancholicis, & in capitis dolo-

Arnaldi præſidiū pro articulorum morbis ad Regem Robertum ſcriptum.

re, & grauitate, & in innumeris alijs affectibus, vt in lumbricorum generatione, in aluo ſtyptica, & tandem in omni ægritudine ex humorum paulatina congerie, quam paulatine, & fere inſenſibiliter abſumit, ſi non ſit omnino incurabilis, & roſati aloes recta ſit adminiſtratio. Vt proinde in prauitatis, & ineptiæ crimen me incidere putarem, niſi à Regio Medico Domino Arnaldo inuentum præſidium, & ad Regem digniſſimum Robertum ſcriptum, atque à me maxime expertum, tibi Sereniſſimo, Illuſtriſſimo, ac Reuerendiſſimo Principi proponerem, & laudibus iuſtis celebrarem, ac præſens opus illius aſſertione illuſtrarem. Quod ſi quis contra ſentiat, qui mos eſt medicorum, vt in huius tractationis tibi dedicata epiſtola ex Hyppocrate retuli. Vel quod, vt cenſuit Meſue, aloes aperiat orificia venarum hęmorrhoïdarum. Vel quod vſus immodicus aloes tabem inferat, vt idcircò non videatur vtilis pro ſanitatis regimine, vt putauit Cardanus; vel alia ratione vtatur; Is non ſtatim ſe concluſiſſe putet, ſed meas audiat harum, & ſimilium obiectionum faciles ſolutiones, vel ſtatim ac illas mihi ſcribendo obiecerit; vel ſi ſcribere grauetur, in tractatione de medicamentis purgantibus, typis Deo dante; & Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo Domino, exprimenda; in qua tum de hoc, tum de alijs medicamentis ſermo erit opportunus; hæc enim de vino eſt tractatio, quæ duabus ſequentibus quæſtionibus abſoluetur.

QVAE-

QVAESTIO DECIMAOCTAVA.

De potu vini in vulneribus, & vlceribus.

QVòd viderim Chirurgos in curandis his affectibus admodum ſeueros, & omnino abſtemios ſuos ægros eſſe præcipientes, fere per edictum Regium, impulit vt ſeorſim aliqua hac de re ſcriberem, quæ valde pendent ex dictis ſuperiori quæſt. in reſp. ad 3. obiect.

Concluſio. In vulneribus, & vlceribus ſecundum ſe conuenit vini potus, inhibendus eſt autem; quando annexa eſt inflammatio, vel futuræ eſt timor inflammationis, vel alterius ſimilis indiſpoſitionis. Concluſio.

Eſt expreſſa Galeni 4. meth. med. cap. 7. ante med. vbi docens in vlceribus eſſe aſſumenda aſtringentia, vt balauſtium, terram ſamiam, ſigillum lemnium, acaciam, & ſimilia ex aliquo aſtringente ſucco, vel auſtero vino, ſubdit hæc verba. (non latet autem de vini vſu, quod cauendum id eſt, vbi phlegmones ſuſpicio adeſt, alias dari nil vetat,) Atque ex hoc Galeni loco colligitur etiam vinum auſterum, & aſtringens conuenire vulnere, ſeu vlcere affecto. 1. Probatio. Vinum auſterũ eſt vtile in vulneribus.

Probatur concluſio 2. Vulnera, & vlcera, vtpote morbi in ſoluta vnitate, vnione indigent, quæ fit per optimæ carnis generationem, & adnaſcentem in vulneris, & vlceris ſpatijs vacuis; ſed vinum optime nutrit, & digerit, & inter potus minime omnium excrementa humida aggregat, quam ob cauſam ſiccum vinum eſſe facultate diximus in ſuperioribus, ergo vinum maxime conuenit in vulneribus, & vlceribus; niſi obſtet inflammatio eiuſmodi, de 2. Probatio.

qua dictum eſt ſupra loc. citat. quam auget vini potus, & à qua impeditur vulneris, & vlceris curatio.

1. Cõfirmat. Confirmatur 1. quia vt mox innuimus ex Galeno vinum auſterum, quod maximè competit vulneribus, & vlceribus aſtringendi vi, & vniendi pollet, quod maximè confert vulneribus, & vlceribus.

2. Cõfirmat. An, & quando vulnera, & vlcera ſint vino abluenda. Confirmatur 2. quia ob has eaſdem ferè rationes vulnera, & vlcera abluuntur vino aliquo aſtringente, vel marina aqua admixto, vel ſale addito, ſiuè lana, vel ſpongia huiuſmodi vino madefactis, vel infuſis, imponendis in ruptis abſceſſibus, cum ſcilicet non adeſt, nec pertimetur inflammatio, vt idem Galenus docet expreſsè 2. ad Glauc. c. 2. circa princip. vbi loquitur de curanda inflammatione iam ſecta, & pure euacuato. quod idem docuit 3. meth. med. cap. 4. circa med. vbi inter alia ſic inquit (vinum igitur omnis vlceris, qua vlcus eſt, optimum eſt medicamentum) & 4. meth. cap. 2, init. vlcus humidum aut vino, aut poſca, aut decocto alicuius auſteræ herbæ lauandum admonet. atque adhæc loca, & ad hanc doctrinam ſe reuocat Galenus in Hyppocr. de fracturis comm. 3. in tex. 3. in quo laudat Hyppocrates eos, qui plagas in fracturis vino madefactas, aut lanas ſuccidas alligant, ergo pariter vini potus conueniens eſt in vulneribus, & vlceribus.

Obiectio. Obijcies quia Galenus 2. de compoſ. pharmac. ſecund. loc. cap. 1. ſect. cui titulus eſt; Ad dolorem capitis ex plaga, aut caſu, Apollonij. docet, vulneratos in capite, à vino, & cibis craſſioribus abſtinere oportere; Item 1. ad Glauc. c. 3. inquit (qui vero ex bubonibus febricitant, arcendi ſunt à vini potu, donec bubones ſoluantur) ſed bubones ſoluuntur, cum ſuppurantur, & ſicut cetera vlcera ad cicatricem deducuntur; igitur per Galenum vlceri ex bubone prohibetur vinum. Amplius Hyppocr. lib. de fract. par. 1. tex. 47. in oſſium fracturis potiſſimum cubiti docet à vino, & carnis eſu abſti-

abſtinendum eſſe, ergo multo magis id aſſerendum eſt incubiti vulneribus, & vlceribus.

Reſpondetur nos concedere, eſſe quandoque prohibendum vinum in vulneribus, & vlceribus, non ratione vulneris, & vlceris vt ſic; ſed ratione inflammationis, vel febris, vel ob aliam cauſam prohibentem vini potum, qualis eſt plethoria, & ſanguinis ſuperabundantia, item crapula &c. Et hac de cauſa omnino putandum eſt tum à Galeno, tum Hyppocrate præcipi vini abſtinentiam loc. citat. in capitis enim vulneribus tum inflammationis eſt timor, tum febris; pariter in oſſium, & cubiti fracturis valdè timetur futura inflammatio, & febris, in quibus affectibus vtpotè calidis vinum eſt vitandum calorem vel augens, vel fouens, niſi certe virium adſit neceſſitas; aut alia vrgeat ratio vel conſuetudinis, uel ætatis, vel alia, quas omnes diſtinctè docuimus ſupra quæſt. 15. quæ etiam conſiderandæ ſunt in uino exhibendo cum adſunt uulnera, ſiue in capite, ſiue in alia parte corporis, ut in inguine, ex ſuppurato uerbi gratia bubone, & ſecto, ac purè euacuato; quo tempore, niſi febris urgeat, aut corporis plethorica diſpoſitio, unde timetur inflammatio, & æger uino ſit conſuetus uti, uel complexionis ſit frigidæ, uel tempus anni ſit frigidum, uel alia ſimilis adſit cauſa uinum requirens, uini potu utendum eſt, potiſſimum ſi uel ſanguinis miſſione, uel purgatione corpus ſit euacuatum, ob quas eaſdem cauſas etiam in febre ualidiore, & in pleuritide uino utendum, ut diligenter diximus quæſt. 15. ergo multo magis uini potus concedendus eſt in uulneribus. Eſt enim optimè nutriens uinum, & eſiccans uulnera, eademq; aſtringens ſi auſterum ſit, quale uulneri ut uulneri conuenientiſſimum exiſtit. Reſponſio.

QVAE-

QVAESTIO DECIMANONA.

De vini potu in ſyncope.

DE hac re Galenus egit ex profeſſo 12. meth. med. cap.4. & 1. ad Glauco. cap.14.quibus in locis omninò diuerſa uidetur docere. Etenim 12. meth.4. omnibus, quos ſyncope male habet, calidum natura uinum exhibet,& tenue,uetuſque,& boni odoris, magis tamen,minuſue calidum pro diuerſitatè humoris,uel biliosi,uel pituitoſi, ex quibus pendet ſyncopa. Talia autem uina calida exemplificat Surrentinum,non ſane quale exiſtit noſtro ſeculo,ut dictum eſt fusè ſupra quæſt. 9. Falernum, lesbium, & ſimilia; Et prohibet uina admodum craſſa, uel aquoſa, uel auſtera,uel aquam ipſam. Contra uero 1.ad Glauc.14. in ſyncope ex ſanguinis fluxu, utitur potu uini craſſi, nigri, & auſteri; uino uerò aqua frigida temperato utitur in fluxionibus, quæ fiunt ad uentriculum; quin etiam aquæ potum laudat in ſyncope ex æſtuatione uentriculi, quæ omnia cum præcedentibus pugnant; unde diſſentientes inter Doctores Medicos ortæ ſunt dè uini potu in ſyncope opiniones; quibus utpote inutilibus miſſis; ut Galenica explicetur, & intelligatur uera ſimul doctrina de exhibendo uino in ſyncope, ſeu animi defectu, ſeu uirium exolutione.

§. Notabile.

Quid ſit ſyncopa, & de ſyncope cauſis.

Notandum eſt primo; Syncopæ, quæ eſt præceps uirium lapſus ex Galeno 12. meth. med.cap.5. plures poſſe eſſe cauſas, eodem Galeno authore loc. cit. & 1. ad Glauc.14. Cum enim uirium robur conſiſtat in debita quantitate, & temperie tum partium ſolidarum, potiſſimum principalium, puta Cordis, Cerebri, Hepatis; tum etiam ſpirituum; ſequitur neceſſariò ea omnia, quæ ſolida, uel ſpiritus immodicè

dicè immutant tum quo ad ipſorum quantitatem, tum qualitatem, poſſe eſſe cauſas ſyncopes. Hinc fit ex liquantibus febribus, & diuturnis, nimium extenuantibus,& ex maraſmo incidere uirium lapſum, deficiente debita quantitate, tum ſubſtantiæ ſolidæ, tum ſpirituum; Item ex uitioſis, & uenenatis ſuccis, uel à cauſis extrinſecis pariter malitioſis, puta aëre putrido, & peſtilente; uel certe immoderatius frigido, aut calido, uel eſiccandi, aut humectandi ui immoderata prædito, alteratis nimium præternaturam ſiue ſubſtantia ſolida, ſiue ſpiritibus, ſiue utriſque, contingunt ſyncopæ, quæ frequentiſſime fiunt ex ſpirituum defectu, qui propter uarias, eaſque plurimas fieri ſolet corporis affectiones, & paſſiones, quas fere omnes percurrit Galenus 1. ad Glauconem 14. Deficiunt enim animo homines, & reſoluuntur ſpiritus, & uires, uel ex nimia euacuatione, ſiue per ſanguinis fluxum uel è naribus, uel ab utero, uel ab hemorrhoidibus, uel à uulnere; ſiue per abſceſſus diſruptionem; ſiue per uomitum, ſiue per diarrhęam, ſiue per choleram, ſiue ob immodicum ſudorem. Vel ex conſenſu oris uentriculi infeſtari ſiue à bile, ſiue uermibus, ſiue pituita, ſiue flatu craſſo; Aut conſenſu ab uteri ſtrangulatione, ſeu præfocatione. Amplius ob uehementes animi affectus contingit uirium reſolutio, maximum uerbi gratia ob gaudium, uel triſtitiam, uel timorem, uel iram. Item ob maximam inediam, uel contra ob nimiam ingeſtionem, & multitudinem ſanguinis, uel ob malignum humorem, uel ob nimios dolores uerbi gratia colicos, iliacos, &c. uel ob membri principalis obſtructionem, uel ob nimiam intemperaturam ſiue calidam, ſiue frigidam, ſiue ſiccam, ſiue humidam uel totius, uel principalium partium; à quibus omnibus cauſis ſpiritus, uel corruptionem, uel reſolutionem, uel ſuffocationem patiuntur, ut alibi ex profeſſo dicendum.

2. Notabile. Notandum ſecundo. Duplex ſyncopæ debere tempus conſiderari à medicis, alterum, cum actu ſyncope inuadit; aliud, cum non actu affligit ſyncopa, ſed ſyncopalis acceſſio futura pertimetur.

1. Concluſio. De vino bibendo in futura ſyncope. Prima concluſio. Quando ſyncopes non actu exiſtit, ſed pertimetur futura ſiue cum febre, ſiue ſine febre, ex vſu eſt uini potus non raro, illiuſque quandoque craſſi, acerbi, auſteri, nigri, quandoque potentis, & tenuis, quandoque diluti; quandoque contra uinum non conuenit, ſed conducit aqua frigida epota, pro ratione diuerſitatis cauſæ, à qua poteſt oriri, quæ pertimetur ſyncopa futura.

1. Probatio ex Galeni auctoritate. Iuxta hanc concluſionem omnino loquitur Galenus 1. ad Glauconem 14. ubi in ſyncopa uino utens modo craſſo, modo tenui, modo albo, modo nigro, modo ualido, modo aquoſo, modo uinum reſpuens, propter uarias cauſas, poſt multa hæc inquit uerba (optimum uero in his, quid futurum ſit præcognoſcere, atque hæc ante acceſſionem facere anticipare; Et ſi etiam, qui ex ſiccitate in principijs acceſſionum ſyncopam ſunt incurſuri, optimum eſt præuidere, nam ſi duabus, aut tribus horis ante acceſſionem exhibito cibo, manus ac pedes conſtringi iuſſeris, non interibunt; Oportet autem cibos eſſe concoqui faciles, & ventriculo aptos. Quod ſi magnum imminere periculum fueris ſuſpicatus, vinum dare anticipabis, vinumque præſertim in alicam elixatam infuſum, quod ſi aliquid panis ex alica exhibueris, idem valebit. At ſi mediocris ſyncopa expectatur, vino parcendum, ſufficit enim tunc mala punica, aut pyra, aut poma, aut aliquem alium fructum aſtringentem cibis admiſcere, & ſi ad hæc mediocriter tulerint acceſſionem, cum rurſus cibum obtuleris, non erit neceſſarium fructibus vti. hæc quidem facienda ſunt, ſi quid futurum præuideris.)

Ex

Ex quibus Galeni verbis, quæ conſulto tranſcribimus. Patet primo manifeſtiſſime Galenum hoc loco loqui de vini potu, cum futura pertimetur ſyncopa, non cum actu affligit. Patet ſecundo; quanto tempore ante ſyncopalem accesſionem ſit dandum vinum. Patet tertio, qua ratione ſit dandum vinum, non certe purum, & ſimplex, ſed infuſum in alicam elixatam, vel cum ipſo pane ex alica, quæ conſona ſunt dictis à nobis ex eodem ſupra quæſt. 14.

Quo tempore, & quo modo vinũ ſit dandum ante acceſſionem ſyncopalem.

Probatur Concluſio Ratione veriſſima, quam inſinuat Galenus loc. citat. 1. ad Glauconem 14. in fine. In ſyncopa, quæ timetur futura, præcauenda, ſcopus, & indicatio eſt, ea adminiſtrare, quæ ſint contraria cauſis, à quibus pendebit ſyncope. Sed hæ cauſæ quandoque ſunt humores pituitoſi, & craſſi, contra quos eſt vtilis vſus vini tenuis, & calidi, ſeu potentis, & veteris: quandoque ſunt humores calidi, & bilioſi, contra quos vtilis eſt potus vini aquoſi, & diluti; quandoque cauſæ ſunt immodicæ euacuationes, ſiue per fluxum ſanguinis, ſiue humorum aliorum, quas ſiſtit, & curat potus vini auſteri, acerbi, craſſi, nigri; quandoque cauſa eſt ſumma æſtuatio, & caliditas ſiue febrilis, & totius, ſiue ventriculi, cui vtile præſidium eſt potus frigidæ. Quandoque cauſa eſt multitudo ſanguinis ſuffocans, cui inutilis eſt tum vini potus, qui non conuenit plethoricis, tum aquæ ſinceræ, quæ auget obſtructionem, quæ fit à ſanguinis multitudine, ergo imminente, & futura ſyncopa, quandoque vini tenuis, & calidi, ſeu potentis, quandoque aquoſi, & diluti, quandoque craſſi, auſteri, & nigri potus conuenit, quandoque nullatenus ex vſu eſt vini potus, ſed conducit aqua frigida epota. Atque hæc eſt germana Galeni ſententia, & veriſſima, de potu exhibendo in ſyncopa futura, etiam exiſtente febre, & de hac agit 1. ad Glauconem 14. Qua etiam in re obſeruanda ſunt febrilis caliditatis intenſio, conſue-

2. Probatio.

Digitized by Google

tudo, ætas, anni, tempus, & alia, de quibus latè diximus ſuperiori quæſt. 15. cum de vini potu in febribus egimus.

2. Cõcluſio. Secunda Concluſio. Cum actu ſyncopa inuadit hominem, & actu affligit, neceſſarius eſt vini potus tenuis, calidi, ſiue potentis, & boni ſucci; maximè noxius exiſtit aquæ potus.

1. Probatio. De vino bibendo in actuali ſyncopa. Eſt manifeſtiſſima Galeni citat. præcedenti concluſ. 1. ad Glauconem 14. vbi poſt allata à nobis verba præcedenti concluſ. hæc alia immediatè, ſubdit (At qui ex inopinato in periculum inciderint, vinum calidum cum pane eſt exhibendum, & paululum aliquid cum eo alicæ calidæ) quibus nil clarius pro concluſionis veritate. Et denotatur etiam vinum non purum debere ebibi, ſed mixtum cum pane, & alica ob rationes allatas à nobis quæſt. 14. Et iuxta hanc concluſionem manifeſtiſſime loquitur Galenus ſibi minime contrarius 12. meth. med. cap. 4. vt patet legenti; Etenim inquit principio capitis(vinum tamen quod calidum natura ſit, & diſtributionem in corpus promoueat, omnibus, quos ſyncope male habet, offerre conueniet) & hæc vina explicans eſſe vetera, Surrentina ſui temporis, lesbium, falernum, &c. falernum potiſſimum docet eſſe vtile quibus ex crudis humoribus ſyncopes adeſt periculum, & paulo poſt varias explicans vinorum naturas, ſubdit (ergo quibus ex abundantia crudorum humorum ſyncope incidit, ijs craſſa vina ceu noxia ſunt fugienda, aquoſa ceu parum efficacia) vnde patet Galenum hic loqui de ſyncope non futura, ſed actu exiſtente.

2. Probatio. Probatur Concluſio ratione manifeſta, quam innuit clare Galenus 12. meth. 4. init. Actualis ſyncopa, & actualis defectus virium ſola indiget virium refectione; quamobrem idem Galenus 12. meth. 6. propè finem, inquit hæc verba (ergo in omnibus eiuſmodi curationibus ſi iam deprehenſus

henſus ſyncope cubans eſt, omnis ſollicitudo medentis ad ſymptoma vertitur) ſed maxime reficiens vires, & celerrime, eſt vinum album, tenue, natura calidum, & boni ſucci, cetera enim vel parum nutriunt, vt aquoſa; vel tardius, vt auſtera, craſſa, nigra; vt patet ex dictis ſupra in proprijs quæſtionibus; ergo in actuali ſyncopa, & virium reſolutione maxime omnium idoneum eſt vinum album, tenue, calidum natura, quod celerrimè diſtribuatur, nutriat, & vires reficiat.

Atque ex hac ratione veriſſima intelligitur primo in affectis ſyncope ex defectu, & euacuatione ſiue ſubſtantiæ ſolidæ, ſiue ſpirituum, conuenire vini potum, albi, tenuis, potentis; non autem in ſyncopa ex abundantia ſiue ingeſtorum, vt in ebrijs ſolet contingere; ſiue ex multitudine, & ſanguinis abundantia immodica; quæ doctrina expreſſa etiam eſt à Galeno 1. ad Glauconem 14. vbi cum docuerit modum ſuccurrendi his, qui ex euacuationibus diſſoluuntur. Et præcipue per vini potum, ſic inquit (his igitur qui ex euacuationibus diſſoluuntur, ita confeſtim ſuccurrendum eſt, at qui ex multitudine non ita; Verum in illis artus quamplurimum fricare oportet, calefacere, atque alligare; à vino vero, & cibis abſtinendum, & balneis, etiam ſi febricitauerint) & Ratio eſt manifeſta; quia vinum auget multitudinem, ergo non eſt vtile ſed noxium in ſyncopa à multitudine, ſiue actu exiſtat, ſiue ſit futura. **Syncopi ex defectu, non ex abundantia conuenit vini potus, &c.**

Colligitur ſecundo. Ratio diſparitatis, Cur Galenus deneget vini potum in marcore torrido, concedit autem in marcore frigido, & in marcore ſyncopoſo. lib. de marcore cap. vltimo. quam rationem diſparitatis afferre polliciti ſumus ſupra quæſt. 15. Et ea eſt, quia cum torridus marcor fiat à febre ardentiſſima, ei obeſt vinum ſui natura calefaciens, vel calorem fouens, prodeſt autem marcori

ex

ex frigida cauſa, & ſyncopoſo. Cum enim ſyncope actu affligit, virium reparandarum potiſſimus eſt ſcopus, id quod à vino maxime præſtatur, & idcircò ſyncopoſum iuuat marcorem vini potus, lędit autem torridum.

Error præbentiũ aquã potandam ſyncope affectis.

Colligitur tertio. quam malè uulgares homines in hac Ciuitate Neapolis his, qui linquuntur animo, ſtatim aquæ paululum præbeant bibendum. Cum enim actu affligit ſyncope, ſi ea ex euacuatione fiat ſubſtantiæ, aqua eſt maxime noxia, cum nullatenus nutriat, nutritione autem opus eſt, & celerrima, vt conſtat ex dictis; ſi vero fiat ex multitudine pariter aqua eſt noxia, multitudo enim ſuffocat, & extinguit calorem, quem pariter aqua ſua natiua frigiditate remittit. Solum igitur ex uſu eſſe poteſt aqua in ardentibus febribus, & colliquantibus, & ubi uentriculus æſtuat calore, antequam ſyncope inuadat. Item aquæ inſperſio ex uſu eſt ſyncopoſis ex euacuatione, frigiditate enim aquæ condenſantur pori, vnde ulterior impeditur difflatio ſpirituum.

Inſtantia.

Dices Galenus 12.meth.4. init. ſyncope affectis frigidum potum exhiberi præcipit; eſt igitur utilis aqua frigida.

Dilutio.

Reſpondetur Galenum loqui de uini potu in ſyncope, quod uirtute, & natura calidum, actualiter autem frigidum exhiberi præcipit, ut actuali frigiditate reſolutionem ſpirituum inhibeat, uirtuali autem caliditate ſuæ ſubſtantiæ, celerrime nutriat, & diſtribuatur, qua vi nutriendi cum careat aqua, nequit eſſe in ſyncope ad potum vtilis. Atque hinc clare colligitur, quam aberrent ij, qui quando Galenus hoc loco, & 1. ad Glauc. 14. vino inquit vtendum calido, vel vinum calidum bibendum, putant Galenum loqui de vino actualiter calido; eſt enim actualis caliditas ſyncopę ex euacuatione, & reſolutione, omninò noxia, cum reſolutionem, & euaporationem promoueat, loquitur igitur de vino potentia, virtute, & natura calido, qualia ſunt falernum, leſbium, Surrentinum ſui temporis, &c. Hęc ſatis.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Index quaestionum huius libri de vinis &

De vinorum natura, et usu tam in sanis, tam in aegris corporibus fol. 1
De differentiis vinorum, et de vina inter se quid differant —— fol. 2
An vinum nutriat nisi aeger propri[illegible] —— fol. 9
An vinum calefaciat, exsiccet, humectet ac [illegible] —— fol. 13
De vinis tenuibus, et crassis —— fol. 20
De vino aqueo, et vinoso —— fol. 26
De vinis austeris et acerbis —— fol. 29
De vinis acidis —— fol. 34
De vinis dulcibus —— fol. 39
De vinis novis et veteribus, de vinis acribus, amaris, salsis —— fol. 47
De vinorum temperiebus, et mutationibus —— fol. 48
Cur vina [illegible] temporum corpulenta potentia
quod [illegible] tempus ut potui [illegible] apta,
[illegible] in [illegible] tenuia
debilia, aquosa, [illegible] ad maturitatem, et [illegible] —— fol. 51
indigeant tempore ——
De vinorum novorum et veterum viribus per [illegible] —— fol. 54
De vino odoro, et inodoro —— fol. 65
De vino diluto, de vino [illegible] —— fol. 75
De aceto —— fol. 86
Quibus complexionibus, in [illegible] latitudine [illegible]
temporibus conveniat vini potus, et quale vinum conveniat —— fol. 103
Quo tempore conveniat vini potus, et in qua quantitate
sit ministrandum —— fol. 113
An in calidis intemperiebus, et in febribus conveniat vini
potus —— fol. 123
An in capitis doloribus, et in aliis capitis affectibus vini potus
conveniat —— fol. 137
An podagricis, et arthriticis conveniat vini potus, et quale
vinum conveniat —— fol. 147
De potu vini in mulieribus, [illegible] —— fol. 165
De vini potu in [illegible] —— fol. 166

Finis

23 cap.

VIT[illegible] EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google